14.2.2.
5 per Exch.

Thomas F. Torrance

Opera
Ext

SCS #1536

EXPOSITIO ANALYTICA OMNIUM *APOSTOLICARVM* EPISTOLARVM:

Seu,

Brevis Introductio ad pleniores Commentarios, in Vsum Studiosorum Theologiæ.

Operâ DAVIDIS DICSONI, *In Academia Glasguensi* Theologiæ Professoris.

JOAN. CAP. XV. VERS. 4.

Manete in me, & ego in vobis: sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, id est, *nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis.*

GLASGVÆ

Excudebat *Georgius Andersonus* & vænuntur ab *Andrea Crook* & *Ægidio Calvert.*

Anno Dom. 1647.

SCS #1536

Die Veneris 24. *Julij.* 1646.

ORdered by the Lords Assembled, that none shall print the Booke Entituled (*Expositio Analytica omnium Apostolicarum Epistolarum seu brevis introductio ad pleniores commentarios in usum studiosorum Theologiæ, operâ Davidis Dicsoni in Academia Glasguensi Theologiæ professoris*) without a speciall Licence from the Author under his hand and writing.

Jo: Browne Cler.

Parliamentorum.

EPistolarum omnium Apostolicarum Expositioni huicce a Clarissimo viro, Domino Davide Dicsono conscriptæ, studiosis Theologiæ utilissimæ, Authore simul ac lectore dignissimæ: utpote quæ spiritus scopum, verborum sensum, doctrinarum medullam, argumentorum aciem, optimè attingit, eruit, extrahit, extruit: in officium, potiùs quàm suffragium, hoc quantulumcunq; sit calculj, adijcere gestit

Carolus Herle Synodi VVestmonasterienſis Prolocutor.

Analy-

ANalyticam Expositionem Epistolarum Apostolicarum a Cl: viro Domino Davide Dicsono concinnatam, legi avidus; gustatâ anteà suavissimâ necnon ut iliſsimâ ejus commentatione Anglico jdiomate, in Epistolam ad Hebræos, conscriptâ; De utrâq; dicam quod sentio, jmo quod res est, Satis multum in jis reperturum, qui non expectat nimis. Nec quicquam me vidisse in tanta brevitate, tantum porrigens, et sensus genuini sacri textus et fructus jnde colligendi. Gratulor itaq; Jnsulanis nostris præsertim studiosæ juventuti, tam egregia Doctrinæ, quæ est secundum pietatem, adminicula. Multum a R. Authore efflagitans, tam ut utramque curet (quod de postremâ hâc videtur promittere) & doctis & Jdiotis communicarj; quam ut denuò se accingat ad enarrandas

randas, ijsdem methodo & modo, cæteras S. Scripturæ partes. *Quo in opere ut diu eum sospitet* Cœlestis Pater, duplicetq; in eum spiritum sapientiæ & Revelationis, precibus haud dubio contendent multi, inter quos, me non omnino nullum, dignissimo viro ignotus licet, Spondeo.

Herbertus Palmer Synodi Westmonasterienſis assessor & Collegij Reginalis Cantabrigiæ Præsidens.

QUemadmodum Satan Spiritus ille tenebrarum & humani generis hostis infensissimus, nec non vaferrimi ipsius satellites id omnibus viribus moliuntur, ut si non ex orbe terrarum divinæ scripturæ tollantur, saltem pro verbo Dei somnia & commenta hominum, atque istius verbi glossemata vel spuria & impia, vel vana & inutilia Ecclesijs *Christi* obtrudantur; ita fideles ovilis *Christi* pastores nihil priùs in votis habent, nihil impensiùs nituntur, quàm ut sacrarum literarum rivulj è throno Dei & agni scaturientes, civitatem *Jehovæ* abundè reficiant, & sacra Scriptura à fucatis omnium pseudoprophetarum interpretamentis purgata, & à vermiculato cujuscunq; generis Mangonio vindicata, in genuino suo nitore pura perpetuò conservetur.

Quandoquidem autem jam tertia pars fontium & fluviorum casu stellæ, cui nomen est absinthium, miserè intoxicata sit, & nimis quàm multa sidera, quæ non ita pridem in Ecclesiæ firmamento collucere videbantur, ictu caudæ Draconis cœlo exciderint: adeo ut agrum dominicum Zizanijs hæreseon, & putidarum commentationum lolijs luxuriantem & silvescentem omnis verè pius, cui causa Dei cordi est, magno cum animi dolore conspicere cogatur: idcirco stellas *Jesu Christi* dexterâ suffultas, virosDei, quos princeps Ecclesiæ dono & facultate aperiendi scripturas instruxit, omnibus officijs & honore prosequi par est.

Uerum enim vero, inter illos, quos divina misericordia Ecclesiæ nostræ *Scoticanæ* à multis retrò annis indulsit, Censemus nos virum clarissimũ *D. Davidem Dicksonum* S. Theologiæ in Academia Glasguensi professorem, nemini secundum; Nostro quidem testimonio tanti viri

lucu

lucubrationibus nihil accedere posse, & opus hoc nostrâ hederâ minimè jndigere lubenter agnoscimus. Margarita excellentissima gemmarij encomium nequaquam desiderat, suo enim insito fulgore vel noctu resplendet; Attamen absque adulationis fuco Authorem esse *Jehovæ nuntium, interpretem unum è mille, sagittam politam & tersam, in umbrâ manus Dej absconditam*, non possumus non profiteri & testari.

Commentarius hic in omnes Apostolorum *Pauli, Jacobi, Petri, Joannis* & *Judæ* Epistolas, in quo brevitas cum perspicuitate & cum utrâque utilitas concertare videtur, brevi viâ longum iter conficit; In eo sensus *spiritus Sancti* solidè detegitur, series argumentorum elaboratè enodatur, semina doctrinarum & fontes controversiarum dilucidè aperiuntur. Cum autem Commentariorum in sacram Scripturam mole & copiâ, ingenia S. *Theologiæ* candidatorum tantùm non obruantur, & lectores Scripturientis hujus sæculi voluminum fastidio magis nauseam contrahant, quam delectatione capiantur, hic liber nobis unus est pro multis. Authorem itaq; rogamus, obsecramus, obtestamur, ut in itinere hoc tam fœliciter susceptо progrediatur: Comprecantes *D. Jesum Christum leonem illum de tribu Judæ* ut curâ & industriâ talium Dei organorum librum obsignatum indies aperire, pro immensâ suâ misericordiâ, non dedignetur.

Samuel Retorfortis. S. Theol. in Academia Andreapolitanâ Professor.
Robertus Balæus Evangelij Jesu Christi Minister, Glasguæ.
Georgius Gillespicus Ecclesiæ Edinburgensis Pastor;
Ab Ecclesia Scoticana ad Synodum Westmonasterienſem deputati.

ILLUSTRISSIMO ARGATHELIÆ MARCHIONI,

Comiti *Kinteræ*, Domino *Cambello*, Domino Lornæ, &c. *Summo Architriclino Regio*, Et ſummo Quæſtori Rerum Capitalium per Æbudas *Inſulas*, *Sanctioris Concilii Senatori Integerrimo*:

Necnon,

GENEROSISSIMO DOMINO, D. ARCHIBALDO CAMBELLO,

Domino *Lornæ*, Ejus Filio natu Maximo, *Et Hæredi*, *Dominis ſuis Nobiliſſimis*, omnigenam Felicitatem precatur

DA. DICSONUS.

Pecioſum ubique locorum ſemper fuit, *Marchio illuſtriſſime*, Felicitatis & Sapientiæ nomen; & apud omnes laudi datum eſt, utriuſque ſtudioſum eſſe: Sed Pauci res ipſas probè intellectas habuerunt; Nam qui felicitatem in ulla re, præterquam in unius DEI conſortio & fruitione poſuerunt, illi etiam in Sapientiæ negotio hallucinati ſunt: Siquidem illa demum vera eſt Sapientia, per quam ad ſolidam, æternamque felicitatem, rectâ certoque ducimur. Triſtiſſimum eſt ſpectaculum,

lum, sed prudenter observantibus non inutile, conjunctam cum amentia, Miseriam in humano Genere, contemplari. Exulant homines à Cœlo palantes vagantur in Terra, miseriæ stimulis, & cæco quodam beatitudinis appetitu agitati, ad quærendum remedium feruntur. Sed quam in Cœlo requirerent, in cœno & sordibus scrutantur Felicitatem, nec usquam inveniunt: Pro summo Bono, bonorum infima, & vanitatis Umbras fallaces amplectuntur: Conceptæ Spei frequenti fruſtratione subinde admonentur erroris: irrequietique Animi œstro perpetuo punguntur, ut Patriam Cœlestem, & Paternam Domum repetant: Sed errant ab utero, & sine fine, novasque sibi attrahunt & multiplicant, quas fugiebant Miserias.

Auget spectaculi tristitiam, Divinæ Bonitatis cum insanâ Hominum Pervicaciâ conflictantis, contemplatio. Prodit è Cœlo Felicitatis Fons (Decore & Majestate indutus, & Luce amictus ut panno) tenebrionibus è longinquo manifestat invisibilia sua, æternam nempe Potentiam, & Divinitatem suam in operibus Creationis splendentem, ut invitet rebelles ad redeundum in gratiam. Illi verò vel non respiciunt Deum, vel respicientes non agnoscunt, vel aliqua ex parte agnitum non glorificant ut Deum, sed evanescunt in cogitationibus suis, & proni in Terram pergunt clamitare, Quis ostendet nobis Bonum? Nulli seriò orant, Attolle super nos lucem Faciei tuæ.

Accedit Deus propius, in operibus Providentiæ; utque se expertem esse Testimonii non sinat, Bona tribuit indignis, Pluvias dat cœlitus, & ferendis fructibus Tempora præstituta; Corda ingratissimorum Hostium suorum cibo & delectatione implens, ut palpando reperiant Dominum quem dereliquerunt, & per Divitias Benignitatis & Tolerantiæ ipsius, ad resipiscentiam deducantur. Accipiunt Beneficia, gulæ & abdomini sacrificant accepta; Et quæcunque Benignitas Divina concessit, una cum membris suis omnibus, in arma iniquitatis Θωμαχοι convertunt.

Sed

Sed neque hic gradum sistit φιλανθρωπία Dei; accedit quàm proximè, extendit manum, pulsat uniuscujusque pectus: profert legendum singulis inscriptum cordibus Legis opus; Conscientias concutit, Cogitationes excitat quæ trahant fugitivos Hostes ad Tribunal Justitiæ, accusent Reos, convincant ingratitudinis odiosæ, excusationemque omnem auferant Convictis, ut resipiscant, veniamque deprecentur: Illi vero convicti iniquitatis, insurgunt Contumaces, oblatrant conscientiæ suæ, manusque ei ut taceat, injiciunt violentas; veritatem illam Dei, cordibus inscriptam invadunt, suppressamque in carcerem conjiciunt, & detinent in injustitia. Quid mirum si Deus αὐτοπαταξίτης tam perdite pervicaces sinat incedere in viis suis, Diaboloque & suis affectibus tradat pro meritis tractandos. Proh dolor! pereunt myriades, & perire volunt.

Verùm quanto hoc spectaculum est lamentabilius, tanto est Dei conspecta bonitas amabilior, quæ non patitur ut Divina Gratia repulsam patiatur, ab iis quos Dei beneplacitum voluit esse suos, ad sanam mentem redire, & esse salvos. Lætum dicas illud spectaculum quod in æternum beatos reddere poterit Spectatores. Mittitur ex sinu Patris in mundum, æterna Sapientia, Filius Paternæ dilectionis, Angelorum deliciæ, lux vera Mundi, & vita Hominum, Sol ille Justitiæ, sub cujus alis est Sanitas & Salus, Dominus noster Iesus Christus; Ille persoluto pretio Redemptionis, & debellatis hostibus, Currum triumphalem ascendit, perequitat omnes regiones ubicunque locorum degunt ab ipso redempti; in eorum gratiam tollit vexillum Amoris sui; Emittit vocem Sapientiæ salutiferę in Euangelio Pacis: per cujus Ministerium miseriarum Fontem ipsis aperit altius, arguit peccati, & dolorem secundum Deum creat: ostentat iram venturam & terrefacit, demonstrat ipsis propriam insipientiam, indignitatem & impotentiam ad eluctandum ex malis, & efficit ut humiliati suas ipsorum Vires & Consilia abnegent: offert

fert se Mediatorem ad amicitiæ cum Deo redintegrationem, & accendit vitæ & justitiæ oblatæ sitim; offert liberationem à fœdere operum, & novi etiam fœderis planè gratuiti percussionem, facitque ut consentiant; persuadet ipsis ut Christum, magnum illud donum Dei, amplectantur, ipsique se totos credant: Exhibet iis peccatorum remissionem, & facit ut eam apprehendant ad justitiam: Præcipit justificatis, veteris hominis mortificationem, & accendit non minus serium sincerumque sanctificationis, quam adipiscendæ salutis, studium: Requirit fructus fidei in novâ Legis divinæ obedientia, & facit ut fugant ex vite, vitalem succum, haustumque emittant in fructus dignos Euangelio; jubet ut tollant crucem quisque suam, in via ad Cœlum obviam, efficitque ut imperata faciant, & pone Dominum gloriæ, portantes ejus opprobrium, per prospera & adversa pergant ad vitam æternam.

Hæc est sapientia illa salutaris quę neminem decipit, sed filios suos omnes justificat & beat, viciſſimque ab omnibus suis filiis justificatur, asseritur, defenditur. Hæc est illa supernè descendens sapientia, quæ per sacrarum Scripturarum codicem sparsim diffusa, in ter septem Apostolicis Epistolis plusquam vicies in compendium contracta, ad usum præsentem filiorum lucis accomodatur.

Harum Epistolarum explicationem in publicum prodire jussi sub nomine tuo, Heros inclyte, ut cum aliis meis Symmistis qui labores suos Honori tuo dedicarunt, persolverem aliquam portiunculam gratitudinis, quam olim debebat illustrissimæ tuæ Familiæ Reformata Ecclesia Scoticana, & etiammum amplius debet propter te, qui non tantùm Stemmatis tui illustrissimi avitam in purgandæ religionis studio gloriam renovasti, sed etiam totis septem annis proximè elapsis, cum vitæ fortunarumque omnium multiplici periculo, eos labores, qui mediocrium

crium virorum vires & animos penitus confregiſſent, exantlando, magnopere auxiſti.

Debet tibi hunc Honorem Academia Glaſguenſis, cui educandos filios tuos generoſiſſimos credidiſti, eamque in augendo profeſſorum Theologiæ numero, cum primis Synodi Nationalis Delegatis, Præſentiâ, Conſilio, & Authoritate tuâ, ſemel atque iterum adjuviſti.

Et hic quia Res mea agebatur, nomen meum profiteri par eſt, quod tu in Tabulas tuas referre poteris, ut debitum exigas à me, quem evectum ad hanc profeſſionis Theologiæ cathedram, tua Authoritas inter præcipuos Synodi Delegatos præſcripto penſo ad ſcopum Scripturæ difficilioris ſtudioſis aperiendum, oneravit dicam an honoravit. Quapropter poſt unum alterumque autumnum, æquum eſt ut ſementis, quam in Academia feciſti, Fructum aliquem ab eâ, & à me, nominatim, recipias.

Sed exigua ſunt hæc munuſcula noſtra ad Merita tua, cujus ſpectata in Pace & in Bello Virtus, probata in utraque Fortuna Fides & quadrata Conſtantia (quæ nullis tentationibus à dextra vel ſiniſtra in hunc uſque diem à Republica Civili & Eccleſiaſtica promovenda potuit unquam dimoveri) effecerunt ut in omnibus Delegationibus tam Eccleſiaſticis quam Politicis *Marchionis Argathelia Nomen*, Ordinibus Regni & Synodis Nationalibus ſemper eſſet, & gratiſſimum & auſpicatiſſimum: Neque poterit unquam Invidia vel Obloquium ſive apertorum hoſtium, ſive parum fidorum amicorum Eccleſiæ & Reipublicæ (qui unà cum affectis ſuis & imperitis rerum æſtimatoribus, nullis niſi de Republica utraque optimè meritis oblatrare ſolent) Honorem illum quem meruit Virtus, tribuerunt Comitia Regni & Synodi nationales, vel auferre, vel apud æquos Judices obfuſcare.

Tui

TUI vero etiam Nominis facta hic est Mentio, Illustrissima Patris nobilissimi, & optimæ spei Soboles, quia æquum est ut Paternæ Hæreditatis, sic etiam & Honoris te esse Participem. Accedit quod Apostolicæ Doctrinæ præfixum tuum Nomen argumento & incitamento tibi esse poterit, ut Christi Sapientiam & Virtutem, arctius indies amplectaris; Viamque compendiosam quæ in hac ipsius Doctrina tibi præscribitur ad unum illud Necessarium, solidam Felicitatem, patrissans prosequaris: Denique, ut hæc Nominum vestrorum Conjunctio Paternæ & Avitæ Virtutis æmulum te reddat, secundum eam Spem, quam Ingenii tui (qui nondum ex ephebis excessisti) supra ætatem maturitas, genuit in nobis omnibus, qui surgentem ad magna Indolem tuam observamus, votisque, eam prosequimur; ut Familiæ vestræ antiqua Gloria in Te continuetur, & augeatur.

LECTORI

LECTORI
S.

Habent omnes Disciplinæ suas Isagogas, & Rudimenta faciliora, quibus discentium Ingenia ad penitiorem rerum Cognitionem præparentur: Habent omnes Familiæ Nobiliores suos Janitores, & Servos Atrienses, qui Hospites excipiant, & in Palatiorum penetralia humaniter deducant: Vt habeat etiam Scripturarum explicatio suam Introductionem, & Commentatorum Nobilis Familia suos Ostiarios, & Servos Atrienses, æquum esse juxta mecum judicabis spero, Lector æquanime: Huic familiæ ut inservirem, & simul introducendis sacri Ministerii Candidatis, ad opulentiores in DEI Familia peni Procuratores, operam meam collocarem, in domus Dei limine mihi sedem elegi.

Vulgò notum est in Scholis Theologicis, quantulo tempore, quot & quanta Volumina perlegenda; quot & quæ exercitia parasceuastica adolescentibus Theologiæ studiosis absolvenda sint; & in distributione sive dierum sive horarum, ad singula studia, quantillum temporis Scripturis Divinis cedat perlustrandis, in quibus intelligendis maximè laborandum esset omnibus, præsertim verò iis qui Dominum ipsum loquentem audire vellent ut credant, & ut quæ crediderunt,

tanquam

tanquam eloquia DEI, pro concione proferant. Hujusmodi nobilibus Beræensibus, Scripturarum discipulis quicunque operam dabit promovendis, næ ille operæ suæ pretium non perdet.

In eorum gratiam qui apud nos Student Theologiæ, ex authoritate Delegatorum Synodi nationalis, duobus proximè præteritis annis, publicè prælegi omnium Apostolicarum Epistolarum analyticam expositionem, & prælecta licet rudiora, ut novorum hospitum, in iis describendis labori parcerem, typis commisi: consiliique mei rationes candidè tibi, ut æquicrem te experiar, statui explicare.

Studiosis Adolescentibus quibus lectio Scripturarum est necessaria, Commentariorum verò pleniorum lectio impossibilis est, paranda erat ex officio meo aliqua ad pleniores Commentarios posteà legendos cum per otium liceret, introductio. In qua requirebatur explicatio Scopi, & Verborum Textus obscuriorum, & Sententiarum difficiliorum, & connexionis earum inter se, & cum scopo principali. Et hic opus erat analysi, scholiis & expositione vel paraphrasi aliqua, quæ expositionis vicem suppleret. Ad institutam introductionem & explicationem, adeo essentialis erat brevitas, ut non omnino susceptam esse, quam non esse brevem expediret; nam nisi brevitatis spes fuisset, ea non omnino fuisset. Cum brevitate explicationis, necessaria erat perspicuitas, ne multarum rerum in pauciora verba concisa contractio Lectorem implicaret.

Analysin igitur, & Scholia, & expositionem, vel paraphrasin expositionis loco positam (quæ seorsim singula sine prolixitate disponi non poterant) in unum quasi compegi, ut finem mihi propositum assequerer. Verum an aliquâ saltem ex parte assequutus sim, penes te judicium esto, postquam comparata cum textu explicatione, quæ quibus respondeant, perspexeris. Tantum istud scito, quod multo minori labore hanc explicationem tibi dedissem longiorem, quam dedi brevem. Analysin Logicam non sum ulterius prosequutus, quam necesse erat ad scopum textus demonstrandum: membratim enim & minutatim singulas sententias, dearticulare prolixioris est commentarii. Logica Technologemata, quæ dicuntur, non nisi parcissimè adhibui, quia si adhibuissem, statim videbam creari litem mihi, & laborem tibi, qui facilius rem ipsam intelligeres, quam an termini artis rectè à me assignati essent examinares; & mecum de re ipsa consentires potius, quam in Logicis notionibus assignandis subscriberes. Sua enim unicuique diversa est analysios ratio, ita ut difficulter reperias duos scriptores, qui vel in unius quidem capitis resolutione, in terminis Logicis omnibus conserierunt, etiam cum inter ipsos

de ser-

de sensu maximè conveniret. Nam pro vario argumenti respectu ad subjectum & attributum propositionis probandæ, mutantur, & salvo loci sensu mutari debent notiones Logicæ. Præcepta & hortationes quæ in modo imperativo, vel alio aliquo modo Rhetorico emphaticè proponuntur, in modum indicativum, secundum præcepta Logicæ converti, ut thesis confirmanda clarius perspiceretur. Emphasin & prudentiam Spiritus, plenioribus commentariis & concionibus explicandam reliqui. Singulorum capitum partes, memoriæ tuæ juvandæ causa, & theses præcipuas in singulis partibus, quantumpati potuit rei veritas, pauciſſimas feci. Argumenta ad confirmationem propositionis illius quæ scopum exprimit, prout ad perspicuitatem faciebat, numeravi plura aut pauciora: argumentorum pluritum vim, nunc in unum contrahens, nunc sigillatim explicans.

Argumenta quæ & ad scopum præcipuum, & ad proximè præcedens argumentum confirmandum faciunt, ad utrumque retuli. Omnia verò enthymematicè, brevitatis & perspicuitatis causa dispersi. Si sæpius quam opus erat scopus, seu conclusio repeti videatur, ignoſces mihi spero hunc laborem, ubi consultò suppressam à me conclusionem perspexeris facilius legi quam ex superioribus repeti potuisse. Licet prima facie coincidere videantur argumenta: statim observabis tamen novam aliquam vim ab Apostolo additam, facere discrimen. Nec te offendat quod argumenta quæ ego ad confirmationem alicujus propositionis retuli, adhibeantur à Doctis ad alias conclusiones probandas: Idem enim medium pluribus conclusionibus confirmandis commode potuit inservire. Ubi obvius est versiculorum sensus, & connexio plana, hac mea opella (quæ in obscurioribus potissimùm usum habet) non opus erat: sed ne hiatus esset ullus, opus pertexi, & homogeneum esse opportuit. Qui hoc concisum scribendi genus non probat, ne alios à legendo deterreat quæso. Si ostiolum Studiosis Theologiæ aperuerit ad pleniores commentarios, introductio hæc nostra, habeo quod quæro. Clavis quo minoris fuerit molis tanto majoris solet æstimari. In tanta scriptorum varietate, & copia, Reip. consultum it, qui vel necessaria benè, vel breviter saltem tractat, ut Lector operæ & olei, quam fieri potest, minimum perdat.

Si tibi gratus fuerit hic labor meus, non ingrata mihi erit admonitio tua, si quid emendatum vis. Et si quid consilii mihi suggerere visum fuerit prudentiæ tuæ: Dabo operam, juvante Deo, ut in versione Anglicana ad quam hortantur amici nonnulli, si id operæ pretium futurum comperietur, ut tibi satisfiat. Interim Patrem luminum supplex oro, ut in hanc messem emittat

doctiores

doctiores, & magis idoneos servos suos, qui quod à me præstari nequit, in hoc genere scribendi præstetur. Spes enim est fore ut permulti, qui nunc sola prolixitate commentariorum deterriti, vel nihil vel pauca, & exiguo cum fructu legunt, Scripturas legerent avidius, si breviculi aliquid ad scopum sensumque aperiendum ipsis offerretur. Vale.

Tuæ Ædificationis & Salutis
in Christo Studiosus
Da. Dicsonus.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI *AD* ROMANOS;

Summarium.

Statuebat Apostolus Romanos invisere, ut vivâ voce ipsos in fide confirmaret. Interim dum necti sibi longiores moras indies observat, à Spiritu Domini excitatus, celeberrimam hanc ad eos scribit Epistolam.

Partes Epistolæ, præter exordium & conclusionem, statui possunt duæ. Prima docet divinam & unicam rationem justificandi peccatores, per fidem in Iesum Christum: ad caput duodecimum.

Altera præcipit de vita Justificatorum sanctè instituenda ad finem.

Quod ad primam attinet. Statim post epistolæ exordium, probandum sibi suscipit Apostolus; Neminem ex operibus seu inhærente justitia justificari posse, sed ex justitia CHRISTI solâ, per fidem solam à nobis apprehensâ, & gratis ex gratia nobis credentibus à DEO imputata.

Hanc Thesin probat argumentis decem plus minus: Quorum duo priora habentur Capite primo; *Tertium Capite* secundo, *septem reliqua Capite* tertio.

Ad hæc argumenta altius infigenda, subnectit hujus suæ doctrinæ sextuplicem confirmationem.

Prima *est, Quod Abraham sola fide justificatus sit, Capite* quarto.

Secunda *est, quod hæc justificandi ratio sola consolationem præstet adversus justam Dei iram, & peccati originalis, ab Adamo in nos derivati venenum, Capite* quinto.

Tertia *est, quod hæc justificationis ratio ad promovendam in justificatis sanctimoniam maximè conducat, Capite* Sexto.

Quarta *est, quod hæc justificandi ratio sola consolationem præbeat Justificatorum conscientiis afflictis propter imperfectam suam obedientiam & peccati inhabitantis in se reliquias, capite* septimo,

Summarium.

Quinta *est, quod hæc Justificandi ratio Justificatos sanctitati studentes, non solùm muniat adversus condemnationem, seu malum omne post hanc vitam metuendum; sed etiam adversus omnes molestias, quibus obnoxii sunt Dei filii in hac vita solidè confirmet & consoletur, Capite* octavo.

Sexta confirmatio *est, quod experientia compertum sit Judæos quærentes justitiam ex operibus, Justificationem minimè consequutos fuisse; Gentes verò omni specie inhærentis Justitiæ destitutas, per fidem in Iesum Christum, veram & salutiferam justitiam obtinuisse, Capite* nono: *ubi ex occasione repudiationis Judæorum de Electione & Reprobatione agitur.*

Quorum Judæorum rejectionem apertam & apud omnes Ecclesias jam manifestam propter ipsorum fatuam incredulitatem & pertinaciam, justam esse probat, Capite decimo.

Non tamen propterea desperiendos esse omnes Judæos, eò quod Gentis illius repudiatio ad tempus tantùm duratura sit, ostendit, Capite undecimo.

Altera Epistolæ parte, qua præcipit de Justificatorum vita sanctè instituenda. Primo, *post obtestationem seriam, ut omnes Justificati totos se Deo consecrent, & omnes Ecclesiæ Ministri pacem inter se colentes, pro suo quisque munere & dono, sanctificationem & salutem fidelium promoveant; Præcepta dat generalia de sanctimonia Capite* duodecimo.

Secundo *descendit specialius ad officia fidelium erga magistratum, & omnis ordinis proximos, secundum legem charitatis præstanda, Capite* decimotertio.

Tertio *agit de Fidelium officiis mutuis, ad prudentem usum Christianæ Libertatis spectantibus, Capite* decimoquarto, *& priori parte Capitis* decimiquinti.

Deniq; confirmata sua in Romanos benevolentia & autoritate reliqua parte capitis decimiquinti, cum Sanctorum salutationibus, concludit epistolam, Capite decimosexto.

Caput primum.

Hujus Capitis duæ sunt partes: Prima continet totius Epistolæ exordium, ad versum decimumseptimum: Altera est inchoata probatio principalis propositionis per totam epistolam confirmandæ, nempe quod justificemur per fidem in Iesum Christum, & non ex operibus.

Exordium constat Epistolæ inscriptione ad versum octavum, & proœmiali sermone, ad versum decimumseptimum; totumque comparatum est ad præparationem fidelium Romanorum, ut cum omni animi submissione & benevolentia, doctrinam subsequentem

subsequentem recipiant. Qui scopus hoc vel simili aliquo, in eundem sensum, axiomate comprehendi potest. Debetis vos Romani cum omni animi submissione & benevolentia subsequentem doctrinam recipere. *Argumenta in hunc finem insinuat octodecem, quorum aliqua in Epistolæ inscriptione, reliqua in proœmiali sermone continentur.*

Versus primus.

Paulus servus Iesu Christi, ex vocatione Apostolus, separatus ad prædicandum *Euangelium Dei.*

IN Epistolæ inscriptione descriptio est Scriptoris ad versum septimum; & eorum ad quos scribitur, versu septimo.

Servus] Argumentum primum, Ego *Paulus* scriptor hujus ad vos Epistolæ, servus sum IESU CHRISTI, *id est*, non meam, sed Domini nostri IESU CHRISTI rem ago sincerè, ipsique servitii mei redditurus sum rationem; Idcirco debetis vos Romani quæ scribo in hac Epistola cum omni animi submissione, & benevolentia recipere.

Vocatione] Secundum argumentum, Vocatione sum Apostolus, *id est*, servus extra ordinem, qui tanquam legatus, cum mandatis missus sum à CHRISTO ad prædicandum Euangelium, accepta potestate ad fundandas & regendas Ecclesias, quod munus non ipse invasi, sed immediatè à DEO vocatus suscepi. Idcirco debetis cum omni animi submissione admittere quæ scripsi ad vos.

Separatus] Tertium argumentum, Separatus sum ad Euangelium DEI, *id est*, ex DEI consilio destinatus, ut huic uni officio totus incumberem, ab utero sanctificatus, *Galat.* 1. 15. speciali CHRISTI autoritate designatus, & oraculo Spiritus (ut est, *Act.* 13. *vers.* 2.) separatus, & ablegatus ad prædicandum vobis Gentibus lætum nuncium de redemptione hominum per CHRISTUM. Idcirco debetis cum omni reverentia & benevolentia recipere quæ scripsi ad vos.

Vers. 2. (*Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.*)

Ante] Quartum argumentum, Euangelium quod ego prædico, non est novum, non commentitium, sed antiquissimum illud DEI verbum, quod porro revelandum DEUS promisit jam olim per Prophetas suos, sicut in sacra Scriptura veteris Testamenti legendum proponitur. Idcirco debetis cum omni animi submissione amplecti subsequentem doctrinam.

Vers. 3. *De Filio suo, (facto ex semine Davidis, secundùm carnem.*
Vers. 4. *Declarato Filio Dei potenter secundùm Spiritum sanctitatis, per resurrectionem à mortuis)* nempe *Iesu Christo Domino nostro.*

Quintum argumentum, Materia Euangelii quod ego prædico, non est res aliqua vilis seu vulgaris, sed ipse DEI Filius IESUS CHRISTUS Dominus noster, homo-DEUS, in unitate personæ simul verè homo, conceptus à Spiritu sancto, ex substantia Virginis Mariæ, à Davide Rege oriundæ secundùm carnem, seu humanam ipsius naturam: simul verè DEUS, ut per alia multa signa, sic per resurrectionem à mortuis potissimùm declaratus definitè Filius DEI potentissimus, secundùm divinam ipsius naturam, quæ Spiritus dicitur summè sanctus, 1 *Tim.* 3. 16. & 1 *Pet.* 3. 18. Ideo debetis cum reverentia & benevolentia doctrinam subsequentem recipere.

Vers. 5. *(Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obedientiam fidei, inter omnes gentes, pro ipsius nomine).*

Sextum argumentum, Eo ipso fine, à CHRISTO glorioſum munus apostolatus gratuitò concessum est aliis apostolis & mihi, ut pro autoritate, quam CHRISTUS habet, & nobis fecit, procuraremus inter omnes gentes, salutarem illam obedientiam, quæ fidei doctrinæ debetur: Idcirco debetis cum omni animi submissione Euangelii doctrinam hanc admittere.

Vers. 6. *Inter quas estis etiam vos vocati à Iesu Christo:)*

Septimum argumentum. Inter has gentes ad quas ego missus sum, vos fideles Romani primas tenetis, quippe qui jam efficaciter ab ipso *Christo* vocati, ipsique in obedientiam fidei jam mancipati estis. Idcirco debetis cum omni animi submissione Euangelii doctrinam hanc admittere.

Vers. 7. *Omnibus qui Romæ estis, dilecti Dei, ex* Dei *vocatione sanctis: Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Restat in Epistolæ inscriptione descriptio & salutatio eorum ad quos scribit, in quibus continetur argumentum octavum, in hunc sensum.

Vos dilecti estis à DEO, efficaciter vocati, & ex parte sanctificati, & hæredes gratiæ & pacis; ita ut liceat mihi DEI nomine Euangelii benedictionem

tionem vobis applicare, & vobis comprecari *Gratiam* (*id est*, omnia bona quæ per modum sanctificationis à DEI favore speciali proveniunt) & *Pacem* (*id est*, omnia, quæ ad felicitatem sive in hac, sive in futura vita faciunt) à DEO per CHRISTI mediationem in vos derivanda. Idcirco debetis cum omni benevolentia doctrinæ meæ auscultare.

Vers. 8. *Trimum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum super omnibus vobis, quòd fides vestra anuntiatur in toto mundo.*

Reliquis exordii versibus habetur sermo proœmialis in eundem scopum, Nonum argumentum, Toto terrarum orbe celebratur fama fidei vestræ, quam Euangelio adhibetis, de quo equidem gaudeo, & DEO per Mediatorem pro vobis omnibus gratias ago. Idcirco debetis cum omni benevolentia Euangelio meo attendere.

Vers. 9. *Testis enim mihi est Deus, quem colo spiritu meo in Euangelio Filij ipsius, me sine intermissione mentionem facere vestri.*

Argumentum decimum, Cura quam gero vestræ salutis, studiumque quo feror in bonum vestrum, nunquam sinit me vestri immemorem esse in precibus meis: quod quia aliter vobis probari nequit, testem invoco DEUM, qui quam sincero corde in ministerio Euangelii Filii sui ipsi serviam, ipse optimè novit. Idcirco debetis scribenti mihi ad vos, vicem reddere.

Vers. 10. *Semper in orationibus meis rogantem, si quomodo tandem aliquando prosperum itur mihi detur ex voluntate Dei, ut veniam ad vos.*

Argumentum undecimum, Ut vobis prosim non tantùm proficiscendi ad vos laborem non refugio, sed etiam precibus enixè à DEO flagito, ut prosperum tandem mihi faciat iter ad vos, cum ipsi visum fuerit. Idcirco debetis cum benevolentia auscultare.

Vers. 11. *Expeto enim videre vos, ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, ut vos stabiliamini.*

Argumentum duodecimum, Summo desiderio teneor vos invisendi, non ut participem de facultatibus vestris, sed ut communicem vobis pleniorem cognitionem mysterii Euangelii, tanquam donum spirituale, quo in fide contra omnes tentationes stabiliamini. Idcirco debetis cum benevolentia hanc doctrinam admittere.

Vers. 12. *Hoc est, ad communem exhortationem percipiendam apud vos, per mutuam fidem, vestram simul & meam.*

Hoc argumentum explicat, ne arroganter dictum videretur, modestè significans se non minùs paratum esse consolationem & ædificationem ex eorum fide capere, quam ex sua, ipsis præbere.

Vers. 13. *Nolim autem vos ignorare fratres, me sæpe proposuisse venire ad vos, sed prohibitus fui usque adhuc, ut fructum aliquem haberem inter vos quoque, sic ut inter reliquas Gentes.*

Argumentum decimumtertium, Licet hactenus impeditus sim ne ad vos venirem, sæpe tamen post objecta impedimenta, propositum ad vos veniendi denuo susceperi, ut prædicatione Euangelii non tantùm vos confirmarem in fide & obedientia Euangelii, sed etiam aliquos inter vos converterem ad fidem, sicut inter alias gentes DEO aliquos lucratus sum. Idcirco debetis doctrinæ meæ auscultare.

Vers. 14. *Et Græcis & barbaris tum sapientibus tum insipientibus debitor sum.*

Decimumquartum argumentum, Ex officio apostolatus, & speciali mandato CHRISTI teneor omnis generis hominibus, tanquam debitor Euangelium annunciare. Idcirco debetis doctrinæ meæ auscultare.

Vers. 15. *Itaque quicquid in me situm est, promptum est ad vobis etiam qui Romæ estis, euangelizandum.*

Argumentum decimumquintum, Propensa in vos Romanos voluntate feror, & pro facultate mihi divinitus concessa, quantum ad meas partes attinet, non minùs vobis cum aliis Euangelium prædicare, ad salutem vestram paratus sum. Idcirco debetis doctrinæ meæ auscultare.

Vers. 16. *Non enim me pudet Euangelij Christi: potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti, Judæo primùm, tum etiam Græco.*

Pudet] Decimumsextum argumentum, Etiamsi Euangelium quod ego prædico vulgò contemnatur, & cum cruce conjungatur, quoniam tamen non meum, sed CHRISTI est Euangelium, gratiam quæ per eum nobis

facta

facta est explicans, honorificum & glorioſum eſt, cujus me minime pudet. Idcirco debetis doctrinæ meæ auſcultare.

Potentia] Argumentum decimumſeptimum, confirmans etiam ſuperius, Euangelium quod ego prædico, eſt potens & efficax inſtrumentum DEI ad ſalutem conferendam cuivis credenti, ſine exceptione nationis, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, ſervata tamen prærogativa Judæorum, quibus Euangelium omnium primo annunciari debuit, propter fœdus inter DEUM & Judæos jam olim ictum. Idcirco debetis, *&c.*

Verſ. 17. *Juſtitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, Qui verò ex fide juſtus eſt, vivet.*

Argumentum decimumoctavum confirmans ſuperius, In Euangelio quod ego prædico, retegitur, & in apertum producitur prius abſcondita, & involucris ceremoniarum tecta juſtitia illa DEI ex fide in fidem, *id eſt*, illa juſtificandi peccatores ratio, quam ipſe DEUS excogitavit, quâ ſolâ coram DEO conſiſtere poſſumus, & in qua ſolâ DEUS acquieſcit; nempe illa CHRISTI DEI noſtri juſtitia, quæ noſtra fit ex fide in fidem, *i.* ex fide gradatim augeſcente à minore ad majorem menſuram, ſeu ex fide mera, ſola, & non ex operibus, ſeu inhærente juſtitia noſtra. Idcirco debetis cum omni animi ſubmiſſione & benevolentia quæ ad vos ſcribo, recipere.

Secunda pars.

HIC tranſitur ad ſecundam partem Capitis, in qua ſtatuitur propoſitio per reliquam epiſtolam confirmanda, quæ hæc eſt, *Juſtitia quæ in Euangelio retegitur, eſt juſtitia illa Dei ſeu Chriſti, nobis ex Dei gratia imputata, & per ſolam fidem apprehenſa, non verò juſtitia illa hominibus inhærens, quæ eſt ex operibus*; ſeu quæ ſenſu eadem eſt, *juſtificamur ex fide in Chriſtum, & non ex operibus.*

Argumenta ad probandam hanc theſin affert decem, quorum duo hoc capite, unum ſecundo, reliqua verò capite tertio continentur: quibus omnibus præſternenda eſt hæc immediat adiſiunctio; Aut juſtificamur fide ſeu gratis imputata juſtitia, aut operibus, ſeu inhærente juſtitia.

Juſtus] Argumentum primum, Per ſolam juſtitiam fidei vitam conſequimur; Idcirco per ſolam juſtitiam fidei juſtificamur: individuo enim nexu junguntur juſtitia & ſalus, & utriuſque eadem eſt ratio. Hoc argumentum confirmat teſtimonio *Hab.* 2. 4. qui confidentes in ſeipſis, vel ſuis operibus; tanquam hypocritas rejicit à vita, juſtos verò ex fide, ſolos pronunciat vitæ hæredes.

Verſ. 18

Vers. 18. *Tatet enim ira Dei è cælo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui veritatem injuste detineant.*

Argumentum secundum, Quia tantùm abest ut justificemur ex operibus, ut ira DEI palam prosequatur impia & injusta opera omnium hominum, Gentium, & Judæorum, scilicet extra CHRISTUM constitutorum. Id circo justificamur per solam justitiam fidei, seu per justitiam CHRISTI fide apprehensam, & ex gratia nobis imputatam.

Veritatem] Hoc argumentum confirmat per partes, & primo impietatem & injustitiam hominum in exemplo Gentium demonstrat, ad vers. 24. deinde iram DEI in impios effusam, & ipsorum injustitiam amplius ostendit, ad finem capitis. Probat impietatem & injustitiam Gentium, ex eo quod etiam hominum sapientissimi (Gentium scilicet Gubernatores & Philosophi) veritatem DEI injustè incarceratam detineant, id est, veram quam de DEO assequuti sunt notitiam, per injustitiam, seu pravitatem suæ voluntatis supprimant, ac veluti captivam intra se detineant, dum vel non communicant eam aliis, vel non ostendunt per opera pietatis: Ergo Impii & Injusti sunt omnes. Valet hoc argumentum ad propositum; nam si verum est hoc de flore generis humani extra CHRISTUM, *i.* de sapientissimis inter gentes legislatoribus & philosophis, de reliquis erit verum multò magis; nam si flos corruptus sit, quid de fæce sentiamus?

Vers. 19. *Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est intra ipsos: Deus enim eis manifestum fecit.*

Vers. 20. *Ipsius enim invisibilia, jam inde a creatione mundi ex iis quæ facit animadversa, pervidentur, æterna* videlicet *ejus tum potentia tum divinitas: ad hoc ut sint ipsi inexcusabiles.*

Hoc argumentum explanat duobus modis, primo ostendendo, quod veritatem seu reliquias luminis naturæ de DEO colendo aliquas, habuerint Gentes, quia quod naturali luce de DEO cognoscibile est, ipsis fuit cognitum, nempe DEI æternitas, potentia & divinitas, seu reliqua attributa DEI, quæ naturali notione DEI comprehenduntur, jam inde à condito mundo per res creatas, tanquam in speculo proposita ipsis manifestabantur adeo perspicuè, ut excusationem ignorantiæ prætexere non potuerint.

Vers. 21 *Propterea quod quum Deum cognoverint*, tamen *ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in ratiocina-*

in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum.

Vers. 22. *Quum se dicitent sapientes, stulti facti sunt.*

Vers. 23 *Mutarunt enim gloriam incorruptibilis Dei in simulacrum imaginis corruptibilis hominis, & volucrium & quadrupedum, & reptilium.*

Secundo explanat superius argumentum, ostendendo Gentes incarceratam detinuisse cognitam veritatem, partim quia gloriam attributorum & divinorum operum, & pro beneficiis divinis gratias, quas naturale lumen rationis DEO dandas dictabat, DEO non tribuerunt: partim quia digressi à veris principiis de DEO, per falsas ratiocinationes suas, falsum de DEO, ejusque cultu assumentes & concludentes, in speculationibus suis evanescebant, seque ipsos decipiebant, & excæcabant, atque ita infatuabantur, etiam tum cum videri volebant sapere maximè. Partim denique quia ingratitudinem & stultitiam suam opere apertè prodentes, fingebant imagines hominum & brutorum animaliuni, quibus DEUM, seu DEI proprietates, sibi ad oculum representarent, atque ita gloriam DEI, comparatione tam vili fœdatam, commutarunt in abominandas illas imagines, quantum in ipsis fuit.

Vers. 24 *Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua in semetipsis.*

Vers. 25. *Ut qui Dei veritatem transmutarint in falsitatem & venerati sint & coluerint res conditas, preterito Creatore qui est benedictus in secula, AMEN.*

Ostensâ impietate & injustitia hominum contra DEUM in exemplo Gentium, in eodem exemplo ostendit iram DEI in impios effusam, & iniquitatem ipsorum ampliorem demonstrat. Quod in pœnam fœdæ idololatriæ DEUS justissimè desertos, judicialiter tradiderit regendos à cupiditatibus suis: ut qui DEUM gloria debita fraudaverant, ipsi ex adverso turpissimam in seipsis & à seipsis ignominiam paterentur, & ut qui commutaverant DEI glorioſa attributa in mendaces imagines, quæ nihil minus sunt quam id quod dicuntur, se etiam in bestias, per effrænes suas libidines commutarent. Dicuntur *coluisse ac servivisse rebus creatis; præterito Creatore*, quia licet idololatræ DEUM falsò repræsentatum, in cultu quem imagini à se confictæ exhibent, honorari velint & intendant, DEUS tamen cul-

tum illum omnino rejicit, totumque relinquit imagini seu creaturæ, cum qua cultum suum non vult ullo modo partiri.

Dicitur Deus *benedictus in secula* hoc loco, ut sciamus nihil detractum Dei felicitati per Idololatrarum injurias, sed constare Deo suam gloriam & beatitudinem in æternum, cui applaudere debemus omnes cum Apostolo, dicentes, Amen.

Vers. 26. *Propterea*, inquam, *tradidit eos Deus fœdis affectibus: nam & fœminæ illorum transmutarunt naturalem usum in eum qui est præter naturam.*

Vers. 27. *Similiter etiam masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt sua libidine, alius in alium; masculi in masculis fœda perpetrantes, & compensationem quam opportuit, erroris sui in semetipsos recipientes.*

Ulterior injustitiæ humanæ & iræ divinæ in impios demonstratio in exemplo Gentium. Quod scilicet Deus indulgentes suis pravis affectibus in religionis negotio, in potestatem libidinis suæ, & impurorum spirituum judicialiter tradiderit, ut præter naturam Sodomitica & nefanda fœditate viri pariter & fœminæ, se infra bestias, sua non naturali libidine, quasi per compensationem abjicerent, qui in idololatria sua Dei gloriam ad similitudinem rerum creatarum, per sua figmenta depresserant.

Vers. 28. *Et sicut non visum est eis Deum in agnitione retinere*, ita *tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent quæ minimè conveniebat.*

Vers. 29. *Oppleti omni injustitia, malitia, scortatione, improbitate; avaritia: pleni invidia, cæde, contentione, dolo, malignitate:*

Vers. 30. *Susurrones, obloquutores. Dei osores, injuriosi, superbi, glorioси, inventores malorum, parentibus inobedientes,*

Vers. 31. *Intelligentia carentes, fœdifragi, charitatis expertes, implacabiles, immisericordes:*

Pergit in Gentium exemplo hominum injustitiam & Dei iram porro ostendere. Quod scilicet Deus repudiantes cognitionem sui, & non diguantes Dei notitiam, naturæ luce in operibus creationis omnibus conspicuam

ſpiciam, in animis ſuis retinere & fovere, juſtiſſimè tradiderit in mentem reprobam, ut communis judicii uſu & fructu privati, quaſi bruteſcerent, & amentes in omnia maleficia contra jura Gentium & naturæ, ſine omni rationis prætextu ruerent.

Oppleti] Ne putemus uni vitio obnoxios, recitat Apoſtolus catalogum vitiorum circiter vigintitrium, quibus *oppletos* nobis proponit homines ſibi relictos.

Omni injuſtitia] Id eſt, omni genere injuſtitiæ contra proximum.

Scortatione] Hoc nomine comprehendit omnem illicitum concubitum viri cum fœmina.

Malitia] Id eſt, nocendi ſtudio cum fraude & labore conjuncto.

Improbitate] Id eſt, animi perverſitate palam ſe prodente.

Malignitate] Id eſt, morum aſperitate & difficultate.

Suſurrones] Quales ſunt qui proximos occultè mordent, eo fine ut ſolvant amicitiam.

Obloquutores] Quales ſunt qui aliorum famam apud quoſvis lacerant.

Dei oſores] Quales ſunt qui (ex mala conſcientia) non ſuſtinent quicquam de DEO audire.

Contumelioſi] Quales ſunt feroces, qui alios per vim opprimunt.

Glorioſi] Quales ſunt jactabundi.

Inventores malorum] Quales ſunt qui nova peccandi genera excogitant.

Deſipientes] Quales ſunt qui ſine prætextu rationis ut bruta feruntur, quo libido alia atque alia trahit.

Verſ. 32. *Qui Dei jure agnito, (*nempe *eos qui talia faciunt, dignos eſſe morte) tamen non ſolùm ea faciunt, ſed etiam cum iis qui ea faciunt conſentiunt.*

Ultima injuſtitiæ hominum, in ira DEI ſibi juſtè derelictorum demonſtratio, & exaggeratio triplex; *Prima* eſt, Quod ſceleribus prædictis operam dèderint contra conſcientiæ dictamen; Sciebant ea flagitia DEO diſplicere. *Secunda* eſt, Quod contra agnitum DEI judicium, & notum peccatorum meritum, peccarint: Sciebant morte dignos eſſe, qui talia patrarunt. *Tertia* eſt, Quod non ſolùm ea, & talia ipſi fecerint, ſed etiam talia patrantes non ſilentio ſolùm, ſed & ſuo conſenſu, adulatione, & autoritate confirmarint, iiſque patrocinati ſint. Hæc eſt ſapientiſſimorum hominum extra CHRISTUM conditio, qui tantùm abſunt à juſtitia operum, ut

rum, ut nihil possint nisi principiis justitiæ cognitis abuti, iram DEI in se provocare, sequi omni genere pollutionum, ad perditionem extremam magis magisque contaminare.

Caput secundum.

HOC Capite affertur tertium argumentum ad thesin probandam, de justitia non per opera, sed per fidem: quod proponitur versu primo & secundo, reliquo verò capite sublatis è medio objectionibus, confirmatur.

Vers. 1. *QVapropter inexcusabilis es O homo quisquis* alterum *damnas: nam hoc ipso quod damnas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis* tu *qui* alium *damnas.*

Vers. 2 *Scimus verò judicium Dei esse secundum veritatem adversus eos qui talia agunt.*

Tertium argumentum contra justificationem ex operibus, ab omnium hominum αὐτοκαταχρίσει, deductum ex superioris Capitis versu novissimo. Omnis homo (damnando alios, & eadem faciendo quæ ipse damnat) suopte judicio sine excusatione condemnatur. Ergo tantùm abest ut ullus ex operibus justificetur, ut contra ex eis, omnis homo condemnetur.

Additur versu secundo ratio antecedentis, quia DEI *judicium justum est*, & secundum facti meritum condemnat omnem peccatorem, judicantem pariter & judicatum. Ergo qui secundum DEI judcium damnat alium mortis ob peccatum, damnat etiam seipsum talia agentem.

Vers. 3. *Cogitas autem hoc, O homo, qui damnas eos qui talia faciunt, & facis ea, fore ut tu effugias judicium Dei?*

Hoc argumentum reliquo capite confirmatur, sublatis quatuor objectis pratextibus, quibus possent homines vim argumenti eludere.

Prima objectio, est judicii Divini contemptoris securi, qui alios peccatores judicat, & sibiipsi impunitatem pollicetur, quia hactenus ipsi DEUS pepercit & benefecit; Non metuo mihi inquit a DEI judicio. Refutat Apostolus objectionem, & rejiciendam probat hanc sententiam rationibus sex.

Prima

Prima ratio, Quod istiusmodi cogitatio sit inanis & stolida, nam *putasne &c.* idem valet quod, *frustra putas fore ut effugias judicium Dei.*

Vers. 4. *An divitias benignitatis ejus & tolerantiæ ac lenitatis contemnis, ignorans te benignitate Dei ad resipiscentiam deduci?*

Contemnis] *Ratio* 2. Quod hæc cogitatio prodat contemptum & abusum divitis benignitatis, tolerantiæ, & lenitatis DEI, cum quis, quia DEUS hactenus ipsi pepercit, pergit in peccato, & spem impunitatis concipit.

Benignitas] *Ratio* 3. Quod DEI benignitas invitare & movere debeat ad resipiscentiam, non ad pergendum in peccato, ex spe impunitatis.

Vers. 5. *Sed pro duritia tua & corde quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi ipsi iram in diem iræ & patefactionis justi judicii Dei:*

Duritia] *Ratio* 4. Quod istiusmodi cogitatio sit proprij cordis obduratio in peccatis, & obfirmatio ne possit resipiscere.

Thesaurum] *Ratio* 5. Quod securus judicij contemptor accumulet sibi quendam pœnarum thesaurum, apud justitiam DEI, in tempus illud ultimi terribilis judicij, quo thesaurus ille pœnarum universus super ipsum in DEI ira justissima apertè effundetur.

Vers. 6 *Qui reddet unicuique secundum opera ipsius:*

Vers. 7. *Iis quidem qui secundum patientem expectationem quærunt boni operis gloriam & honorem & immortalitatem, vitam æternam:*

Vers. 8. *Litigiosis verò, & veritati quidem non obedientibus, obedientibus autem injustitiæ* erit *excandescentia & ira:*

Vers. 9. *Afflictio* inquam *erit & angustia adversus omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi in primis, tum etiam Græci:*

Vers. 10. *Gloria verò & honor & pax* erit *cuivis operanti bonum, tum Judæo in primis, tum & Græco.*

Ratio 6. Quod DEUS unicuique redditurus sit in die judicij secundum opera ipsius bona vel mala, præmia ex gratia, vel pœnas ex justitia; nempe vitam æternam perseverantibus spe præmij in veritatis obedientia,

versu 6. 7. Et præter iræ signa in hac vita, etiam mortem æternam post hanc vitam, sicut iratum DEUM infligere æquum est veræ doctrinæ, seu veritatatis adversariis, & injustitiæ mancipiis, *versu* 8. Confirmat hanc rationem, quod DEUS in infligendis pœnis, nullam nationis, vel adjunctorum externorum, rationem sit habiturus, sed impio Judæo, qui primas habebat in DEI beneficiis, primas etiam sit tributurus in pœnis: & impio etiam Ethnico, seu Gentili, meritas animæ & corporis pœnas inflicturus. *versu* 9. Similiter in remuneratione, quod sine discrimine nationum, sit glorificaturus (*id est*, donis omnibus quæ hominem ab externo perficiant, qualia sunt *gloria* & *honor*, & ab interno (quæ *pace* significantur) cumulaturus Judæum pium & probum, secundum omnia privilegia quæ Genti illi fecerat, & Gentilem seu Ethnicum pium & probum, suo quoque loco, vita æterna coronaturus, *versu* 10. Unde sequitur falli eum, qui spem impunitatis fovet, quia hactenus DEUS ipsi pepercit.

Vers. 11 *Non enim est personarum respectus apud Deum.*

Confirmat superiorem rationem à DEI æquitate seu ἀπροσωπολημψία; simul etiam occurrit secundæ objectioni, contra districtum DEI judicium in peccatores, versu secundo propositum. *Objiceret aliquis*; At in executione judicii ratio habenda est cum Ethnici qui extra Ecclesiam degit, sine legis seu doctrinæ DEI cognitione; tum etiam Judæi, qui discipulus est DEI, & auditor legis, absit ut vel ille, vel hic pereat; nam injustum esse videtur utrumque, etiam si peccatores sint. Refutat objectionem, & perire æquum esse probat quemvis peccatorem, *quinque rationibus.*

Prima ratio. Quia apud DEUM non est personarum acceptio, ut perseverantes in peccato, sive Gentiles sive Judæos, eximat à perditione propter rationem aliquam, quæ personam, non causam attingit. Et hic observandum quod peccatorem Judæum & Gentilem extra CHRISTUM æquet DEUS, non in pœnarum gradibus, sed in mortis æternæ reatu tantùm, quo pariter tenentur omnes peccatores, licet non in pari gradu.

Vers. 12 *Quicunque enim absque Lege peccaverunt, absque Lege quoque peribunt: & quicunque cum Lege peccaverunt, per Legem damnabuntur.*

Ratio 2. confirmans & explicans priorem, quia quicunque sine lege (scripta scilicet) peccarunt, adversus legem, cordi per naturam inscriptam

ptam, etiam per eandem legem innatam, sine lege scripta peribunt, ex justitiæ dictato. Et quicunque in lege, seu in legis scriptæ notitia peccaverunt; per sententiam etiam legis scriptæ damnabuntur. Idcirco sine personarum acceptione æquum est ut pereant quivis peccatores.

Vers. 13. *Nonenim qui audiunt Legem, justi sunt apud Deum, sed qui Legem præstant, justificabuntur.*

Ratio. 3. Potissimum militans adversus judæos, Quia secundum justitiæ regulam, non possunt pro justis haberi apud DEUM, qui auditores sunt legis, nisi etiam legem perfectè præstiterint; quod quia neque Judæi neque Gentes præstare possunt, neque eximi per consequens à merita perditione possunt, sed contra Judæi potissimùm, qui auditores sunt legis, & eam non præstant, digni sunt perditione maximè.

Vers. 14. *Nam quum Gentes, quæ Legem non habent, naturaquæ Legis sunt faciant, isti Legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex.*

Vers. 15. *Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus)*

Ratio 4. Militans adversus Gentes potissimùm; quia Gentes etiam si non habeant legem scriptam, habent tamen legem innatam, & natura faciunt aliqua externa opera legis, licet non habeant scriptam legem, ipsis tamen innata lux, lex est, & ea quidem reipsa & opere in cordibus ipsorum scripta, sicut testatur in ipsis conscientia, accusans in malefactis, & excusans in recte factis. Idcirco nihil habent quod obtendant quominus meritam damnationem subeant, cum peccant, multò minus Judæi.

Vers. 16. *In die quo judicabit Dominus de occultis hominum, ex Euangelio meo, per Iesum Christum.*

Ratio 5. Quia in die judicii, DOMINUS occulta cordium proferet, & secundum hanc meam in Euangelio doctrinam, justam esse perditionem peccantium pronunciabit, sive ij ex Gentibus sint, sive ex Judæis. Idcirco non possunt excusari qui peccant, quin merito suo jure pereant.

Vers. 17. *Ecce, tu cognominaris Judæus, & acquiescis in Lege, & gloriaris in Deo.*

Vers. 18

Vers. 18 *Et nosti* ejus *voluntatem, & exploras quæ discrepant, institutus ex Lege.*

Vers. 19. *Confidisque teducem esse cæcorum, lucem eorum qui sunt in tenebris,*

Vers. 20. *Eruditorem insipientium, magistrum infantium, quod habeas informationem cognitionis ac veritatis in Lege.*

Tertia objectio. At aliquid dandum saltem Judæorum privilegiis,& professioni, ne in condemnationem veniant pariter cum Gentibus; Et hic cum justitiæ operum patrono aliquo, legis videlicet doctore Coryphæo congreditur, producitque in medium septem fulcra inanis ipsius fiduciæ, per concessionem illi largiens omnia. *Primum* quod ei concedit est externus honor DEI cultoris, & confessoris. *Tu cognominaris Judæus*, quod nomen erat non nationis tantùm, sed & religionis veræ, confessoris. Secundum est, submissio animi erga doctrinam Legis, *Tu acquiescis in lege*, & applaudis seu gratularis tibi de ea,tanquam insigni beneficio. *Tertium est, gloriatio in Deo*, quod scilicet esset de populo Electo præ omni aliâ natione, & cum DEO fœderato. *versu.* 17. *Quartum*, Est notitia voluntatis DEI ex lege accepta, *Quintum*, Est judicium boni & mali, & rerum discrepantium ac controversarum beneficio Ejusdem legis. *versu.* 18. *Sextum.* Est confidentia de scientiæ tanta copia,& certitudine, ut possit alios docere. *Septimum* est,quod habeat idæam formatam & exemplar expressum, in unum collectum, omnis illius cognitionis & veritatis quæ sparsim in lege seu doctrina sacra continetur, ita ut omnes alii præ *Rabbi* hoc nostro, infantes & insipientes sint, *versu.* 19. 20.

Vers. 21. *Qui igitur doces alium, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris?*

Vers. 22. *Qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium admittis?*

Vers. 23. *Qui de Lege gloriaris, per Legis transgressionem Deum dedecoras?*

Respondet Apostolus ad objectionem, & his omnibus concessis non sufficere ista ad justitiam ostendit, duabus rationibus. *Prima ratio*, Quia te ipsum inquit non doces, *id est*, doctrinam tuam facto non ostendis, doctrinæ vim factis tuis non imprimis, sed vel te polluis iisdem vitiis quæ vetas vel

tas, vel similibus. Idcirco non sufficiunt ista ut eximaris è condemnatione.

Vers. 24. *Nam dei nomen propter vos blasphematur in Gentes, sicut scriptum est.*

Ratio 2. confirmans superiorem, Quia vestra culpa Gentes male de Deo loquuntur, quasi vitiosos cultores habeat, vel ferat. Nihil ergo recitata privilegia ad justitiam faciunt.

Hanc rationem confirmat testimonio *Ezekielis*, 36. 22. qui de sui temporis hypocritis in iisdem privilegiis gloriantibus conqueritur.

Vers. 25. *Nam circumcisio quidem prodest si Legem observes; quòd si transgressor Legis fueris, circumcisio tua facta est præputium.*

Quarta objectio. At propter fœdus Dei cujus sigillum est circumcisio; non peribo ego, qui circumcisus sum, inquit Judæus externæ ceremoniæ confidens.

Respondet Apostolus, & probat circumcisionem non eximere è condemnatione, vel morte, 4. rationibus:

Prima ratio, Quia circumcisio si jungatur cum perfecta obedientia omnium mandatorum reliquorum, si fieri posset, prodesset quidem ut pars obedientiæ ad justificationem per opera, pro qua decertabat Judæus; sed si inveniatur in circumciso transgressio legis, perinde se habebit ad justitiam operum circumcisio & præputium. Idcirco non eximit circumcisio è damnatione.

Vers. 26. *Itaque si præputium jura Legis observet, nonne præputium illius pro circuncisione reputabitur?*

Ratio secunda, Quia Gentilis præputium conjunctum cum Legis perfecta obedientia, si fieri posset, pari loco habebitur, ac Judæi circumcisio; siquidem ad justificationem per opera nihil requirit Deus præter moralis Legis perfectam observationem. Idcirco non eximit circumcisio è condemnatione.

Vers. 27. *Et quod est ex natura præputium, si Legem servet, damnabit te, qui per literam & circuncisionem, es transgressor legis?*

Ratio 3. Quia Gentilis natura & genere præputium habens, si possibile esset ut Legem moralem servaret, tecum qui circumcisus es externè, &

es transgressor Legis, in judicio comparatus, teipso judice, argueret te condemnatione dignum. Idcirco non eximit circuncisio è condemnatione.

Vers. 28. *Non enim qui est in propatulo* Judæus, *Judæus est*: *nec ea quæ est in propatulo* circuncisio, id est, *in carne, circuncisio* est.

Vers. 29. *Sed qui in occulto Judæus* est *& circuncisio cordis*, id est, *in spiritu, non litera*: *cujus* Judæi *laus non* est *ex hominibus, sed ex Deo.*

Ratio 4. Quia neque externa professio veræ religionis, inter Judæos olim per DEUM erectæ, pro *vera* professione religionis veræ, neque circuncisio carnis externa, pro *vera* circumcisione est habenda, *versu* 28. Sed ille est veræ religionis *verus* professor, qui in *spiritu* est talis: Et illa est *vera* circumcisio quæ est *cordis*, quæ est spiritualis in interiori anima, & non quæ est in externo corpore, quæque in litera externa, seu titulo communi appellatur circumcisio. Qui verus Judæus, seu quæ vera circumcisio spiritualis, laudem & commendationem habet, non apud homines, qui non vident nisi quæ foris sunt conspicua, sed apud DEUM, qui cor intus intuetur. Idcirco non perficit externa circumcisio justitiam, nec eximit è condemnatione quænquam, *versu* 29.

Caput tertium.

Capitis duæ sunt partes: *In prima solvit quinque objectiones adversus præcedentem doctrinam, ad versum 9. In secunda pergit in probanda Thesi, de justificatione non per opera, sed per fidem.*

Vers. 1. *Quæ est igitur prestantia Judæi; aut quæ utilitas circuncisionis?*

Vers. 2. *Multa per omnem modum, Primarium enim* illud est *quod eis credita sunt eloquia Dei.*

Prima objectio est, Ex hac doctrina diceret aliquis nulla est Judæi prærogativa præ Gentili, nulla circumcisionis utilitas, *versu* 1. Respondet *versu* 2. hoc imprimis, & præcipuè esse Judæis privilegium, Quod fœdere

icto

icto cum Judæis, huic genti custodia Scripturarum sacrarum, *id est*, tabularum fœderis à DEO concredita sit, & Judæi depositarii constituti, quod erat singulare beneficium & eximius honor.

Vers. 3. *Quid tum enim si infidi fuerunt quidam; num ipsorum infidelitas, fidem Dei cassam reddet?*

Secunda objectio, At per te exciderunt illo honore, quia non crediderunt eloquiis DEI, & sic fides DEI illis data in fœdere irrita reddita est. Respondet quatuor modis,

Primo, Non sequi fideles DEI promissiones factas huic genti, inanes esse, quia aliqui ex iis increduli erant.

Vers. 4. *Absit: imo esto Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est, Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas quando tu judicas.*

Secundo, Respondet abominando objectionem, Quia absurdum est fingere DEUM posse fidem fallere.

Tertio, Respondet posita verissima sententia in contrarium, Quod nimirum tenendum sit DEUM semper esse veracem, omnem autem hominem natura sua mendacem esse.

Quarto, Respondet hominum peccata & mendacia à DEO non impedire, quin DEUS præstet promissa, ut potius illustriorem faciant ejus veritatem, misericordiam & justitiam, Quia quantò plura & graviora sunt hominum peccata, tanto illustrior DEI justitia cum punit, & misericordia & veritas cum parcit. Quod confirmat ex *Psal* 51. *vers.* 4. ubi David in confessione peccatorum suorum commendat DEI veritatem, docetque DEUM semper victorem in causa pronunciandum, quoties quisquam de ejus factis vel dictis disputationem contra ipsum suscipit.

Vers. 5. *Quòd si injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus; num injustus Deus, qui inferat pœnam (humano more loquor.)*

Objectio 3. Ex verbis Psalmi in blasphemiam detortis, Si nostra peccata illustrant DEI justitiam, tum injustus videtur DEUS, qui vindicat peccata, quibus ipse glorificatur. Hæc objicit Apostolus in persona hominis DEUM ignorantis.

Vers. 6. *Absit. alioquin quo modo judex erit Deus mundi?*

Respondet *primo*, rejiciendo objectionem tanquam blasphemiam, *Absit*, inquit.

Secundo respondet, rationem reddendo rejiciendi objectionem, Quia impossibile est DEUM, qui est mundi judex, esse injustum.

Vers. 7 *Etenim si veritas Dei per meum mendacium redundavit in gloriam ipsius, cur amplius ego ut peccator condemnor?*

Vers. 8 *Ac non (sicut de nobis male loquuntur, & sicut quidam aiunt nos dicere) faciamus mala ut veniant bona? quorum damnatio justa est.*

Objectio 4. urgens superiorem, Si per meum peccatum, verbi gratia, mendacium, DEI veritas magis glorificatur, non tantùm non condemnandus sum peccati, sed etiam studendum peccato, ut gloria DEO major cedat. Pro responsione ostendit *primo*, calumniatores affirmare, sed falsò, hanc esse apostolorum doctrinam, *ut faciamus mala, eo fine ut eveniat bonum.*

Secundo Respondet & calumniatores istiusmodi, & eos qui docent vel sequuntur hanc doctrinam, facientes malum, ut eveniat bonum, justè damnari à DEO.

Vers. 9. *Quid igitur præcellimus? nullo modo: nam ante criminati sumus & Judæos & Græcos omnes esse sub peccato.*

Objectio 5. At per te non adhuc præcellimus nos Judæi Gentilibus, scilicet in negotio justificationis per opera, quæ principalis est quæstio.

Respondet hoc respectu, nullo modo præcellere Judæum Gentili, & rationem reddit, Quia hactenus probavimus, inquit, & Judæos & Græcos esse sub peccato.

Secunda Pars.

SEcunda pars Capitis in qua redit ad disputationem prosequendam de justificatione non per opera, sed per fidem.

Vers. 10. *Sicut scriptum est, Non est justus, ne unus quidem:*

Vers. 11. *Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.*

Vers. 12. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum*

Argument.

Arg. 4. de justificatione non per opera sed per fidem. Scriptura testatur omnes homines esse sub peccato & obnoxios condemnationi, ad *versum* 20. Ergo nullus ex operibus legis justificatur, *versu.* 20.

Scripturæ testimonia sunt *Sex. Primum* ex *Psal.* 14. *versu.* 1, 2, 3. & *Psal.* 53. *versu.* 1, 2, 3. ubi Propheta loquens de irregenitis sui temporis, & omnibus quoàd statum naturalem extra CHRISTUM, pronunciat: *Primo.* Neminem esse justum, *versu* 10. *Secundo,* Omnes esse cæcos & ignaros rerum, quæ ad salutem faciunt *Tertio,* Nullos esse qui DEUM cognoscendi, DEUM colendi, aut habendæ cum ipso communionis desiderio tangantur, *versu* 11. *Quarto,* Omnes tenaces esse apostasiæ originalis à DEO, & a cognita ejus voluntate: *Quinto.* Omnes inutiles, putridos, & abominabiles factos esse ob fæditatem scelerum: *Sexto,* Nullum esse ex hominibus irregenitis scilicet, qui ullum faciat bonum, & per consequens, nullum esse qui quantum quantum facit, non faciat malum & malum tantum; nam etiam cum opus mandatum facit, non mandanti DEO, sed sibi servit, & suis idolis sacrificat irregenitus.

Vers. 13. *Sepulchrum apertum guttur eorum: linguis suis ad dolum usi sunt; venenum aspidum sub labiis eorum;*

Secundum testimonium est ex *Psal.* 5. 9. In quo David, in typo inimicorum suorum; omnes irregenitos, seu DEO non reconciliatos, damnat cordis corruptissimi, unde nihil nisi fætidum & DEO abominabile prodeat, adeo ut guttur uniuscujusque sit instar sepulchri recens aperti, tetrum ac pestiferum fætorem pravarum cogitationum exhalantis, ex quorum ore nihil nisi pestilentes, noxii & dolosi sermones exeant.

Venenum] *Tertium* testimonium ex *Psal.* 140. 3. In quo idem confirmatur de Davidis inimicis, qui typi erant non reconciliatorum DEO per CHRISTUM, seu irregenitorum hominum, Quod scilicet semper parati sint, venenata dicta, non minus nocentia quam virus aspidum ex oris pharetra depromere.

Vers. 14. *Quorum os diris & amarulentia plenum est:*

Quartum testimonium ex Psal. 10. 7. in eundem sensum, in quo Psaltes de homine naturali conqueritur, Quod os plenum execrationibus, & calumniis refertum habeat, quibus & DEI gloria, & proximorum fama, lædatur.

Vers. 15.

Vers. 15. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*
Vers. 16. *Contritio & calamitas in viis eorum.*
Vers. 17. *Et viam pacis non cognoverunt.*

Quintum testimonium ex Psal. 59. 7, 8. In quo irregeniti pronunciantur rei sævitiæ, violentiæ, oppressionis & homicidii, qui nihil aliud quam miseriam, & perditionem, sibi aliisque, in toto vitæ suæ curriculo procreant, quique à ratione, vel pacem, vel boni quidvis procurandi sibi vel aliis, alieniſſimi sunt.

Vers. 18. *Non est timor Dei coram oculis eorum.*

Sextum testimonium ex Psal. 36. 2. in quo ex factis damnantur omnes irregeniti profanitatis & contemptus Dei, nam cum vacui sint timore Dei, nihil est quod prohibeat quominus in omnia scelera præcipites ruant.

Vers. 19. *Scimus autem, quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.*

Occurrit objectioni, & ne quis elideret ictum testimoniorum allatorum, quasi pertinerent ad paucos aliquos, & certos impios, qui temporibus Davidis aut Isaiæ vivebant, ostendit taxari hic commune ingenium omnium, qui sub lege seu fœdere operum vivunt, & non sub gratia, proindeque legis sententias has prolatas, ad omnes homines in corruptæ naturæ statu constitutos, maximè vero ad Judæos dirigi; unde infertur triplex Conclusio, *Prima*, Hinc omne os obturatur, ne quis in se glorietur, aut se excuset in Dei judicio.

Altera conclusio, Hinc totus mundus obnoxius redditur condemnationi, & obstrictus ad pœnam.

Vers. 20. *Propterea ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus, per Legem enim agnitio peccati.*

Tertia conclusio & principalis ex testimoniis citatis illata, Ergo ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu Dei: nam quin aliqui justificentur coram *hominibus* ex operibus, nihil obstat.

Per Legem enim] Arg. 5. Ad idem probandum serviens, Omnes homines per legem peccati convincuntur & damnantur; nam per legem est agnitio pecca-

titio peccati uniuscujusque, non acquisitio justitiæ cuiquam; Ergo nullus ex operibus legis justificatur.

Vers. 21. *Nunc verò absque Lege justitia Dei patefacta est, comprobata testimonio Legis ac Prophetarum.*

Vers. 22. *Justitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt: non enim est distinctio.*

Arg. 6. Ad partem thesis affirmativam faciens. Nunc in Euangelio patefacta est justitia DEI sine legis operibus, comprobata testimonio scripturarum, ea scilicet justitia DEI quæ omnibus credentibus datur & imputatur per fidem apprehendentibus oblatam justitiam IESU CHRISTI, sine discrimine nationum aut personarum. Ergo per solam hanc justitiam DEI, quæ est per fidem in CHRISTUM, justificamur. Valet argumentum, nam si per legis opera non possumus justificari, & tamen alia invenitur ratio nos justificandi, nempe ea quam in *Lege* & *Prophetis* DEUS nobis commendat, ut, *E. g.* cum dixit in lege, *In semine Abrahami benedicentur omnes Gentes*: & in Prophetis; *Justus ex fide vivet*, æquum est ut per hanc posteriorem rationem solam justificari nos credamus.

Deinde, cum justitia duplex tantum concipi possit, una quæ vocatur legis, seu operum, seu inhærens, seu propria hominis operantis justitia: alia quæ vocatur Euangelii, seu fidei, seu aliena imputata, seu CHRISTI, & DEI donantis justitia qua DEUS ex pacto judicali, transfert justitiam, CHRISTI obedientia comparatam, in omnes credentes; post exclusam primam illam justitiam, seu justificandi rationem, quia illa jam est impossibilis, necessario admittenda est altera, quæ commendatur nobis in scriptura veteri, revelatur nunc in Euangelio, seu Novo Testamento, & sola est possibilis, sola DEO accepta, & sola DEI justitia dici meretur.

Vers. 23. *Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloria Dei.*

Vers. 24. *Ut qui justificentur gratis*, id est, *ejus gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo:*

Arg. 7. Quo ostenditur communis morbus omnium hominum, sic etiam communis remedii necessitas: Omnes homines sine exceptione peccarunt, & jure excluduntur à gloria DEI, seu vita æterna. Ergo omnes non aliter justificantur quam gratis, seu divina gratia per redemptionem factam in CHRISTO, hoc est, non aliter justificari possunt, quam

per fidem

per fidem in CHRISTUM Redemptorem, qui sanguine suo justitiam, & salutem emit nobis, & tanto pretio emptam, nostram facit gratis, ex gratia.

Vers. 25. *Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ, prætereundo peccata quæ antecesserunt, in* illa *Dei tolerantia.*

Vers. 26, *Ad demonstrationem justitiæ suæ præsenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui* est *ex fide Iesu.*

8. Arg. Proposuit DEUS CHRISTUM, ut esset placamentum, seu sacrificium propitiatorium quo placatur ira DEI, in omnes qui per fidem ipsum apprehendunt. Ergo non nisi per fidem in CHRISTUM offerentem hoc placamentum, & sanguinantem, possibile est hominem justificari, nisi rationem sui placandi mutaret DEUS.

Ad demonstrationem] Arg. 9. DEUS præsenti hoc tempore Euangelii proposuit CHRISTUM placamentum iræ suæ, per fidem ipsum amplectentibus, ut in hac justificandi ratione manifestaretur justitia ipsius in tempore præterito, in tolerantia & remissione peccatorum præteritorum, quæ ab initio mundi toleravit & remisit! Quod scilicet DEUS suorum peccata nec toleraverit, nec remiserit unquam, nisi propter futurum propitiatorium sacrificium CHRISTI, Ideoque sine justitiæ suæ violatione. Ergo hæc justificandi ratio non minus tenenda quam justitiæ DEI gloria manifestanda est: Res patet. Nam si justificatio per fidem in sanguine CHRISTI ostendit DEUM nunquam remisisse peccata, nisi ob satisfactionem factam suæ justitiæ per CHRISTI sanguinem; Certè celatam vellet DEI justitiam, qui aliam justificandi rationem quam per fidem statuit.

Vt ipse sit justus] Hoc argumentum confirmat, quod DEUS proposuerit CHRISTUM, ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius, non solum ut declararet se esse justum in promisso Messia mittendo, propter quem gratis simul & justè peccata remitteret, sed etiam ut se veræ justitiæ autorem esse & largitorem, nobis omni justitia propria destitutis & credentibus in IESUM CHRISTUM, ostenderet. Ergo hæc justificandi ratio per fidem, non minus tenenda est, quam justitiæ, fidelitatis, & bonitatis DEI gloria in justificandis fidelibus declaranda est.

Vers. 27. *Vbi igitur gloriatio? exclusa est: Per quam legem? operum? Non: sed per legem fidei.*

Vers. 28.

Vers. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus Legis.*

Arg. 10. Quia *per legem fidei*, seu fædus gratiæ, quod fidem requirit ad justificationem per justitiam alienam; excluditur gloriatio hominum in se, & *non per legem operum*, seu fædus operum, quod operum perfectionem exigit, & gloriandi materiam in justitia inhærente hominibus suppeditat. Idcirco concludimus (inquit) fide justificari hominem absque operibus legis. Valet argumentum, Quia si homines justificarentur per opera sua, & inhærentem justitiam, possent gloriari causam meritoriam justificationis suæ esse in seipsis; sed qui justificantur fide, coguntur suæ justitiæ inhærenti renunciare, & totam fiduciam suam in CHRISTI unius justitiæ imputatione, & DEI gratia sola collocare.

Vers. 29 *An Deus Judæorum solum? annon & Gentium certè & Gentium.*

Vers. 30. *Quandoquidem Deus unus* est *qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.*

Claudit hanc disputationem solutione duarum quæstionum, quarum solutio doctrinæ præsenti lucem affert: Prima quæstio est, Sitne hæc justificandi ratio per fidem, communis & Judæis & Gentibus? Cui respondet, Quod communis sit utrisque, cujus rationem addit, quia DEUS justificatorum est unus, Idcirco unam oportet esse rationem justificationis omnium, scilicet ex fide, seu per fidem. Nam si una ratione justificaret Judæos, alia ratione verò Gentes, videretur DEUS à se dissidere in negotio justitiæ & salutis communicandæ peccatoribus, Judæis & Gentibus, quod absurdum est.

Vers. 31. *Legem igitur cassam reddimus per fidem? Absit: imò Legem stabilimus.*

Altera quæstio est, An doctrina fidei seu justificationis per fidem, reddat legem inanem seu otiosam, & frustra datam, dum negat justificari homines per legem? Respondet Legem minimè inanem reddi, sed stabiliri potius per fidei doctrinam. Nam fides, seu fidei doctrina stabilit Legem tribus modis; *Primò*, respectu comminationum, ostendendo CHRISTUM mortuum esse ex Legis sententia, ut Legi satisfaceret, & nos morti esse obnoxi-

os, nisi liberemur per CHRISTUM à morte. *Secundo*, Respectu præceptorum, quia Legis obedientiam perfectam demonstrat jam præstitam, in CHRISTI justitia. *Tertio*, Fides Legem stabilit, respectu Fidelium, quia fide justificati, virtute CHRISTI novam obedientiam inchoant, qui ante justificationem per fidem, nihil nisi peccare poterant.

Caput quartum.

AD Caput usque duodecimum Apostolus hanc divinam justificationis rationem per fidem, absque operibus illustrat, commendat, & porro plurimis argumentis confirmat. Nos facilioris Methodi causa confirmationem hujus doctrinæ facimus sextuplicem.

Prima Confirmatio *Justificationis per fidem, quæ hoc Capite continetur, est ab exemplo Abrahæ potissimum, cujus justificandi ratio communis est, & Judæis & Gentibus, & cujus fides nobis omnibus in exemplar à Deo proposita est.*

Capitis partes tres sunt: In prima, *exemplum justificationis Abrahæ proponitur, ad versum 9. In* secunda, *Justificationis rationem hanc probat communem esse Judæis, & Gentibus, ad versum 18. In* tertia, *Fides Abrahæ commendatur, in usum Credentium, ad finem.*

Vers. 1. *QUid igitur dicemus Abrahamum patrem illum nostrum nactum esse secundùm carnem?*

Quod ad exemplum attinet justificationis Abrahæ, sub forma interrogationis, negat Abrahamum consecutum fuisse justificationem per carnem, seu opera legis, seu per inhærentem justitiam, quæ *caro* dicitur, *Galat.* 3. *versu* 3. respectu spiritualis justitiæ CHRISTI. Unde sequitur neminem justificari operibus.

Vers. 2. *Nam si Abrahamus ex operibus justificatus fuit, habet de quo glorietur, at non apud Deum.*

Hanc Thesin de Abrahamo confirmat quinque rationibus: *Prima* ratio, Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud DEUM, supple habet quod glorietur. Ergo non apud DEUM justificatus

catus est ex operibus. Valet argumentatio, Quia gloriatio in nobisipsis, non tollitur per legem operum, sed per legem fidei, *Rom.* 3. 27. Nam in quæstione apud homines, an Abraham sit justus, proferre potest Abraham opera sua, & gloriari, dicens, Ego ostendam tibi opera mea, & ita apud homines justificabitur, seu pro justo reputabitur ex operibus: At in quæstione, an sit justus coram DEO, renunciare oportet eum suis operibus, & confugere ad promissionem benedictionis in CHRISTO, ipsius semine venturo, ut justificetur ex fide in CHRISTUM solâ.

Vers. 3. *Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum est ei ad justitiam.*

Ratio 2. Scriptura testatur, *Genes.* 15. 6. Abrahamum justificatum esse ex fide, seu ex fide imputatam fuisse ei justitiam. Ergo non ex operibus, sed ex fide justificatus est.

Vers. 4. *Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito.*

Ratio 3. Mercenario operanti, seu justitiam ex operibus quærenti, merces non potest esse gratuita, sed ex debito, seu ex merito tribuenda est: Assumere licet, At Abrahamo merces imputata erat ex gratia. Ergo Abraham non erat mercenarius, seu qui justificationem ex operibus quærebat.

Vers. 5. *Ei verò qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.*

Ratio quarta, in hunc sensum, Ei qui non est mercenarius, sed renuncians justitiæ propriæ, credit in DEUM, qui impium, ad CHRISTUM fugientem scilicet, justificat gratis, fides sua imputatur ad justitiam. Assumere licet, At talis erat Abrahami. Ergo Abraham non est justificatus ex operibus coram DEO, sed fides ei imputata est in justitiam; seu, Benedictio promissa in CHRISTO venturo, fide recepta per Abrahamum, ei imputata est in justitiam.

Vers. 6 *Sicut etiam David declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus*: dicens,

Vers. 7. *Beati quibus remissæ sunt legis transgressiones, & quorum tecta sunt peccata,*

Vers. 8. *Beatus vir cui non imputarit Dominus peccatum.*

Ratio 5. David testatur in Psal. 32. 12. felicitatem dari ei cui justitia imputatur absque operibus, & cujus justitia consistit, non in bonis operibus, sed in remissione peccatorum, seu malorum operum. Ergo talis fuit justificatio Abrahami necessariò: consistens scilicet, non in operum ejus perfectione, sed in remissione ipsius peccatorum. Idem intellige de justificatione omnium, quod jam ostendit Apostolus.

Vers. 9 *Ista igitur beatitatis declaratio in circumcisionem* solùm *an & in præputium* cadit? *Dicimus enim imputatam fuisse Abrahæ fidem ad justitiam.*

Secunda Pars.

SEcunda pars Capitis, in qua probat hanc justificationis Abrahami, & vitæ æternæ, seu beatitudinis obtinendæ rationem, per fidem scilicet, communem esse præputio, seu Gentibus, & circumcisioni seu Judæis. Proponitur quæstio hoc versu: cujus responsio sequitur reliquis versibus, dum probat communem esse Gentibus & Judæis.

Vers. 10. *Quomodo ergo imputata est? quum esset in circumcisione, an* quum *esset in præputio? non in circumcisione, sed in præputio.*

Probat hanc justificandi, & beatitudinis obtinendæ rationem, communem esse præputiatis, seu Gentibus, non minus quam circumcisis Judæis, septem argumentis. *Primum* argumentum, à statu incircumcisionis in quo erat Abraham, cum justus pronunciatus est, ut patet ex historia *Genes.* 15. 6. Imputata est Abrahamo justitia per fidem, cum adhuc esset incircumcisus: Ergo hæc justificationis ratio communis est, etiam incircumcisis credentibus.

Vers. 11. *Et signum accepit circuncisionis* quod esset *sigillum justitiæ fidei receptæ in præputio: ut esset pater omnium credentium in præputio, imputata etiam ipsis justitia:*

Vers. 12. *Et pater circuncisionis, iis* videlicet *qui non solùm sunt ex circuncisione, sed qui etiam incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.*

Arg. 2. Abraham à DEO signum accepit circumcisionis, ad obsignandum fœdus gratiæ, seu justitiam fidei, quam habebat incircumcisus, in eum finem, ut pater esset Fidelium incircumciſorum, pariter & Circumciſorum, qui nempe & sunt filij carnis, & filij fidei Abrahæ. Ergo justitia fidei communis est circumcisis & incircumciſis fidelibus, seu sequentibus vestigia fidei Abrahami nondum circumcisi. Dicitur autem Abraham pater Credentium, eo quod sit primum eminens exemplum fidei, & justitiæ per fidem imputatæ, & exemplo suo autor omnibus ut credant.

Vers. 13. *Non enim per Legem promiſſio* cessit *Abrahamo aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.*

Probat Abrahamum patrem esse non nisi fidelium tantùm, incircumciſorum, pariter & circumciſorum, & simul addit *argumentum tertium*, Promissio facta Abrahæ & semini ejus, quod hæres futurus fuerit terræ Canaan in typo, & mundi & cœli in veritate, restitutus ad jus in Adamo deperditum, non obtigit ei per legem, seu ex conditione operum, sed obtigit ei per absolutam promissionem justificato jam per fidem, & fidei justitiam habenti. Ergo ejus filij non sunt ij qui sunt ex lege, quærentes scilicet justitiam ex operibus, sed ij soli qui sunt ex fide, quærentes justitiam ex fide, *id est*, omnes & soli credentes, circumciſi pariter & incircumciſi, quibus ex æquo communis est justitia fidei, & hæreditas promissa. Valet argumentum, nam si pater Abraham non est hæres mundi, nec habet justitiam nisi per fidem, Certè nulli sunt ejus filij præter fideles, qui ex fide habent justitiam, & ex justitia hæreditatem.

Vers. 14. *Etenim si ii qui ex Lege* sunt, *hæredes sunt, inanis facta est fides, & cassa reddita est illa promissio:*

Arg. 4. confirmans etiam superius, Si qui ex Lege sunt, seu qui quærunt justitiam ex operibus, filij essent Abrahæ, & hæredes vitæ, & participes justitiæ, tum fides inanis redderetur, & promissio vana: At hoc absurdum. Ergo qui ex lege sunt, hæredes non sunt, sed soli credentes filii sunt Abrahami, & hæredes vitæ & justitiæ. Valet argumentum, quia si ex fide & promissione datur justitia & hæreditas, dantur etiam gratuitò. Si autem ex operibus & lege dantur, tum ex debito & ex merito, non autem ex gratia. Meritum enim seu debitum tollit gratiam, & per consequens fidem & promissionem irritas reddit.

Vers. 15.

Vers. 15. *Nam Lex iram efficit : ubi enim non est Lex, ibi nec transgressio* est.

Arg. 5. Confirmans superius, Lex iram affert quærentibus justitiam ex operibus scilicet, id est in peccati reos, condemnationem & mortem pronunciat propter transgressiones, quæ nullæ essent si lex non esset. Ergo qui ex lege sunt, justitiæ & vitæ non sunt hæredes, sed soli & omnes qui ex fide sunt, incircumcisi pariter & circumcisi hæredes justitiæ & vitæ sunt.

Vers. 16. *Propterea ex fide* est hæreditas, *ut* sit *per gratiam ut firma sit promissio toti semini*: id est, *non solùm ei quod* est *ex Lege, verumetiam ei quod* est *ex fide Abrahami, qui est pater omnium nostrûm*,

Arg. 6. Eo ipso consilio, DEUS constituit ut hæreditas esset ex fide, ut appareat esse ex gratia, seu per gratiam. Ergo soli & omnes fideles incircumcisi, pariter & circumcisi sunt hæredes. Valet argumentum, quia fides & gratia commeant, mutuo se ponunt & tollunt, fides sola gratia nititur, solam gratiam amplectitur, gratia tantum credenti promittitur & datur ; Posito ergo quod hæreditas sit per gratiam, ponitur etiam quod sit per fidem, & posito quod sit per fidem, ponitur etiam quod sit per gratiam, & quod fideles soli sint ex gratia hæredes.

Ut firma] Arg. 7. Hæreditas est ex fide, & per gratiam, ex DEI consilio, ut promissio firma sit toti semini, non solum ei quod est semen Abrahæ ex lege naturæ, & simul fidem habet, hoc est circumcisis Judæis fidelibus, sed etiam ei semini quod non est ex lege naturæ seu carne, sed tantum ex fide Abrahæ, id est incircumcisis fidelibus inter Gentes : Ergo nisi promissionem justitiæ, & hæreditatis, ex conditione legis perficiendæ suspendentes, infirmam & incertam reddere vellemus, totum semen Abrahæ, seu omnes & soli credentes circumcisi & incircumcisi, sunt ex fide hæredes cum patre Abrahamo, qui secundum fidem pater est omnium nostrûm credentium ex Judæis & Gentibus. Res patet, quia lex seu conditio operum promissionem hæreditatis redderet infirmam, & prorsus incertam : siquidem quod à nobis & nostris operibus pendet firmum esse non potest, tum quia nos mutabiles sumus, tum quia conditio operum jam propter infirmitatem nostram est impossibilis. Sed quod ex gratia est,

Quod

Quod per fidem est, Quod in CHRISTO est, firmum est necessario. Quia nititur DEI immutabili benevolentia, & CHRISTI merito.

Vers. 17. *Sicut scriptum est, patrem multorum gentium constitui te) coram eo cui credidit*, *Deo* videlicet, *vivificante mortuos: et vocante quæ non sunt, tanquam sint*.

Tertia Pars.

TErtia pars Capitis, In qua commendatur fides Abrahami, in usum omnium fidelium, ut discant ejus exemplo magis magisque credere. Elogii seu commendationis fidei Abrahami rationes sunt sex.

Prima ratio, Quia Abraham (ob fidem suam scilicet) DEI oraculo & speciali sententia, declaratus est pater multarum nationum, & proinde pater omnium nostrûm credentium, secundum fidem: Siquidem sicut vi divinæ promissionis, Abraham genuit Isacum, & non vi naturæ; sic vi divinæ promissionis pollicentis fore, ut esset pater multarum nationum, Abraham amplexus est in filios fideles omnes, in ipsius semen inserendos; atque ita in virtute promissionis quasi genuit, vel concepit fideles sibi ut filios promissos, id quod ostendit clarius, vocando Abrahamum parem fidelium, κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ, non tantum *coram Deo*, seu in *conspectu Dei*, id est, spirituali modo, & in DEI *æstimatione* patrem, sed etiam ad *similitudinem* DEI, *e regione*, per aliquam similitudinem, respondentem DEO cui credidit; siquidem in actu fidei Abraham in luce faciei omnipotentis DEI ipsum alloquentis, constitutus, credebat quod DEUS promittebat; quos DEUS filios promittebat, ille per fidem præsentes statuebat, atque ita pater aliquo modo eorum evadebat, ad similitudinem DEI.

Vivificante] *Ratio* 2. Quia Abraham per fidem defixit oculos in DEI omnipotentiam & veritatem, efficaciter producentem vitam ex morte, & entia ex nihilo, & cum effectu vocantem nondum entia, ut sint seu ut entitatem habeant: cui omnipotenti veritati cum Abraham credidit, fides ipsius induit quandam similitudinem veritatis DEI omnipotentis, & efficiacis.

Vers. 18. *Qui* Abrahamus *contra spem sub spe credidit fore ut ipse fierit pater multarum gentium; secundùm id quod* ei *dictum fuerat, Ita erit semen tuum.*

Ratio 3. Quia Abraham credidit *sub spe* spirituali, *hoc est*, firmam & invictam

invictam concepit in corde fiduciam, cum spe eventus promissi firma & vivaci; *contra spem*, scilicet carnis, rationis & totius naturæ, quæ nihil nisi impossibilitatem objectabant, & quasi affirmabant fieri non potuisse ejus semen, sicut DEUS dixerat.

Vers. 19. *Ac minime infirmus fide non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ.*

Ratio 4. Quia non fuit imbecillis fide, nec insipiens: non consideravit, seu non æstimavit impedimenta fidei suæ objecta, à se & uxore sua, quasi jam mortuus, *respectu prolificationis*, sed potius potentiam & veritatem DEI promittentis magnificiebat.

Vers. 20. *Ad hanc promissionem autem Dei non addubitavit incredulitate: sed corroboratus fuit fide: tributa gloria Deo:*

Ratio 5. Quia non disputavit adversus promissionem, nec cessit oblatis objectionibus, quas infidelitas suggesserat, sed fortiter defendit DEI verbum, & tentationibus se oppositit; gloriam veritatis & omnipotentiæ DEO tribuens.

Vers. 21. *Ac plenè certioratus est*, eum *quod promiserat, posse etiam efficere.*

Ratio 6. Quia gloriam veritatis tribuit DEO loquenti, ex plena persuasione potentiæ ipsius ad præstandum promissa: Nam data promissione, nulla quæstio est de voluntate faciendi: sed quæ supereſt quæstio, quærit de potentia promittentis; Qua quæstione missa, Abraham acquievit in promissione illius, quem omnipotentem sciebat.

Vers. 22. *Quapropter etiam* hoc *imputatum est ei ad justitiam.*

Ratio 7. commendationis fidei Abrahami, Quod ipsius fides (hoc actu ostendens se *veram* esse, eam scilicet quæ hominem in DEI conspectu humiliatum, & exinanitum, DEO promittenti agglutinat) in justitiam imputata sit; Quia nempe benedictionem in semine suo venturo, id est CHRISTO promissam, pro justitia sua amplectebatur.

Vers. 24.

Vers. 23. *Non scriptum est autem propter eum solùm, quòd* hoc *imputatum fuerit ei:*

Vers. 24. *Sed etiam propter nos, quibus futurum est ut imputetur, iis* nimirum *qui credunt in eum qui suscitavit Iesum Dominum nostrum ex mortuis.*

Jam exemplum fidei Abrahæ, accommodat Apostolus in usum communem fidelium, quasi pignore dato hoc exemplo, promittens fore, ut fides nostra in IESUM CHRISTUM, in justitiam similiter nobis imputanda sit. Utque nos invitet ad credendum, comparat primò Euangelium, nobis DEI nomine per ministros prædicatum, de CHRISTI morte & resurrectione pro nobis, promissioni factæ Abrahamo: Deinde, exigit fidem in DEUM, qui hanc nobis factam gratiam, per prædicationem Euangelii offert, ut credamus cum Abrahamo. Et denique pronunciat fidem nostram in DEUM, qui ultro sibi satisfecit in morte CHRISTI, & resuscitavit à mortuis CHRISTUM, (ut nobis, jam morte ipsius partam justitiam, imputaret, & applicaret) non minùs certo in justitiam nostram imputandam esse, quam certum est Abrahami fidem, ipsi esse imputatam ad justitiam; & quam certum est hoc scriptum esse, non propter eum solùm, sed etiam propter nos, quibus futurum est, ut fides hæc imputetur similiter in justitiam.

Vers. 25. *Qui traditus* fuit morti *propter offensas nostras, & suscitatus ad nostri justificationem.*

Hujus certitudinis fundamentum collocat in duplici actu judiciali DEI erga CHRISTUM. Primus actus est, *Traditio* CHRISTI sponsoris in mortem propter offensas nostras: Alter est *resuscitatio* CHRISTI ad nostri justificationem; Quorum *primò* testatur DEUS ex pacto translata esse peccata redemptorum in CHRISTUM: *Altero* verò, sibi abundè pro peccatis ipsorum esse satisfactum, & redemptos in persona sponsoris esse justificatos. Unde sequitur, redemptis, cum per fidem consentiunt in fœdus hoc in Euangelio revelatum, fidem imputari ad justitiam; seu justitiam à CHRISTO partam ipsis adjudicari, ut sicut in persona sponsoris justificati sunt, sic etiam in seipsis justificentur.

Caput quintum.

Vit prima confirmatio hujus divinæ rationis justificandi peccatores, per fidem in Christum: sequitur secunda confirmatio, à solida consolatione, quam hæc justificandi ratio præstat, adversus iram & peccatum.

Capitis partes sunt duæ: In priori *proponitur consolatio in fructuum Justitiæ per fidem in Christum, enumeratione, ad versum sextum:* In altera *ostenditur consolationis soliditas, ad finem.*

Vers. 1. *IUstificati igitur ex Fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Prima pars Capitis, In qua, ad ostendendam consolationem, quam suppeditat justificatio per fidem in CHRISTUM, enumerat novem ipsius fructus, quorum alij ex aliis dependent.

Primus fructus est *Pax*, seu reconciliatio erga DEUM, jam placatum per Mediatorem, seu Pacificatorem CHRISTUM.

Vers. 2. *Per quem etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam per quam stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei.*

Secundus fructus, est quotidiana quasi manuductio nostri, per CHRISTUM fidè apprehensum, ad favorem & gratiam DEI, ut ea magis magisque utamur, fruamur, & in eam quasi penitius ingrediamur.

Stamus] *Tertius* fructus, est confirmatio nostri in hoc statu gratiæ, ne excidamus, sed stemus constanter.

Gloriamur] *Quartus* fructus est gloriatio de certissima spe cœlestis gloriæ, olim apud DEUM fruendæ.

Vers. 3. *Neque* id *solùm, sed etiam gloriamur de afflictionibus, scientes quòd afflictio tolerantiam efficiat:*

Vers. 4. *Tolerantia verò experientiam, experientia autem spem:*

Quintus fructus, est gloriatio adversus omnes afflictiones, eaque in medijs rebus adversis, quibus obnoxii sumus post justificationem in hac vita.

Scientes] *Sextus* fructus, gloriandi ansam præbens in afflictionibus, est certa

certa cognitio, seu persuasio proficiendi in sanctitate per crucem, seu afflictiones; Quia per afflictiones DEUS patientiam nos docet, per patientiam nova subinde suæ in nobis, & erga nos, gratiæ documenta præbens, nobis experientiam donat; per experientiam auget, & confirmat fidem nostram, & spem de subinde *nova*, & tandem *plena* liberatione futura.

Vers. 5. *Porrò spes non pudefacit, eo quòd charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Septimus fructus, est Certitudo de boni sperati possessione, seu immunitas à pudefactione, quam efficit spei conceptæ frustratio: siquidem spes ex fide justificante orta, & ad hunc modum excitata, & aucta, sperantem non fallit, non pudefacit.

Effusa] *Octavus* fructus confirmans priorem, Est sensus divinæ erga nos dilectionis, corda nostra subinde perfundens, & replens: qui sensus ut arrha quædam spem de futuris bonis confirmat.

Spiritum] *Nonus* fructus, est Spiritus sanctus, in uberiori mensura donatus nobis qui in CHRISTUM credimus; qui Spiritus operatur hunc sensum divinæ erga nos dilectionis, & unà testatur cum spiritibus nostris, quod nos simus filij DEI, reliquaque sua in nobis omnia opera ad regenerationem, consolationem & salutem spectantia, efficit. Ad hos omnes fructus, & privilegia, jus habent omnes justificati per fidem: Quod si aliqui, vel Infantes in CHRISTO & Rudes, vel Impediti tentatione aliqua, justificatos se non sciant, vel non agnoscant, vel Spiritum consolatorem, nequitia aliqua sua contristentur, non mirum etiamsi ex his fructibus consolationem non percipiant.

Vers. 6. *Christus enim, quum nullis adhuc viribus essemus; præstituto tempore pro impiis mortuus est.*

Vers. 7. *Enimverò vix pro justo quisquam moriatur: nam pro bono* viro *forsitan aliquis etiam mori sustineat.*

Vers. 8. *Commendat autem suam erga nos charitatem Deus, eo quòd quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.*

Vers. 9. *Justificati igitur nunc ejus sanguine, servabimur multò magis per eum ab ira illa.*

Secunda Pars.

SEcunda pars Capitis, in qua consolationis soliditatem, adversus iram & peccatum ostendit comparatione duplici, quarum *prima* est CHRISTI cum CHRISTO, ad versum 12. Altera est CHRISTI (qui secundus est ADAM) cum Adamo primo nostro parente, ad finem.

Comparationis CHRISTI cum CHRISTO tria sunt membra, in quibus probatur justificatos ab ira servandos, tribus argumentis: *Primum* membrum comparationis est efficaciæ CHRISTI dilectionis erga nos, ante justificationem, cum efficacia dilectionis ejus erga nos, post justificationem nostram; *In hunc sensum*, Cùm nos in peccato & miseria, destituti viribus ad nosmet liberandum jacebamus, CHRISTUS in plenitudine temporis, pro nobis impiis, est mortuus, *versu* 6. Quanta dilectio inter homines, erga justum, vix reperitur, nisi fortè pro probo, & sibi utili, audeat alquis mori, *versu* 7. Unde commendatur charitas CHRISTI, seu DEI, erga nos, ex eo, quod cum adhuc essemus peccatores, nondum justificati, CHRISTUS pro nobis mortuus sit, ut scilicet ab ira servaremur, *versu* 8. Ergo multò major erit dilectionis ejus efficacia erga nos jam justificatos ejus sanguine, ut servemur per eum ab ira; *v.* 9. Valet argumentum quia dilectionis CHRISTI efficacia erga nos justificatos, non potest esse minor quam erga nos in peccatis jacentes: hoc *primum* est argument.

Vers. 10. *Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.*

Secundum membrum comparationis, est efficaciæ CHRISTI *mortis* ante justificationem, & CHRISTI *vitæ* post justificationem, in hunc sensum; Si cum inimici essemus, efficax fuit CHRISTI mors, ad reconciliationem nostri erga DEUM, procurandam, multò magis vita CHRISTI efficax erit, ad servandum ab ira nos jam justificatos & reconciliatos: Quia absurdum est statuere, CHRISTUM à mortuis suscitatum, & viventem in Cœlo, non servaturum ab ira nos, pro quibus ut servaremur ab ira, & mortuus, & resuscitatus à mortuis est: & hoc est *secundum* argumentum.

Vers. 11. *Neque id solùm, verum etiam gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.*

Tertium

Tertium membrum comparationis, est efficaciæ, seu virtutis CHRISTI, ad procurandum & efficiendum, ut DEUS ipse noster sit, quasi res nostra propria, *quod majus est*, cum efficacia seu virtute CHRISTI ad servandum nos ab ira, *quod minus est*, in hunc sensum: Non id solùm, scilicet habemus per CHRISTUM, ut servemur ab ira, sed etiam *quod omnium maximum est*, gloriamur in DEO, tanquam in nostro peculio, per Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, qui non solùm reconciliationem nobis impetravit, sed nunc justificatis per fidem applicavit, & DEUM reconciliatum nostrum quasi proprium reddidit. Ergo certi sumus nos ab ira servandos, atque hoc est *tertium* argumentum, In quibus omnibus soliditas consolationis eorum qui fide justificantur, ostenditur.

Vers. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervasit, in quo* homine *omnes peccarunt.*

Altera comparatio est CHRISTI & Adami, tendens ad ostendendum, CHRISTI justitiam non minùs efficacem esse, ad servandum justificatos per fidem, quam Adami peccatum efficax est, ad perdendum non justificatos. Comparationis autem membra sunt sex: *Primum* membrum, Sicut per unum hominem, Adamum scilicet, peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines, qui filii sunt Adami per naturam, mors transiit, quatenus quidem in eo, ut in communi parente omnes peccarunt: Ita per unum hominem CHRISTUM, *secundum Adamum*, justitia introiit in mundum, & per justitiam vita, & ita in omnes homines, qui filii sunt CHRISTI per gratiam, (quales sunt fide justificati omnes) vita transit, quatenus quidem in eo, ut in communi parente sponsore & patrono, omnes justificantur. Hæc antithesis colligenda nobis relinquitur ex sequentibus, & potissimùm ex fine versus 14. ubi *Christus* Adami *antitypus* statuitur, quia porta nimirum est, & fons justitiæ, & vitæ, sicut Adamus fuit porta, & fons peccati, & mortis.

Vers. 13. *Nam usque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum verò esse non putatur non existente Lege.*

Vers. 14. *Regnavit autem mors ab Adam usque ad Mosen, in eos etiam qui non peccaverant ad similitudinem trangressionis Adam, qui est typus illius qui erat futurus.*

Probat

Probat peccatum introiisse in mundum, per unum hominem Adamum, & propagatum esse in Adami posteros, quia ab Adamo, usque ad scriptam legem à Mose, peccatum & erat in mundo, imputabatur; & quod fieri non potuisset, nisi fuisset aliqua lex, saltem non scripta seu innata, nam si lex nulla fuisset, neque scripta neque innata, non potuisset peccatum imputari *vers.* 13. At imputatum est, quia supplicium inflictum est; si quidem stipendium peccati mors, regnavit ab Adam usque in Mosen, non tantum in adultos, sed etiam in infantes, qui originaliter peccarunt quidem in eo, (cum omnes in Adamo unus quasi homo fuerint,) licet non actualiter, seu ad similitudinem actualis peccati Adami. *vers.* 14. Summa est, Mors fuit, ergo stipendium peccati fuit, ergo peccatum fuit, ergo lex fuit, & peccatum per unum in omnes propagatum est. Vocat autem Adamum *typum* futuri, nempe secundi Adami CHRISTI, ut intelligamus, respondere oportuisse CHRISTUM, in salutaribus suis effectis, Adamo in suis exitialibus effectis, idque ex DEI instituto, qui in perdito humani generis fonte, repræsentari voluit futurum hominum salvatorem CHRISTUM, ut CHRISTUS agnoscatur non minus fons, caput & radix justitiæ, & vitæ derivandæ in suos, quam Adam fuit fons, caput & radix, derivandi peccati & mortis in suos.

Vers. 15. *At non ut offensa ita etiam* est *quod* Deus *gratificatur. nam si unius illius offensa multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donatio per gratiam quæ* est *unius illius hominis Iesu Christi, in multos exundavit*.

Secundum membrum comparationis in dissimilitudine, quæ primum, breviter proponitur, deinde fusius explicatur. Offensa hominis non est par gratuito dono DEI, nam *bonum* quod est à DEO, efficaciæ & virtutis est *divinæ*, adeoque in immensum superat *malum* quod est ab *homine*. Quare si unius hominis, id est Adami offensa, multis ab eo naturaliter prognatis, potuit afferre mortem, multo magis Gratia DEI infinita, & donum gratuitum unius hominis IESU CHRISTI, qui etiam DEUS est, abundanter afferet vitam illis, qui spiritualiter prognati sunt à CHRISTO. Summa est, scire nos vult, Potentiorem esse CHRISTI gratiam ad salvandum, quam est offensa Adami ad perdendum, & dona quæ per DEI *gratiam* data sunt, excellentiora esse quam quæ amisit Adam.

Vers. 16. *Neque ut* illud quod introiit *per unum qui peccavit,* ita est

ita est *quod donatur. nam reatus quidem est ex una offensa ad condemnationem: quod autem gratificatur* Deus est *ex multis offensis ad justificationem*.

Tertium membrum comparationis, ostendens dissimilitudinem esse, inter malum quod per unum peccantem Adamum introiit, & donum, quod est per Iesum Christum, Quia justum Dei judicium ex *uno* peccato Adami, processit ad justam condemnationem ipsius, & omnium in ejus lumbis naturæ lege comprehensorum: Gratia vero seu gratuitum Dei donum, non tantum liberat ab illo *uno* & à peccato originali, sed etiam à *multitudine* peccatorum actualium, quæ quisque superaddit, ad plenam usque justificationem suorum, ab omni peccato. Summa est, Condemnatio est ab una offensa, donum gratiæ verò est absolutio ab omnibus offensis.

Vers. 17. *Etenim si per unam illam offensam mors regnavit per illum unum, multò magis* ii *qui exundantiam illam gratiæ & doni justitiæ recipiunt, in vita regnabunt per unum Iesum Christum*.

Quartum membrum comparationis, cum confirmatione superioris, in hunc sensum: Si per unum, unius Adami peccatum, mors introiens, tanquam rex subjugavit sibi humanum genus, multo magis justificati per fidem, qui redundantem Dei gratiam, & donum justitiæ accipiunt, ex gratia regnabunt in vita, per unum Iesum Christum. Quanto igitur excellentius est regnum vitæ, (quod subditos suos reges facit, & vitæ æternæ consortes cum Christo,) regno mortis, (quod perdit omnes sibi subditos) tanto superat donum Christi, delictum Adami, respectu efficaciæ.

Vers. 18. *Nempe igitur sicut per unam offensam* reatus venit, *in omnes homines ad condemnationem: ita per unam justificationem*, beneficium redundavit *in omnes homines ad justificationem vitæ.*

Quintum membrum comparationis; Sicut per unius Adami lapsum, reatus venit in omnes homines, naturali propagatione ab Adamo oriundos, ad eos condemnandos, sic per obedientiam unius Christi, quæ obediens fuit patri usque ad mortem, expiatio venit, ad justificationem salvificam, omnium hominum, qui spirituali regeneratione à Christo oriundi sunt.

Vers. 18.

Vers. 19. *Sicut enim per illam inobedientiam unius illius hominis, peccatores constituti sunt illi multi: ita per unius obedientiam, justi constituentur multi.*

Sextum membrum comparationis, ad illustrationem & confirmationem prioris, In hunc sensum; Sicut per inobedientiam unius Adami, factum est, ut multi tanquam peccatores, in DEI judicio, habiti & tractati sint, propterea scilicet quod ex ipso secundum carnem prognati essent, ita viciſſim per obedientiam unius CHRISTI, multi constituentur justi, id est, tanquam justi habebuntur & tractabuntur, nempe omnes illi qui fide in CHRISTUM insiti, ex ipso secundum spiritum propogati sunt: Æquum enim est ut non altius penetret virus peccati, seu inobedentiæ Adami in ejus sobolem, quam penetrat virtus obedientiæ CHRISTI, in CHRISTI sobolem: Et consentaneum est, ut sicut unum unius Adami peccatum imputatum est ejus liberis, ad condemnationem & mortem, sic unius CHRISTI obedientia integra, à vitæ initio, ad mortem usque constanter fluens, imputetur CHRISTI filiis, ad justificationem & vitam æternam obtinendam.

Vers. 20. *Lex verò præterea inrtoiit ut redundaret offensa illa: sed ubi redundavit peccatum,* ibi *superabundavit gratia illa.*

Vers. 21. *Ut quemadmodum regnaverat illud peccatum ad mortem: ita etiam gratia illa regnaret per justitiam ad vitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Totam hanc comparationem illustrat, & claudit, ostendendo abundantiam quantamcunque peccatorum in justificando, nihil aliud efficere posse, quam ut Gratia CHRISTI erga justificatum ex fide, illustrior evadat, idque facit solutione objectionis de fine, & usu Legis promulgatæ.

Quæri posset, si mors regnabat, per legem naturæ, seu non scriptam ante Mosen, quid opus erat lege scriptâ? Et cum ex Lege non sit justitia, ut supra dictum est, quorsum data est Lex? Respondet ostendendo triplicem Legis latæ finem: Primus, *Lex subintroiit, ut augeretur offensa*, hoc est, Lex prohibens peccatum, & imperans justitiam, medio tempore inter Adam & CHRISTUM subingressa est, ut peccata, quæ quotidie admitebantur, & tamen præ ignorantia non agnoscebantur, cognoscerentur peccata esse, utque conspicua foret naturalis hominum pravitas, quæ facit ut quantò magis

tò magis requirit Lex justitiam, tantò magis concupiscentia inardescat contra Legem; utque sic latens in hominibus peccatum, in apertum produceretur, & abundare agnosceretur.

Sed ubi] Secundus finis, ut ex abundantia peccati in justificandis, appareret superabundantia gratiæ CHRISTI erga justificatos, siquidem ubi auctum est peccatum in convictione hominum justificandorum, ibi superabundare comperitur gratia CHRISTI justificantis, erga justificatos.

Quemadmodum] Tertius finis, ut clarius manifestatâ, per legem latam, vi peccati tanquam regis, ad mortem condemnatis inferendam potestatem suam exercentis, illustrius in Euangelio manifestaretur vis justitiæ CHRISTI, tanquam superioris regis, prævalentis, non solùm ad regnum peccati abolendum, sed etiam ad vitam æternam justificatis conferendam. Quantò igitur vis peccati dominantis in homines non justificatos, eosque in mortis æternæ barathrum ducentis, trahentis, protrudentis, clarius apparet; tantò virtus, potentia, excellentia Gratiæ CHRISTI, PECCATVM debellantis, proflignatis, abolentis, subjectos servosque ejus ereptos, justificantis, sanctificantis, & ad vitam æternam potenter evehentis, manifestiùs declaratur.

Caput sextum.

TErtia *Confirmatio Doctrinæ de justificatione gratuita per fidem in Christum*, Quod ad promovendam sanctitatem magnopere conducat.

Capitis duæ *sunt* partes: In prima *ostendit per fidem in Christum, seu doctrinam de gratuita hac justificationis ratione, variis modis promoveri studium sanctitatis, ad* versum 12. *In* altera *hortatur fide justificatos ut sanctitati studeant, ad finem.*

Vers. 1. *QVid igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat?*

Vers. 2. *Absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?*

Objectionem solvendo, quæ ex hac doctrina oriri videtur, proponit Thesin confirmandam, quod scilicet hæc doctrina de gratia, seu gratuita

tuita justificatione, ad sanctitatem promovendam faciat. Dicat aliquis, an perseverabimus in peccatis nostris, nos qui per fidem justificati sumus, ut gratia DEI abundantior appareat, sicut hæc doctrina de gratuita justificatione per imputationem justitiæ CHRISTI innuere videtur? Respondet negando, & aversando: Absit, inquit, à nobis hæc cogitatio; Quasi diceret, Justificati per fidem non debent indulgere peccato, sed sanctitati studere, & hanc propositionem confirmat decem argumentis.

Primum argumentum, Peccato *mortui sumus*, quatenus, cum CHRISTO nomen dedimus, ut justificaremur & sanctificaremur per eum, peccato renunciavimus, ne plus cum peccato haberemus commercii, quam mortuis solet esse cum viventibus. Ergo nos justificati non debemus, nec jure possumus, amplius vivere in peccato, seu peccato indulgere.

Vers. 3. *An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos?*

Arg. 2. Nos (ut scitis) qui gratis justificati sumus per fidem in CHRISTUM, cum per baptismum insiti sumus in CHRISTUM, etiam insiti sumus in societatem mortis ejus, per baptismum; per quod sacramentum & obstrinximus nos CHRISTO, ad moriendum peccato, & CHRISTUS se obstrinxit nobis, ad vim mortis suæ communicandam nobis, ut reipsa moreremur peccato: Ergo non debemus peccato indulgere, sed sanctitati studere.

Vers. 4. *Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem: ut sicuti suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos nova vita ambulemus.*

Arg. 3. Communio nostra cum CHRISTO sepulto, per baptismum nobis obsignata est, in abolitionem veteris hominis, & peccati, id est, non tantùm ut nos obligaremur, ad studendum abolitioni veteris hominis, sed etiam ut certi redderemur de mortificatione & abolitione peccati, per virtutem sepulturæ CHRISTI. Ergo non debemus peccato indulgere, sed ejus abolitioni studere.

Arg. 4. Sicut sepulturæ, sic etiam resurrectionis CHRISTI societas, seu communio, nobis in baptismo obsignatur; ut quemadmodum excitatus est CHRISTUS à mortuis, ad beatam & immortalem vitam, in gloriam Patris, ipsum potenter excitantis, ita nos operam daremus, & per fidem,

fidem, CHRISTI virtutem applicaremus, ad emergendum ex peccatis, & ambulandum in novitate vitæ, ad gloriam DEI nos potenter renovantis. Ergo non debemus peccato indulgere, sed sanctitati studere.

Vers. 5. *Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis* assimilatione *coalescemus*:

Arg. 5. ductum ab unione spirituali arctissima nostri cum CHRISTO per fidem, quæ unio causa est communicatæ nobis virtutis, ex CHRISTI morte & resurrectione profluentis: Per fidem enim inserimur in CHRISTUM, ut palmites in vitem, & hæc insitio superinducit nobis, eam conformitatem cum CHRISTI morte, & resurrectione, ut in nobis peccato morientibus, *Christus moriens*, & in nobis vitæ novitati studentibus, *Christus resurgens*, in similitudine quadam sui, & in effectu virtutis suæ conspici possit. Hinc argumentum confirmans superius; Quando CHRISTO complantamur per fidem, adeo arctè unimur cum eo, ut conformitas in nobis sequatur necessariò cum ipso moriente, in mortificatione peccati, & cum ipso resurgente, in novitate vitæ. Ergo nisi unionem cum ipso, & insitionem in ipsum, nullam factam esse profiteri vellemus, peccatis renunciandum, & sanctitati studendum est nobis.

Vers. 6. *Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut cassum reddatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato.*

Arg. 6. A judiciali unione quam habemus cum CHRISTO crucifixo; Cujus argumenti vis ut perspiciatur, quatuor tenenda sunt: 1. Quod CHRISTUS in cruce pendens ut sponsor pro nobis personam nostram coram DEI tribunali gesserit: 2. Quod supplicium luerit debitum corruptæ nostræ naturæ, seu veteri nostro homini sic dicto, quia naturæ pravitas in regenitis senescit, & interitui appropinquat. 3. Quod in se receperit fore ut vetus noster homo in nobis necaretur. 4. Quod nos quos representabat ipso facto obligaverit ad operam dandam mortificationi peccati per ejus spiritum, ne post justificationem amplius peccato serviremus. Hinc *argumentum*, Scimus, seu credimus veterem nostrum hominem judicialiter crucifixum esse cum CHRISTO eò fine, ut in nobis per fidem justificatis enervetur corpus peccati, (sic vocatur habitualis peccati compacta colluvies in unum quasi monstrosum corpus suis membris jam para-

tum ad actu peccandum) ne amplius post justificationem serviamus peccato. Ergo nobis studendum est mortificationi peccati, nisi fidem unionis nostræ judicialis cum CHRISTO in cruce pendente, abjicere vellemus.

Vers. 7. *Etenim qui mortuus est, liberatus est à peccato.*

Arg. 7. A fructu hujus unionis cum CHRISTO in cruce moriente: Quicunque mortuus est veteri suo domino peccato, justificatur, & liberatur à jugo & dominio peccati, ne amplius ei serviat, nec mandatis peccati obtemperet: Assumere licet, At nos justificati fide, in CHRISTO moriente in cruce pro peccato, mortui sumus veteri nostro domino peccato: Ergo justificamur, & liberamur à jugo & dominio peccati, ne amplius ei serviamus, vel mandatis ejus obtemperemus. Quid enim servitii amplius peccatum exigat à nobis, quos in cruce & morte CHRISTI capitis nostri, quasi decollavit?

Vers. 8. *Quòd si mortui sumus cum Christo, credimus fore ut etiam ei convivamus.*

Arg. 8. Si cum CHRISTO morimur, *id est*, morienti CHRISTO adhæremus, in ejus virtute, mortificationi peccati studentes, dubitare non licet, quin vitam etiam spiritualem, novam & cœlestem, una cum eo victuri simus. Ergo peccati mortificationi studendum est.

Vers. 9. *Ut qui sciamus Christum suscitatum ex mortuis, non amplius mori: mortem* inquam, *ei non amplius dominari.*

Arg. 9. confirmans superius, Credimus CHRISTUM resurrexisse, ad vitam immortalem, nec amplius morti unquam futurum obnoxium, sed semper viventem velle, & posse novam vitam in nobis perpetuare, ne mors in peccatis nobis amplius dominetur. Ergo sicut non frustra credimus, ipsius virtute nos vitam novam, & æternam, cum eo victuros, sic eriam studere debemus, ut perpetuetur vita illa nova, ad quam cum CHRISTO resurreximus, nec permittere ut mors in peccatis unquam adversus nos amplius prævaleat, seu dominetur.

Vers. 10 *Nam quòd mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo.*

Vers. 11.

Vers. 11 *Ita etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato, tum verò vivere Deo per Christum Iesum Dominum nostrum.*

Arg. 10. Sicut CHRISTUS ad abluendum, & abolendum peccatum, per mortem suam, semel tantùm mortuus est, resurgens verò à mortuis, perpetuò vivit in DEI gloriam, sic etiam vos qui justificati estis, fidei ratiocinio colligite, & statuite vos in CHRISTI morte unica, semel esse mortuos peccato expiando, nec ultra ad moriendum pro peccato teneri; semel esse mortuos peccato exautorando, nec ultra ad serviendum peccato teneri: semel esse mortuos peccato destruendo, nec ad mortificandum peccatum, virtute CHRISTI posse destitui: sed in ejus resurrectione ad vitam immortalem, vivendam DEO, sive in DEI gloriam, perpetuò teneri, & ut vivere possitis DEO, in æternum, satis vos habere virium, & auxilii per CHRISTUM IESUM Dominum nostrum. Tantùm igitur abest, ut per doctrinam justificationis gratuitæ, aperiatur via ad perseverandum in peccatis, ut contra nihil ea sit ad sanctitatem conducibilius, vel efficacius.

Secunda Pars.

Vers. 12. *Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis.*

Sequitur secunda pars Capitis, in qua, ex præcedentibus hortationem infert Apostolus, ad omnes fide justificatos, ut sanctitati studeant. Thesis probanda eadem est, quæ superior, nempe TENENTUR justificati, non permanere in peccato, sed sanctitati studere: argumenta affert tredecim, quorum tria priora hortatione sequenti includuntur.

Hortationis autem membra tria sunt, & argumenta totidem, ad confirmandam thesin hortatione involutam. Primum membrum hortationis est, ne obediant peccato cupiditatibus corporis pravis indulgendo.

Arg. 1. Est hoc; Morem gerere pravis cupiditatibus corporis, est regnum peccati, seu diaboli unde liberati estis, denuo admittere in mortali corpore vestro; quod justificatis horrorem debet incutere. Ergo jam justificati non debetis peccato indulgere, sed sanctitati studere.

Vers. 13 *Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo.*

Secundum

Secundum membrum hortationis, ne militent huic tyranno, peccato scilicet, adhibentes facultates animæ, vel corporis, ut satellites, ad pugnandum pro peccato, in quo habetur *Arg.* 2. Peccato servire, est facultates animæ, & membra corporis, exhibere ut arma iniquitatis, ad pugnandum pro peccato & Diabolo, contra Deum & propriam salutem, quod justificatis abominandum esse debet. Ergo justificati non debent peccato servire.

Sistite] Tertium membrum hortationis, Ut sistant se milites, & servos Deo liberatori ex mortuis, in quo est *Arg.* 3 Deus vos à morte in peccatis, & perditione æterna, revocavit in vitam ut serviatis justitiæ, & pro Deo adversus ejus hostes, decertetis. Ergo sanctitati studere debetis.

Vers. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim estis sub Lege, sed sub gratia.*

Arg. 4. Si contendatis, & pugnetis adversus Peccatum, Tyrannus ille non recuperabit in vobis regnum, quod amisit, nec dominabitur vobis peccatum, sed vos victores per Christum evadetis: Ergo sanctitati studere debetis.

Non enim] *Arg.* 5. confirmans superius, Non estis sub lege, seu fœdere operum, in quo mandatum districtam exigit obedientiam, sed vires non confert ad obediendum, sed estis sub gratia, seu fœdere gratiæ, in quo gratia Dei, cum mandato, fidelibus confert vitam, & vires ad obtemperandum. Ergo certi de victoria adversus peccatum, sanctitati studere debetis.

Vers. 15. *Quid igitur peccabimus, quòd non simus sub Lege, sed sub gratia? Absit.*

Repetit & rejicit absurdam objectionem libertinorum, qui gratiam Dei, trahunt in licentiam peccandi, quum contra sequatur ex dictis scilicet, Quia sumus sub gratia: Ideo non indulgendum peccato.

Vers. 16. *An nescitis quòd cui sistitis vos servos ad auscultandum, ejus servi estis cui auscultatis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam?*

Arg. 6. Confutandæ objectioni obiter inserviens; Quum servos vos esse ejus cui obeditis, & mercedem reportare, servitio congenerem, necesse sit, sive obediatis peccato, sive divinis præceptis obediatis, nisi velletis peccati

tis peccati servi haberi, & æternæ mortis mercedem reportare, cavendum ne peccato indulgeatis, & si velletis servi Dei haberi, ut justi & vitæ hæredes pronunciemini, sanctitati vobis studendum est necessariò.

Vers. 17. *Gratia autem sit Deo quòd fuistis* quidem *servi peccati, sed ex corde auscultastis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi:*

Arg. 7. Per Dei gratiam, transiit tempus servitii, quod præstabatis peccato, ante regenerationem, & jam conversi, sincere doctrinæ Euangelii obedire incepistis, cui tanquam typo traditi estis, & cujus impressionem jam recepistis: Ergo redire ad servitium peccati, vel recedere ab obedientia sanæ doctrinæ indignum est, sed in obedientia doctrinæ cui traditi estis, pergere oportet.

Vers. 18. *Et liberati à peccato, mancipati estis justitiæ*

Arg. 8. A peccato jam liberati, per omnipotentis Dei brachium, mancipati estis justitiæ & sanctitati; Ergo mancipationis jure, ut servi justitiæ, servire sanctitati tenemini.

Vers. 19 *Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ. Nempe sicut stitistis membra vestra serva impuritati & legis transgressioni, ad* patrandam *legis transgressionem: ita nunc sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniam.*

Post excusatam terrenæ similitudinis crassitiem, quæ in multis, non respondet rebus his spiritualibus, quam tamen adhibere, visum est Spiritui sancto, propter infirmitatem Romanorum, ex parte carnalium, qui sublimiorem, seu magis spiritualem loquendi modum, tam facile capere non poterant, repetit hortationem & addit *arg.* 9. Membra vestra aliquando præbuistis immunditiæ, & in universum injustitiæ serva, ad opera injustitiæ patranda, Ergo nunc æquum est, ut pari saltem studio, præbeatis membra vestra serva justitiæ, ad sanctificationem vestram, & non minus segnes esse, ad recte agendum quam olim strenui eratis ad peccandum.

Vers. 20. *Quum enim servi eratis peccati liberi eratis justitiæ.*

Arg. 10. Confirmans superius, Quum essetis mancipia peccati, ut liberos à justitia vos gessistis, nam non omnino obtemperastis justitiæ in ulla re,

ullare, Ergo æquum est jam cum mancipia estis justitiæ, ut liberos vos geratis à peccato, nec ei obtemperetis omnino.

Vers. 21. *Quem igitur fructum habebatis tunc* ex iis *de quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.*

Arg. 11. Nullum alium fructum, ex anteacta vita in peccatis percepistis, præter pudorem, qui nunc vobis incutitur, nec expectare poteratis alium fructum tandem, præter mortem æternam, quæ finis est peccati. Ergo cavendum vobis, ne amplius serviatis peccato.

Vers. 22. *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem vitam æternam.*

Arg. 12. Postquam vindicati in libertatem, à peccati servitute, mancipati fuistis Deo, sanctimoniæ vestræ fructum habetis, ipsam indies augescentem sanctimoniam, & tandem habituri estis in fine, vitam æternam, Ergo studendum diligenter sanctitati.

Vers. 23. *Nam stipendia peccati mors: donum autem Dei* est *vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.*

Arg. 13. Confirmans superiora, in hunc sensum; firma sunt omnia, quæ hactenus dicta sunt in hoc argumento, nam statutum est ex Dei sententia, stipendium peccati peccatoribus, secundum meritum reddere, *mortem* æternam; *vitam* vero æternam, cum justificatione & sanctitate, quæ cum vita æterna connectuntur, non ex debito, sed ex gratia dare, ut *donum* gratuitum; idque non nisi in *Domino* nostro Iesu Christo. Ergo non indulgendum peccato ne pereamus, sed cum fide in Christum conjungendum studium sanctitatis, quam sanctitatem cum vita æterna gratis donaturum esse Deum, credentibus in Christum & sanctitati studentibus, ex superioribus probatum est.

Caput

Hortatus est superiori Capite justificatos per fidem, ad sanctimoniam: Quia autem ii qui maximè student sanctitati, maximè sentiunt, & lugent vim peccati inhabitantis, nondum extincti: Ideo in horum gratiam sequitur, Quarta *confirmatio gratuitæ justificationis per fidem in Christum,* quod consolationem præbeat Sanctorum conscientiis afflictis, propter imperfectam obedientiam Legis, & peccati inhabitantis in se reliquias.

Capitis tres sunt partes: In prima, *ut consolationem capiant justificati, adversus imperfectam obedientiam Legis, agit de justificatorum liberatione à fœdere legali, & novo nexu ipsorum in fœdere gratiæ, qui primus est locus consolationis, ad* vers. 7. Secunda *continet apologiam, pro legis sanctitate; solutis duabus contra legem objectionibus, ad* vers. 14. *In* tertia, *habetur secundus locus consolationis, in quo, luctam suam, adversus reliquias peccati in se, & victoriam reportatam, ex doctrina justificationis per fidem in* CHRISTUM, *proponit Apostolus, ut in suo exemplo, & experientia, consolationem caperent, conscientiæ luctantes.*

Prima Pars.

Vers. 1. *AN ignoratis fratres (peritos enim Legis alloquor) legem* tantisper *dominari cuipiam quanto tempore ipse vivit?*

Vers. 2. *Nam viro addicta mulier, viventi viro devincta est per legem: quòd si mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri.*

Vers. 3 *Proinde vivente viro mœcha vocabitur si fiat alterius viri: sin autem mortuus fuerit vir ejus, libera est à lege illa: ut non sit mœcha, si fiat alterius viri.*

Quod ad *primam partem* attinet, comparatione à matrimonio sumpta, ostendit justificatos liberari à conjugali fœdere legis, ut desponsati per novum fœdus gratiæ, novo marito CHRISTO, fructus justitiæ feramus, in nova legis obedientia, in gloriam novi mariti nostri CHRISTI.

Protasin comparationis proponit, tribus primis versibus, in hunc sensum; Quemadmodum nulla lex dominatur mortuis, (ut scitis) sed viventibus tantùm, *vers.* 1. Et nominatim, lex conjugii, seu fœdus matrimoniale dissolvitur, altero conjuge mortuo, ita ut uxor, mortuo marito, sine adulterio, nubere possit alteri, *vers.* 2. & 3. sic vos, *&c.* ut mox patebit.

Vers. 4. *Itaque fratres mei, vos quoque mortificati estis Legi in corpore Christi: ut essetis alterius, ejus* videlicet *qui ex mortuis suscitatus est, ut fructum feramus Deo.*

Sequitur apodosis comparationis, in hunc sensum; Sic vos, qui olim desponsati quasi eratis legi per fœdus operum conjugale, mortuo CHRISTO pro vobis, ut Legi, & Justitiæ, & Fœderi Operum satisfieret vestro nomine, judicialiter mortui estis legi, seu fœderi legali, in corpore CHRISTI: (nam lex, seu fœdus legale interfecit CHRISTUM, & vos in eo) & per consequens liberati estis à conjugio Legis, seu conjugali fœdere legis; ita ut sine justitiæ violatione novum matrimoniale fœdus Gratiæ feriatis cum CHRISTO ex mortis suscitato. In hunc finem ostendit, dirempti matrimonii, inter fœdus operum seu legis, & nos, finem esse, non ut viveremus pro libitu nostro, sed ut excitati à statu, seu conditione mortis, per resurrectionem CHRISTI, essemus alterius, seu desponsaremur alteri marito, illi videlicet, qui excitatus est a mortuis, *id est*, CHRISTO qui resurrexit à mortuis, & nos in vitam novam secum excitavit, sibique secundum fœdus gratiæ desponsavit, ut CHRISTO, seu fœderi gratiæ desponsati, fructum feramus novæ obedientiæ in DEI gloriam.

Consolationis justificatorum, imperfectionem obedientiæ suæ deflentium, argumenta sunt *quinque*.

Mortificati] Primum argumentum; Liberati estis, à fœdere operum legali, quod nullam admittit obedientiam, præter perfectam, & omnibus numeris absolutam: Ergo consolationem habetis, vos omnes justificati, qui defletis imperfectionem novæ vestræ obedientiæ.

Alterius] *Arg.* 2. Desponsati jam estis, alteri marito CHRISTO scilicet, qui excitatus est ex mortuis, qui quum obedientiæ vestræ imperfectiones præstare poterit, & secundum fœdus gratiæ, & inchoatam obedientiam vestram, gratam DEO reddere, in se receperit, consolationem habetis vos, qui imperfectionem obedientiæ vestræ defletis.

Fructum] *Arg.* 3. Desponsati estis CHRISTO, à mortuis excitato ut non maneatis steriles, sed fructus feratis, in gloriam DEI: Ergo consolationem habetis vos, qui imperfectionem obedientiæ vestræ lugetis.

Vers. 5. *Quum enim essemus in carne, effectus peccatorum per Legem* existentes *agebant in membris nostris, ad fructum serendum morti:*

Argument.

Arg. 4. Confirmans superius, à conditionis nostræ mutatione, cum essemus in carne irregeniti, (& per consequens, sub fœdere legali) affectus peccatorum, seu prava desideria, per sanctam DEI Legem excitabantur, & se potenter exerebant, in membris seu facultatibus nostris omnibus, & animæ & corporis, usque ad peccati actualis, mortiferum fructum proferendum: Ergo à pari sequetur, cum jam sumus regeniti, & per consequens sub fœdere gratiæ, sancta desideria, per fœdus novum, & mandatum novum excitata, potenter etiam se exerent, in membris nostris, ad fructum bonorum operum ferendum DEO, ne maneamus steriles. Quæ consolatio non est exigua; Nam si nos per fidem, fœdus gratiæ apprehenderemus, animasque nostras per ipsius promissiones nobis applicatas, excitaremus, non dubium est, quin uberiores fructus bonorum operum proferremus. Id enim ipsum est, quod CHRISTUS dicit, *Iohan.* 15. 5. *Ego sum vitis, vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego* maneo, *hic fert fructum multum: nam seorsim me nihil potestis facere.*

Vers. 6. *Nunc autem liberati sumus à Lege, mortuo* eo *in quo detinebamur: ut serviamus in novitate spiritus, ac non* in *vetustate literæ.*

Arg. 5. Explicans & confirmans superius, à fine mutatæ conditionis nostræ, *Nunc* post justificationem *scilicet*, per Gratiam CHRISTI liberati sumus à fœdere legis, (mortuo illo fœdere in quo detinebamur, vel mortuis nobis in CHRISTO, in quo judicialiter continebamur) eo ipso fine ut serviamus DEO, vi Spiritus sancti novas vires conferentis, novos & spirituales fructus ferendo, & non superficiales, seu hypocriticos fructus, quales litera veteris fœderis legalis jam aboliti ad summum proferebat. Ergo fine suo non excidet DEUS, sed justificatos, dolentes de imperfectâ obedientiâ suâ, feraces reddet bonorum operum, in Spiritus novitate; fructus enim qui proveniunt vi fœderis gratuiti, verè novi sunt, & à Spiritu regenerante, & novas vires ad benè agendum subinde suppeditante oriuntur; fructus verò, qui vi fœderis operum proferuntur, vel sunt naturæ corruptæ aperta rebellio adversus DEI Legem, vel simulata in externo opere tantùm obedientia, quales sunt Pharisæorum fructus, qui in litera, *id est*, externa specie, & titulo tenus Legi obediebant, sine omni cordis renovatione.

Secunda Pars.

Vers. 7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum* est? *Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per Legem, nam ipsam quoque cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.*

Secunda pars Capitis, apologiam continens, pro legis sanctitate insolutione duarum objectionum, ex supra dictis ortarum: *Prima objectio*; Cum affectus peccatorum, seu pravi, & vitiosi motus, excitentur à lege, ut dictum est, videtur lex esse peccatum, seu causa peccati.

Respondet negando; Absit, ut ea apud nos cogitatio obtineat. Rationes negationis suæ reddit tres, in quibus est apologia pro lege, experientia sua illustratas: Prima ratio, quia lex monstrat peccatum, & detegit ipsius malitiam, quod sua experientia confirmat, qui latentem in corde concupiscentiam ipse non agnovisset esse peccatum, nisi eam *lege* prohibitam perspexisset: Ergo lex sancta est.

Vers. 8. *Sed peccatum occasione per illud præceptum sumpta, effecit in me totam cupiditatem: Nam absque Lege peccatum* quidem erat *mortuum*.

Ratio 2. Quia peccatum inhabitans, seu naturæ habitualis pravitas, est causa actualium peccatorum; lex vero non est causa, sed occasio, eaque non oblata, sed arrepta tantum ad peccandum, ut ipse compertum habebat: Nam peccatum inhabitans (inquit) seu naturæ pravitas, arrepta occasione ex prohibitione Concupiscentiæ in lege, tanto magis inflammata est; & nitens in vetitum, genuit in me omnis generis cupiditates, & pravos motus contra legem.

Nam absque] Id confirmat à signo, quia lege non cognita, peccatum latet, torpet, & quasi mortuum jacet, ubi vero accedit lex, excitatur & se prodit; sicut sordes absente sole latent, adveniente vero excitantur, se produnt & fatent, non solis, sed suo vitio. Ergo sancta est lex.

Vers. 9. *Ego verò vivus eram absque Lege quondam: præcepti autem illius adventu peccatum* quidem *revixit, Ego verò mortuus sum*.

Experientia sua amplius hoc explicat, ostendens se olim, cum Pharisæus esset & irregenitus, opinione sua vivum fuisse, id est, admodum justum, & minime

& minime reum mortis æternæ: sed cum apertis ipsius oculis, per DEI gratiam verus legis sensus ipsi apertus est, tum se comperisse vim peccati, & se reum mortis æternæ, manifestè perspexisse.

Vers. 10. *Et inventum est illud mandatum quod erat ad vitam, mihi* cedere *ad mortem*.

Ex hac experientia duo se didicisse ait; *Primum*, finem mandati, & effectum per se, esse bonum, quia mandatum DEI bonum est, & ordinatum per se ad vitam, si homines ei obtemperassent. *Alterum*, Effectum legis per accidens esse mortem, quatenus mortem interminatur peccatori, & eum qui peccavit, reum peragit mortis, urgetque ex justitia, ut morti tradatur.

Vers. 11. *Nam peccatum occasione per illud præceptum sumpta, seduxit me, & per illud occidit*.

Vers. 12. *Itaque Lex ipsa quidem sancta, & Præceptum illud sanctum, ac justum & bonum* est.

Tertia ratio, pro legis apologia; Peccatum inhabitans, est causa seductionis, & mortis, arreptâ tantum occasione ex lege, seu mandato, sicut ipse experientia didicerat; Nam cogitantem de vetitis in lege, *Peccatum* invitavit, & allexit ad vetita, & polluit, atque ita per mandatum morti magis magisque obnoxium ipsum reddidit. Ergo lex tota sancta est, & nominatim mandatum illud *vetans concupiscentiam*, sanctum, justum, & bonum est, nempe quia à sancto DEO, secundum æquitatem, & ad nostram utilitatem, datur.

Vers. 13. *Ergo quod bonum* est, *mihi factum est mors? Absit: sed peccatum* mihi factum est mors, *ut appareret esse peccatum mihi per id quod bonum est efficiens mortem*, id est, *ut peccatum fieret admodum peccans per illud præceptum*.

Secunda objectio; diceret aliquis, Ergo ne quod bonum est, mihi cessit in causam mortis; Respondet aversando calumniam: siquidem discernenda est occasio à causa, & usus rei, ab abusu. Absolvit igitur legem, & in peccatum inhabitans, culpam omnem conjicit. Immo, *inquit*, non lex sed peccatum inhabitans mihi est causa mortis, & prodit se esse peccatum,

quatenus

quatenus per bonam DEI legem irritatum & accensum in me, vitiosos motus & legi DEI rebelles, excitavit, mortemque hac ratione mihi tantò magis accersivit; ut ita peccatum innatum, *maxime peccans* in me per illud mandatum manifestaretur. Quod opportunè dictum est, ad obturandum omnibus os, qui concupiscentiam illam innatam, & nunc omnibus naturalem, alioqui negarent peccatum esse nisi ea & actualium peccatorum & mortis causa, esse comperiretur: atque hæc est pro lege apologia.

Tertia Pars.

Vers. 14. *Scimus enim Legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato,*

Tertia pars Capitis, in qua habetur secundus locus consolationis eorum, qui deflent suæ obedientiæ Legi præstitæ imperfectionem, ab exemplo Apostoli, luctantis cum eodem malo, & victoriam reportantis, beneficio gratuitæ justificationis, ut apparet ex versu ultimo. Vis argumenti hæc est, Ipse ego deflens in me vim peccati luctor adversuseam, consolationem capiens, ex justificatione per fidem in CHRISTUM: Ergo & vos sancti athletæ in luctu vestro consolationem accipite.

In Apostoli lucta, *triplex paroxysmus* proponitur, & triplex victoria in recessu, ubi febris jam refrixit: In quibus omnibus immiscentur consolationis argumenta aliqua, ducta ab Apostoli experientia: *Primus paroxysmus* oritur ex triplici dissidio; *Primum dissidium est legis & sui ipsius.* Ego, inquit, cum reliquis fidelibus agnosco *legem* spiritualem, quæ tota sapiat sanctitatem Spiritus DEI, & ad spiritualem vivendi rationem, referatur tota. Sed meipsum cum respicio, & cum Legis spiritualitate confero meam obedientiæ imperfectionem, cogor meipsum (respectu veteris in me hominis nondum mortificati) carnalem agnoscere, & tanquam mancipium venditum ut subjicerer peccato, è cujus vinculis expedire me nequeo, quin sæpe abripiar quo nollem.

Vers. 15. *Quod enim perpetro, non agnosco: non enim quod volo hoc ago, sed quod odi, hoc facio.*

Probat quod dixit, & *secundum dissidium* ostendit inter *actiones* suas, & *judicium* suum renovatum: Quod perpetro, inquit, non agnosco, non approbo; nempe cum actiones meas examino ad perfectam normam legis, cogor multa in actionibus meis, non approbare, sed condemnare. Ter-

Tertium diſſidium oſtendit, inter *actiones* ſuas, & *voluntatem* ſuam renovatam, non ago, quod volo bonum (inquit) impeditus ſcilicet, à corpore peccati in me; & quod odi malum hoc facio, à regula deficiens ubi nollem: vellem enim Legi DEI obedientiam perfectam præſtare, ſed minimè præſto, & in multis pecco.

Verſ. 16. *Quod ſi id facio quod nolo, conſentio Legi quòd bona ſit.*

Fuit primus paroxyſmus, ſequitur victoria in receſſu, & conſolationis argumenta tria, quibus Apoſtolus ſe & reliquos athletas conſolatur. Primum argumentum, Ego ipſe Apoſtolus, in numero ſum eorum, qui deflent ſuæ ſanctitatis imperfectionem, & eandem luctam, cum iis & moleſtiam in me percipio, ex meæ obedientiæ imperfectione. Ergo conſolationem habent, deflentes ſuæ ſanctitatis imperfectionem, cum nihil alienum à ſanctis reliquis, imo ne Apoſtolis quidem, patiantur.

Conſentio] *Arg.* 2. conſolationis eſt, Quod ex hac lucta emergat indicium ſanctificationis inchoatæ in luctante, & conſenſus in DEI legem, ut bonam & ſanctam: nam ſi quod nolo hoc facio, tum conſentio Legi quod bona ſit: Et idem indicium ſuæ ſanctificationis habent omnes deflentes ſuæ obedientiæ imperfectionem.

Verſ. 17. *Nunc itaque non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat*, id perpetrat.

Arg 3. Conſolationis eſt, Quod lugenti ſibi imperfectionem ſuam, improbanti, & condemnanti eam, non imputetur illud malum, (quod etiam intelligendum eſt, de reliquis ſanctis athletis,) ſed peccato in ſe habitanti: quia DEUS, deflentes naturæ ſuæ pravitatem, æſtimat à meliori ipſorum parte, renovata ſcilicet, quæ prævalet, & prævalitura eſt, cum peccati inhabitantis mortificatione, & abilitione, à qua renovata parte denominatur Chriſtianus athleta; *Non amplius*, inquit, *ego id perpetro.*

Verſ. 18. *Novi enim non habitare in me (id eſt in carne mea) bonum: nam velle adeſt mihi, ſed ut quod bonum eſt perficiam, non aſſequor.*

Alter paroxyſmus, conſiſtens etiam in diſſidio *triplici*; Primum eſt inter ſeipſum *veterem* hominem; ſeu qua parte nondum erat renovatus, & ſe-

ipſum

ipsum *novum* hominem, seu qua parte renovatus erat, & hic ipse renovatus, condemnat seipsum non renovatum, ut vacuum omni bono, & receptaculum idoneum cuivis malo; *Novi*, inquit, *non habitare in me*, id est, *in carne mea*, (seu corrupta, & nondum purgata natura, quam ex carnali generatione traho) ullum bonum spirituale, per quod DEO placeam.

Probat quod dixit, & secundum dissidium proponit, inter *voluntatem* suam renovatam, & impotentem *carnem*, seu naturam perversam, *impedientem*, ne motus sancti, à spiritu excitati, executioni mandentur.

Vers. 19 *Non enim facio bonum quod volo: sed malum quod nolo, hoc ago.*

Tertium dissidium, inter *voluntatem* renovatam, & *carnem*, seu veterem hominem, non tantùm impedientem, renovatæ voluntatis executionem, sed etiam contraria voluntati renovatæ effecta *mala producentem*. Miretur hic aliquis, quid sibi velit, cum de mali perpetratione loquitur; cum sciamus omnes ex Scripturis, quam sanctè, & immaculatè, se gesserit in omnibus Apostolus noster, post conversionem suam. Sed mirandum non erit, cum perpendimus, eum pro sanctitatis eximia mensura, qua donatus erat, non potuisse naturæ suæ rebelles motus intueri, quin se reum perageret, & boni omissi, & mali perpetrati: Observabat enim motus illos, vel impedientes, ne omnes officii sui partes, erga DEUM & homines, quam exactissimè præstaret, vel polluentes aliquo modo, in DEI conspectu, actiones suas omnes, legi DEI contrarias esse. Quid mirum ergo, si hunc in modum, se tanquam eximium peccatorem pingat?

Vers. 20. *Quod si id facio ego quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat*, id perpetrat.

Sequitur victoria, post hunc paroxysmum, & repetita consolatio sui ipsius, & reliquorum Sanctorum, Quod deflenti sibi, hanc suam imperfectionem, non sit imputandum admissum peccatum, sed corruptioni suæ naturæ, seu habituali peccato inhabitanti, perditioni & abolitioni destinato: & quod obluctetur peccato, idcirco denominetur ipse à meliori, & renovata sui parte, ut supra *vers.* 17. non verò à parte deteriori.

Vers. 21. *Invenio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem* imposita esse, *quòd mihi malum adjaceat.*

Tertius

Tertius paroxyſmus, conſtans triplici diſſidio; Primùm eſt *inter ſe* renovatum, *ſanctitati ſtudentem*: & *pravam inclinationem*, ei adhærentem, ipſumque ex neceſſitate quadam, tanquam lege aliqua *ad malum incitantem*, & impellentem.

Verſ. 22. *Delector enim Lege Dei quòd ad interiorem hominem.*

Verſ. 23. *Sed video aliam legem in membris meis belligerantem adverſùs Legem mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis.*

Secundum diſſidium, eſt inter hominem interiorem ſpiritualem, ſeu renovatum, cum ſuis affectibus renovatis, & DEI lege, *ex altera parte*; & hominem exteriorem, animalem, ſeu veterem non renovatum, inſtructum membris ſuis, & facultatibus, cum ſuis motibus rebellibus, *ex altera parte*; adverſùs legem DEI, & legem, ſeu inclinationem mentis renovatæ, pugnantem, & prævalentem aliquando; & captivum ſe reddentem pravæ ſuæ naturæ inclinationi. Hæc pugna eſt, de qua *Galat.* 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis eadem faciatis*: Quam luctam ſoli intelligunt, qui eam intra ſe ſentiunt, & vim peccati, etiam ſanctiſſimas actiones ſuas, aliquo modo polluentis, & vitæ ſuæ telam totam, longè latèque pervadentis experiuntur.

Verſ. 24. *Ærumnoſus ego homo: quis me eripiet ex iſto corpore mortis?*

Tertium diſſidium, eſt inter *Concupiſcentiam pravam*, & ſanctum DEI ſervum, *proſtratum*, jacentem, & ſub oppreſſione victricis perverſitatis naturæ, ſeu corporis hujus mortiferi, gementem, lamentantem, & ad DEUM liberatorem exclamantem.

Verſ. 25. — *Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Poſt paroxyſmum, ſequitur victoria, & conſolatio per fidem in juſtificantem CHRISTUM, unà cum gratiarum actione, ad DEUM liberatorem, qui conſolationem paravit in CHRISTO, non iis qui peccato indulgent, ſed iis qui peccata deflent.

Vers. 25. *Nempe igitur ipse ego mente quidem servio Legi Dei, carne verò legi peccati.*

Tandem sedatâ mente, post affectum, & doloris ob peccatum inhabitans; & gaudii, propter speratam liberationem per CHRISTUM, Apostolus proponit seipsum denuo, commilitonem, cum reliquis sanctis, in hoc sacro bello, adversus reliquias peccati; *In hunc sensum*: Nempe igitur, ipse ego Apostolus, (ut in consolationem eorum qui peccata sua deflent summatim recolligam, quæ de me ipse dixi) profiteor, me non assequutum esse, eam mensuram sanctitatis, ad quam aspiro: Sed unà cum reliquis Sanctis, lugens, & luctans, sub spe liberationis, pergo: Et quasi divisus à meipso, luctantibus inter se, spiritu & carne in me, *mente* quidem, seu parte mei spirituali, & renovata, cum *delectatione*, servio Legi DEI: *Carne* verò, seu parte mei non renovatâ, ipse inquam, tanquam captivus legi peccati, seu corruptæ naturæ inclinationi prævalenti, *subjugatus servio.*

Caput octavum.

QUinta Confirmatio, Justificationis per fidem est, *quod hæc justificandi ratio, solidam consolationem præbeat, non solùm adversus omne malum, post hanc vitam metuendum, sed etiam adversus omnes molestias, & afflictiones, quibus obnoxii sunt Dei filij in hac vita.*

Capitis *tres* sunt partes, *Prima* est consolatio Justificatorum, adversus condemnationis metum, qui vexare posset, lugentes suæ sanctificationis imperfectionem, & peccati in se reliquias; Quam consolationem propriam facit justificatorum studentium sanctitati, secluſis irregenitis, peccato indulgentibus, ad *vers.* 9. eamque applicat Romanis, ad *vers.* 12. Et applicatam, in usum trahit, ad *vers* 17 *Secunda pars* continet consolationes Justorum, adversus hujus vitæ calamitates, quibus Fideles obnoxii sunt, ad *vers.* 31. *Tertia pars* continet Justificatorum Triumphum de omnibus hostibus, ad finem.

Vers. 1. *NVlla igitur nunc* est *condemnatio iis qui* sunt *in Christo Iesu*, qui *non secundùm carnem ambulant, sed secundum spiritum.*

Ex superio-

Ex superioribus, infert consolationem Justificatorum, adversus condemnationis metum, quem incutere posset, peccati in se habitantis, conscientia: Nulla (inquit) est condemnatio iis, qui verâ fide insiti sunt CHRISTO: Et quia multi profitentur fidem, quam non habent, describit verè fideles, & justificatos, ab hac proprietate, quod non indulgeant peccato, nec ultrò sequantur, carnis, & corruptæ naturæ suæ ductum, sed secundum DEI mandata ambulent, & motus Spiritus sancti, intus suadentis, ut vitæ suæ cursum, secundum verbi DEI regulam, dirigant, lubentes sequantur.

Vers. 2. *Nam Lex Spiritus vitæ* qui est *in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati & mortis.*

Hanc consolationem, deberi verè justificatis, sanctitatis studiosis, probat tribus argumentis.

Argumentum primum, Lex fidei, vitæ, & Spiritus in CHRISTO, seu fœdus Gratiæ, liberavit unumquemque fidelem, & me nominatim, à lege mortis & peccati, seu à fœdere Operum: Ergo Justificatis, verè cum CHRISTO unitis, nulla est condemnatio. Per legem enim spiritus vitalis in CHRISTO, intelligit legem Fidei, seu fœdus Gratiæ, quia per fidem, seu fœdus gratiæ, accipitur Spiritus, & vitæ CHRISTI communio. Per legem verò mortis & peccati, intelligit legem operum, ut *Rom.* 3 27. seu fœdus operum, per quam legem, seu fœdus, fit convictio de peccato, & condemnatio reorum ad mortem.

Vers. 3. *Nam quæ Legis erat impotentia quum viribus esset destituta in carne, Deus suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnavit peccatum in carne.*

Arg. 2. Cum lex impotens comperta est, ad justificationem procurandam, propter carnis, seu humanæ naturæ, jam corruptæ, impotentiam, ad perfectam obedientiam ei præstandam. DEUS misso Filio in carnem, ejusdem naturæ cum nostra, similemque in omnibus (excepto peccato) in Filii sui carne crucifixa, condemnavit peccatum nostrum, ut expiatione factâ pro nobis, prorsus aboleretur è nobis. Ergo peccatum non poterit nobis justificatis, qui in CHRISTO sumus, esse causa condemnationis, & sic nulla nobis est condemnatio.

Vers. 4. *Ut jus illud Legis compleatur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum.*

Arg. 3. Eo ipso fine, condemnatum est pecatum, in condemnato & mortuo CHRISTO, pro nobis, ut nobis in CHRISTO semel condemnatis, & mortuis, Legi satisfactum esse in nobis comperiretur; in nobis, inquam, qui non carnis desideria sequimur, sed ductum Spiritus sancti; Ergo nulla jam nobis restat condemnatio.

Vers. 5. *Nam qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò sunt secundùm Spiritum, quæ Spiritus sunt.*

Cur hanc consolationem, propriam fecerit sanctitati studentium, seclusis omnibus irregenitis, seu peccato indulgentibus, rationes reddit *quatuor. Prima ratio,* Carnales, & irregeniti, sola carnalia, & vitiosa sapiunt, & affectant: regeniti verò sapiunt, & affectant spiritualia: Ergo non mirum, quod soli sanctitatis studiosi, ad immunitatis à condemnatione consolationem, admittantur, carnales verò excludantur.

Vers. 6. *Nam quod sapit caro, mors est: quod autem sapit Spiritus, vita & pax.*

Ratio 2. Ipsa prudentia carnalium hominum moderatrix consiliorum, & actionum ipsorum, fertur tantùm ad ea, quæ carni placent, sine respectu ad DEUM, & vitam æternam, & sic ad mortem tantum fertur: Prudentia vero spiritus, seu habitus dirigens actiones renatorum, fertur ad ea, quæ ad vitam & pacem spiritualem spectant; Ergo non mirum, si soli eximantur regeniti, & spirituales, à condemnatione, non verò carnales.

Vers. 7 *Quoniam quod sapit caro inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.*

Ratio. 3. Confirmans priorem; Carnis prudentia ipsa, politicorum ingeniorum præcipua virtus, DEO *inimica* est, siquidem sua tantùm quærit, & curat, DEO semper posthabito, & rejecto, nec enim legi DEI, vel subjicitur, vel subjicii quidem potest: nam finibus suis carnalibus, non potest non subjicere animam, Cælum, DEUM, & omnia; de iisque agere, prout carni, & finibus carnalibus, conducibile existimat: Non mirum ergo carnales non eximi à condemnatione.

Vers. 8.

Vers. 8. *Ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Ratio 4. Quicunque irregeniti sunt, in statu carnis, seu corruptæ naturæ, DEO placere non possunt, quia non possunt non studere illis rebus, quæ sibi placent. Non ergo mirum, quod non eximantur è condemnatione.

Vers. 9. *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu: siquidem Spiritus Dei habitat in vobis, quòd siquis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.*

Applicando proprietatem Justificatorum Romanis, applicat etiam consolationem de immunitate à condemnatione iisdem Romanis, ad quos scribit, de iis judicans ex charitate: prudenter interim ipsos alloquitur, ne hypocrisin in quovis foveret. Rationes autem applicationis dat quatuor.

Prima ratio. Vos non estis obnoxij imperio carnis, non estis irregeniti, sed in statu spirituali, spiritus ductum sequentes. Ergo nulla vobis condemnatio, seu, quod idem est, ad vos pertinet prædicta consolatio.

Ratio 2. confirmans superiorem, Spiritus CHRISTI, corda vestra, & vitam vestram formans ad sanctitatem, habitat in vobis; nam nisi sic de vobis judicarem, vos etiam ad CHRISTUM non pertinere existimarem; nam qui CHRISTI Spiritum sanctificantem non habet, nondum CHRISTI vivum membrum est. Ergo nulla vobis est condemnatio.

Vers. 10. *Porrò si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem, vita est propter justitiam.*

Ratio 3. Cum CHRISTUS sit in vobis, licet corpus quidem vestrum, ratione reliquiarum peccati, non nisi in morte abolendarum, morti sit destinatum, & certò moriturum: SPIRITUS tamen regenerationis datus vobis, est ipsa vita æterna in vobis, seu animabus vestris inchoata, propter justitiam CHRISTI imputatam. Ergo nulla vobis est condemnatio.

Vers. 11. *Sed si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius spiritum in vobis:*

Ratio

Ratio 4. Spiritus CHRISTI inhabitans in vobis, domicilium suum non est unquam omnino deserturus, sed vos glorioſum, & dignum se hoſpitium immortale, sibi redditurus; In quem finem, DEUS, non minus certo, & potenter vestra etiam corpora mortalia, ad vitam immortalem vivificabit, quam CHRISTI corpus, à mortuis excitavit: Ergo nulla vobis est condemnatio.

Vers. 12. *Nempe igitur fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, sed Spiritui.

Applicatam Romanis consolationem, de immunitate a condemnatione, trahit jam in usum, hortando eos, ut sanctitati studeant, & ita sibi firmam consolationem reddant. Hortationis argumenta sunt sex.

Argumentum primum. Devincti sumus omnibus modis, ad serviendum *Spiritui sancto*, nos de officio nostro, intus, & ex verbo suo, quotidie commonenti; non vero debemus *carni*, seu naturæ pravitati servire, vel ejus desideriis obsequi, quippe cui nihil debemus, præter odium, & mortificationis media, persolvere. Ergo sanctitati studendum.

Vers. 13. *Nam si secundùm carnem vixeritis, futurum est ut moriamini; sed si Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.*

Arg. 2. Si carnis, seu corruptæ naturæ desideria, vobis pro regula statuatis, ut secundum ea, vitam instituatis vestram, morte æterna moriemini: Ergo nisi perire vultis, sanctitati studendum.

Arg. 3. Si Spiritui DEI obtemperaveritis, solis mediis ab ipso præscriptis utentes, & virtutem ipsius, quam vobis in CHRISTUM credentibus suppeditabit, adhibentes, ad motus pravos & actiones corporis carnalis pravas mortificandum; haud dubiè vitam æternam ex DEI gratia consequemini. Ergo sanctitati studendum.

Vers. 14. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur ij sunt filii Dei.*

Arg. 4. Confirmans superius, Omnes qui sequuntur mandata, & ductum Spiritus sancti, testantur se esse filios DEI, virtute Spiritus regenitos: Ergo ut probetis vos esse DEI filios, Spiritui DEI obtemperantes, sanctitati studete.

Vers. 15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis rursus ad metum*

metum, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba, id est, *Pater.*

Arg. 5. Simul etiam, Confirmans eos esse DEI filios, Quia postquam confugerunt ad CHRISTUM, & fœdus gratiæ amplexi fuerunt, liberati sunt per fidem, à servili metu condemnationis, (quem incutit Spiritus, omnibus, qui ex fœdere legali, seu operibus quærunt vitam) & donati sunt Spiritu adoptionis. Hinc argumentum; Postquam fœdus gratiæ, per fidem in CHRISTUM, amplexi estis, non datur vobis amplius, *secundùm Evangelij tenorem*, servilis metus condemnationis, sed Spiritus adoptionis, ut possitis DEUM familiariter, cum DEI populo, sua quisque lingua, Patrem invocare. Ergo & filii DEI estis, & ut filios DEI in sanctitatis studio, vos gerere tenemini.

Vers. 16. *Et ille ipse Spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.*

Arg. 6. Spiritus DEI, obsignat in cordibus nostris, & una testatur cum Spiritu nostro, seu conscientiis nostris, nos esse DEI filios: Tenemur ergo sicut decet DEI filios, in sanctitatis studio nos gerere.

Secunda Pars.

Vers. 17. *Quòd si filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si modo* cum eo *patimur, ut* cum eo *etiam glorificemur.*

Secunda pars capitis, continens consolationes justificatorum per fidem, adversus afflictionum, in hac vita, acerbitatem.

Præmittit autem consectarium, ex superioribus deductum, in quo probat fideles, seu justificatos per fidem, non solùm hæredes esse DEI, & jus habere ad omnia ejus bona, sed etiam cohæredes esse CHRISTI, & ascitos per adoptionem, ad communionem cum unigenito filio, & in societatem hæreditatis cum ipso, propterea quod sint filii DEI. Hoc jus est justificatorum ad hæreditatem, cujus hæreditati possessionem, ut adeant, annectit conditionem afflictionum, cum CHRISTO perferendarum. Consolationis autem argumenta affert Tredecim.

Primum argumentum consolationis, Communionem cum CHRISTO in afflictionibus, sequetur communio cum CHRISTO in regno cœlesti, & in possessione glorioſæ hæreditatis. Ergo in afflictionibus nosmet consolemur.

Vers. 18.

Vers. 18 *Reor enim minime pares esse præsentis temporis pessiones gloriæ in nobis revelandæ.*

Arg. 2. Non est hæc dura conditio; Quia subductis calculis, comperio, quæcunque in hac vita perpetimur, justitiæ causa, indigna esse ut ullo modo, æquiparentur gloriæ revelandæ, & in nos tandem conferendæ; sive rerum qualitatem, sive temporis durationem spectemus: Ergo in afflictionibus nosmet consolemur.

Vers. 19. *Etenim mundus hic conditus, exerto capite, observans expectat dum revelentur filij Dei.*

Arg. 3. Figuratè propositum; tota mundi machina, suo modo nobiscum patiens, sustinet se spe revelandæ filiorum DEI gloriæ in die judicii, & solicitè quasi exerto capite, tempus illud optatum expectat; Ergo & nos, hac etiam spe, cum consolatione, nosmet sustinere debemus.

Vers. 20. *Nam vanitati mundus hic conditus, subjectus est, non sua sponte, sed propter eum qui subjecit* eum isti vanitati.

Explicat hoc argumentum; Ostendendo *primo*, res creatas, subjectas esse vanitati, id est, conditioni corruptibili, & abusui vanissimorum hominum, qui creaturâ abutuntur, ad omne genus peccati, eamque sibi servire cogunt, ad libidines suas vanissimas explendas: *Secundo* creaturam, non subjici huic servituti, *sua sponte*, seu naturali sua propensione, seu secundum usum naturalem, ad quem à DEO condita est, sed propter voluntatem, seu judicium DEI, qui huic maledictioni subjecit creaturam, unà cum homine peccatore, cujus causa creata est mundi machina. Hinc, *Arg.* 4. Creaturæ subjacent vanitati, & miseriæ, non sua sed nostra culpa, & patienter eam sustinent: Ergo multo magis nos, qui miseriis nostra culpa subjacemus, sub spe liberationis, patienter afflictiones tolerare decet.

Vers. 21. *Sub spe quòd & ipse liberabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Arg. 5. Spes est de creaturis, fore ut vindicentur ex servitute corruptionis, in statum, convenientem futuræ glorioſæ conditioni filiorum DEI. Ergo, multò magis, ipsis DEI filiis speranda est liberatio.

Vers. 22.

Vers. 22. *Scimus enim totum mundum creatum unà suspirare, & unà parturire ad hoc usque tempus.*

Arg. 6. Scimus, mundi machinam totam, ab eo tempore quo peccatum introiit in mundum, ad hoc usque tempus, unà ingemiscere, & unà parturire, ut ab onere peccatorum hominum, liberata, in lucem æternam edat maturum partum, omnium DEI Filiorum: Ergo nisi vanum, hunc naturæ instinctum, diceremus; tempore à DEO constituto, speranda est plena liberatio, Filiorum DEI.

Vers. 23. *Neque verò* ille *solùm, sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, nosipsi, inquam apud nos ipsos suspiramus. adoptionem expectantes,* id est *redemptionem corporis nostri.*

Arg. 7. Non tantùm res creatæ, sed etiam nosipsi, qui primitias Spiritus, pacem & gaudium pignora & initia vitæ æternæ accepimus, suspiramus, expectantes plenam, adoptionis nostræ manifestationem, in resurrectione corporum, vi redemptionis à CHRISTO factæ, à malis omnibus liberandorum. Ergo nisi, & primitias messis æternæ vitæ, & Spiritus desideria, pro nihilo ducamus, ex liberationis certitudine consolationem capere debemus.

Vers. 24. *Nam spe servati sumus, spes autem si videatur, non est spes, quod enim quis videt, cur speret?*

Vers. 25. *Si verò quod non videmus speramus,* nempe *per tolerantiam expectamus.*

Arg. 8. A natura spei, quæ dicitur servare, quia promissionum DEI complementum, expectat ad salutem. Datur nobis spes salvifica, quæ non est visibilium, & præsentium, sed futurorum bonorum certa & patiens expectatio: Ergo nisi spei salvificæ renunciemus in afflictionibus, consolatio non deerit nobis expectantibus liberationem promissam ex omnibus molestiis.

Vers. 26. *Itidem autem & Spiritus unà sublevat infirmitates nostras, quid enim oremus ut oportet, non novimus: sed ipse Spiritus intercedit pro nobis suspiriis ineffabilibus.*

Arg. 9. In afflictionibus soli non sumus, sed auxiliarem habemus SPIRITUM sanctum consolatorem, qui nos laborantes & infirmos sustinet, & ad precandum ignaros instruit, ita ut ipse excitans in nobis su-

spiria inenarrabilia, quasi advocatum agat, pro nobis, apud Patrem. Ergo in afflictionibus, consolationem capere debemus.

Vers. 27 *Qui verò scrutatur corda, novit quid sapiat Spiritus: quia secundùm Deum intercedit pro Sanctis.*

Arg. 10. Cum occupatione objectionis; Diceret aliquis, Nos ipsi confusorum, & indistinctorum suspiriorum, sensum, non discernimus. Responsio suppeditat argumentum consolationis: Deus qui scrutatur corda, Spiritus sui suspiria in nobis excitantis, sensum probè novit, & ut voluntati suæ congruentem, acceptat. Quia, ut secundum Dei voluntatem precentur Sancti efficit, & ipse etiam, suo modo, interpellat: Ergo certi de exauditione precum, in afflictionibus nostris consolationem capere debemus.

Vers. 28. *Novimus autem, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, iis* videlicet qui *ex præstituto* ipsius *vocati sunt.*

Arg. 11. Ut res omnes, sic etiam afflictiones, cooperantur in bonum Justificatorum, seu Fidelium: Ergo consolationem capere possunt in rebus adversissimis. Pro Justificatis, seu Fidelibus, ponit ipsorum descriptionem; Primò, quod diligant Deum, utpote qui misericordiam, & benevolentiam Dei in Christo, per fidem amplexi sunt, & non possunt Deum non diligere ex animo: Secundò, quod efficaciter vocati sint, utpote quos Spiritus Dei, per verbum suum efficaciter movit, ut cœlesti vocationi, peccatores ad Christum invitanti, obtemperarent. Tertiò, quod vocati sint ex proposito, siquidem electi à Deo, ex mero beneplacito, ante tempora, sine ullo respectu ad ipsorum merita, vel dignitatem, & eo ipso consilio in tempore vocati sint, ut perducerentur ad vitam æternam, ad quam prædestinati sunt.

Vers. 29. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini Filii sui: ut is sit primogenitus inter multos fratres.*

Arg. 12. Confirmans superius, Indissolubili catena, conjunxit Deus, in decreto electionis & prædestinationis, conformitatem Justificatorum, seu efficaciter vocatorum, cum Christo, in omnimoda similitudine; nempe crucis, sanctitatis, & felicitatis, eo ipso fine, ut Christi gloria magis

magis appareat, dum Ille sicut decet primogenitum Antesignanus, inter electos fratres comperitur, sicut in afflictionibus sanctè & fortiter ferendis, sic in gloriæ corona, post afflictiones reportanda: Ergo debent Justificati, in afflictionibus suis consolationem capere, cum videant eas, & in bonum suum, & in CHRISTI gloriam tendere.

Vers. 30. *Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit*:

Arg. 13. Vocatio efficax, & justificatio, quæ in hac vita fidelibus dantur, ut beneficia à DEO; tanquam annuli catenæ indissolubilis, adeo firmiter connectuntur cum electione & prædestinatione ante tempora, & cum glorificatione post tempora sæcularia, ut qui efficaciter vocatus est, & justificatus, certus esse possit, de prædestinatione sui, ad vitam ab æterno, & certus etiam de glorificatione sui futura, apud DEUM, in æternum; Nam quos prædestinavit, eos vocavit, *&c.* Ergo justificati, solidam habent consolationem quantumvis afflicti in hac vita.

Tertia Pars.

Vers. 31. *Quid igitur dicemus ad hæc; si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Tertia pars capitis, continens justificatorum per fidem in CHRISTUM, sextuplicem triumphum, de salutis suæ hostibus.

Huic autem gloriationi in DEO præmittit interrogationem, ad indubitatam veritatem doctrinæ totius præcedentis ostendendam, cui contradicere nemo jure poterit; *Quid igitur dicemus ad hæc?* Sequitur pro responsione triumphus omnium justificatorum per fidem in CHRISTUM, quibus se accensèt Apostolus, & quorum nomine, nonnunquam, ut primipilus aliquis, in singulari numero loquitur. *Primus triumphus est*, de omnibus hostibus in cumulo, propter justificatorum cum DEO conjunctionem: Si DEUS pro nobis sit, quis contra nos? *id est*, quum DEUS sit pro nobis, impleturus in nobis, æternum suum propositum sanctificationis, & glorificationis nostræ, quis vel hominum, vel dæmonum, contra nos insurgat, ut salutem nostram impediat?

Vers. 32. *Is quidem qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnia*

bis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo illa nobis omnia gratificabitur?

Secundus Triumphus, est de defectibus boni cujusvis ad salutem necessarii, nitens DEI dilectione tantâ erga nos, ut dederit pro nobis, Filium suum in mortem; In hunc sensum, DEUS qui Filio suo, (quo nihil habet charius) non pepercit, sed pro salute nostra, impendit eum & tradidit pro nobis Electis omnibus, in mortem, non potest non dare nobis Filium suum, & cum Illo, cætera omnia dona, ad salutem necessaria, & denique salutem ipsam & gloriam. Quid igitur ad salutem necessarium deesse nobis potest?

Vers. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is* est *qui justificat.*

Tertius triumphus est de omni accusatore, DIABOLO, Mundo, & propria conscientia, nitens DEI justificantis sententia absolutoria: Quis accusationem instituet, objectis criminibus adversus eos, quos DEUS elegit, id est, nullus id fecerit, nisi frustra: DEUS est qui justificat, id est à peccatis, & ab intentata cujusvis adversarij actione, electos suos absolvit. Triumphamus igitur de omnibus in CHRISTO.

Vers. 34. *Quis est qui condemnet? Christus* is est *qui mortuus est: imò verò qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis.*

Quartus triumphus est, de omni judice, seu judicis partes sibi assumente & sententiam condemnationis, adversus justificatos ferente: Quum DEUS justificaverit nos, quis est alius, qui audet nos condemnare? Quum CHRISTUS, pro nobis mortuus sit, imò verò, & de morte, victor resurrexerit, & ascenderit in cœlum, & ibi in gloria jam nunc interpellet pro nobis, non est metuenda nobis ulla condemnatio, nisi frustra esse CHRISTI mortem, resurrectionem, ascensionem, sessionem in gloria, & intercessionem, diceremus, quod est blasphemum. Triumphamus igitur in CHRISTO.

Vers. 35 *Quis nos separabit à charitate Christi?* num *afflictio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?*

Quintus

Quintus triumphus, de afflictionibus externis, quarum sex species enumerat, quibus comprehendit omnes res adversas, quibus Christiani, ullo modo, ab ingrato mundo, urgeri solent propter justitiam; de omnibus negans, quod ullus hostis, per hæc mala impedire poterit, quominus effectum plenissimum,& sensum suavissimum divinæ erga nos charitatis, tandem percipiamus.

Vers. 36. *(Sicut scriptum est, Tui causa occidimur totum diem: reputati sumus velut oves destinatæ mactationi.)*

Ne de hoste ficto, triumphare videretur, probat ex Psalmo 44. versu 22, omnes veros DEI servos, eosque qui tunc temporis in vivis agebant, omnibus istis miseriis esse obnoxios, ita ut possent Psalmi verba sibi accommodare, dicentes, nos quotidie tua causa, O DEUS, occidimur, & perinde tractamur ac si oves essemus, mactationi destinatæ.

Vers. 37. *Imò in his omnibus amplius quam victores sumus, per eum qui dilexit nos.*

Prosequitur triumphum, excellentiam victoriæ prædicans, quam de his malis, reportabant suo tempore Christiani, per virtutem CHRISTI: à pugna enim semper redibant plus quam victores, nempe nec vulnerati, nec defatigati, nec jacturam ullius boni passi, sed saniores, robustiores, sanctiores, gratia omni auctiores, etiam tum cum mundo victi videri possent maxime, cujus triumphi gloriam, in solidum totam CHRISTI dilectioni, ascribit.

Vers. 38. *Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura.*

Vers. 39. *Neque sublimitatem, neque profunditatem. neque ullam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Sextus, & ultimus triumphus, de ipsa incredulitate, & de dubitationibus omnibus, quæ ex quavis creatura, vel quavis causa præsenti, vel futura, oriri possent. Per *vitam & mortem* intelligit, omnia extrema, secunda & adversa, quibus allici, vel terreri possemus. Per *Angelos* intelligit bonos & malos Spiritus, si possibile esset, ut concurrerent, ad nos à CHRISTO sepa-

sto separandos; Per *Principatus & Potestates* intelligit potentiam Regum, Imperatorum, Gubernatorum, Tyrannorum, in universo Mundo. Per *instantia & futura* intelligit, omnes eventus intermedios, qui jam evenerunt, vel ante mortem accidere possunt. Per *profunditatem & sublimitatem* intelligit creaturas, supra vel infra nos constitutas. Per *ullam aliam creaturam*, intelligit universaliter, rem quamvis creatam, in toto universo, seu quicquid præter Deum est, quod possit videri terribile. De his omnibus, plena fidei persuasione triumphat, propter potentem, & efficacem, certam, & immutabilem Dei dilectionem, qua nos ad salutem vult provehere, à cujus dilectionis amplexu, affectu, sensu salutari, & fruitione, nihil unquam, justificatos per fidem in Christum divellet: Cujus rationem reddit, quia gratuitæ dilectionis Dei ad nos derivandæ efficacia, fundata est in Christi merito infinito, & omnipotente ipsius virtute, qua custodimur per fidem, ad salutem.

Caput nonum.

Est *sexta, & ultima* confirmatio, *gratuitæ justificationis per fidem in* Christum, *& non ex operibus*, ab experientia, Partim rejectitiorum Israelitarum, *qui justitiam ex operibus quærentes, justitiam non sunt assequuti, seu non sunt omnino justificati*: partim Gentilium fidelium, *qui operibus destituti, justificati sunt per fidem in Christum, absque operibus legis: unde sequitur justificationem per fidem in Christum, absque operibus legis, solam esse veram, & solidam.*

Hoc argumentum, quia videbat, variis cavillationibus obnoxium, hinc atque hinc, studiosè munit, & explicat tribus proximè sequentibus Capitibus.

Capitis tres *sunt* partes: *In* prima, *præoccupantur quatuor objectiones, adversus sententiam Apostoli, de rejectione Judæorum: In quarum solutione, accuratè tractat, doctrinam prædestinationis, ad versum* 24. In secunda, *probat ex Scripturis, Judæorum rejectionem & vocationem Electorum, ex Judæis, & Gentibus, ad versum* 30. In tertia, *ad confirmandam doctrinam, de justificatione per fidem absque operibus, in medium affert* experientiam Judæorum, *qui quærentes justificationem ex operibus, non sunt justificati: Et* experientiam credentium, inter

um, inter Gentes, *qui destituti operum prætextu, per fidem in* CHRISTUM, *justificati sunt.*

Vers. 1. *VEritatem dico per Christum, non mentior, (attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum sanctum.)*

Prima pars Capitis, in qua tollit objectiones, quæ de repudio Judæorum, moveri possent: *Prima objectio*, Diceret aliquis, quæcunque prolaturus es, Paule, de rejectione Judæorum, odio gentis tuæ, quam infensam habes, dicere videberis. Hanc objectionem præoccupat, & suspicionem à se amolitur, septem rationibus.

Prima ratio, juramento me purgo, quod absque odio, vel præjudicio, sincerè veritatem dicam, sicut decet virum, qui in CHRISTO est, & per Spiritum sanctum agitur & afflatur in loquendo; quos duos, testes veritatis a me proferendæ, una cum conscientia mea, advoco.

Vers. 2. *Magnam mihi tristitiam esse, & cruciatum sine intermissione cordi meo.*

Ratio 2. Quia testis est mihi juranti conscientia, & CHRISTI Spiritus, qui scrutatur corda, quam tristis sim, & quanto dolore crucier, de repudio gentis meæ.

Vers. 3. *Optarim enim ego ipse anathema esse* separatum *à Christo, pro fratribus meis, cognatis* inquam *meis secundùm carnem:*

Ratio 3. Quia tantus est meus erga Judæos amor, ut si fieri posset, ipsorum exitium, propriæ meæ salutis jactura redimerem, & velut piaculum quoddam execrabile, separari à CHRISTO, præ studio salutis ipsorum & gloriæ DEI, optarem equidem, si eo modo servari possent Judæi, qui jam separantur à CHRISTO. Tanto zelo, ad gloriam DEI, & salutem tot millium animarum ferebatur, ut non comparandam censuerit salutem sui unius, cum salute tot myriadum.

Cognatus] *Ratio* 4. Quia teneor eos ut cognatos meos, & fratres secundum carnem diligere, quod & ex animo facio.

Vers. 4. *Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, & gloria, & pacta, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones:*

Ratio 5.

Ratio 5 Quia populum Judæorum honorare teneor, propter privilegia quibus Deus eos honoravit: qualia enumerat septem, quorum *Primum* est, quod Israelitæ sint participes honoris, quem secum tulit, nominis Israel, divinitus impositi patriarchæ Jacob, appellatio. *Secundum* est, adoptio in populum Dei, præ aliis gentibus. *Tertium* est, præsentia gloriæ Dei in arca, & aliis symbolis. *Quartum* est, quod Deus, pacta seu fœdera, cum ipsis inierit. *Quintum* est, Quod lex illis specialiter sit data. *Sextum* est, Quod cultus Dei, inter ipsos sit erectus; *Septimum* est, Quod ipsis, factæ sint specialiter promissiones.

Vers. 5. *Quorum* sunt *Patres illi, & ex quibus est Christus quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus in secula. Amen.*

Ratio 6. Quia propter ipsorum progenitores, Abraham, Isaac, & Jacob, æquum censeo ut eos magnifacerem.

Ratio 7. Quia ex hoc populo, oriundus est Christus, secundum carnem suam, qui in unitate personæ, verus homo, & verus Deus est, super omnia benedictus, & in æternum celebrandus; cui omnes accinamus Amen. Quem Dominum, & Deum nostrum qui honorat, populum unde ille secundum carnem oriundus est, non potest malitiosè dehonestare: Ergo non est quod quisquam, me suspectum habeat, in iis quæ de populi mei rejectione dico, vel dicturus sum.

Vers. 6. *Fieri verò non potest, ut exciderit sermo Dei. Non enim omnes qui* sunt *ex* patre *Israele,* sunt *Israel:*

Objectio secunda; diceret aliquis, At si Judæi sint anathema à Christo, ut tu doces, excidit Dei sermo, & irrita est promissio gratiæ facta Israelitis, cum dixit Deus Abrahamo, *Ero Deus tuus, & seminis tui.*

Respondet, Etiamsi Judæorum Gens, maxima ex parte repudiata sit, fieri tamen non posse, ut Dei sermo exciderit, vel promissio irrita facta fuerit. Rationes responsionis sunt sex.

Prima ratio. Non omnes, qui ex Israele Patriacha secundum carnem orti sunt, illi veri & electi sunt Israelitæ, seu electus populus Israel, cui promissio communionis cum Deo facta est: Ergo etiamsi multi, ex Israele Patre oriundi, repudiati sint, non sequitur sermonem Dei, vel promissionem Dei excidisse, nempe, quia completur in Electis.

Vers. 7.

Vers. 7. *Neque quia* sunt *semen Abrahami* ideo, *omnes* sunt *filii, sed in Isaaco vocabitur tibi semen.*

Ratio 2. Neque sequitur, quia Judæi sunt semen Abrahæ, secundum carnem, ideo omnes eos esse filios, in sensu Scripturæ, seu semen illud promissum. Nam sic, etiam Ismaelitæ, censerentur in semine Abrahæ, contra Scripturam, quæ jus filiorum restrinxit ad Isaacum, & ejus familiam, dicendo, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Ergo etiamsi Judæi, maxima ex parte rejiciantur, non sequitur promissionem DEI excidisse.

Vers. 8. *Hoc est non qui filii carnis, ij filii Dei: sed qui* sunt *filii promissionis, reputantur in semine.*

Ratio 3. Distinguendi sunt filii carnis, à Filiis DEI electis: Nam hoc voluit DEUS, cum secluso Ismaele, Isaacum vocavit *semen Abrahæ*, nempe filios carnis Abrahæ, non esse omnes electos Filios DEI, sed solos Filios promissionis, (seu quos DEUS ex gratia statuebat filios fidei Abrahami efficere cum Isaaco) esse Filios DEI, & semen illud cui promissio facta est: Ergo etiamsi repudientur Judæi, qui jam vivunt, maxima ex parte, non sequitur promissionem DEI excidisse.

Vers. 9. *Promissionis enim sermo hic est, Hoc ipso præstituto tempore veniam, & erit Saræ filius.*

Ratio 4. confirmans priorem, Promissionis sermo, (qui hic est, *Hoc eodem tempore, post annum revolutum, quando reversus, veniam ad te, Sara conjunx tua, quamvis sterilis & vetula, filium habebit*) promissionis sermo inquam, indicans Isaacum, non vi carnis, sed virtute divinæ promissionis prognatum, probat non semini carnali, sed semini electo, gratuitò excitato, benedictionem dari. ERGO, etiamsi repudientur Judæi, maxima ex parte, non sequitur promissionem DEI excidisse, quia supersunt electi, qui hæredes sunt promissionis.

Vers. 10. *Neque* hic *solùm, sed & Rebecca, quum ex uno concepisset*, nempe *ex Isaaco patre nostro*, hæc experta est.

Ratio 5. in hunc sensum; Non solùm superiora exempla, ostendunt non omnes filios esse verum semen, cui promissio facta est, sed etiam & multò luculentiùs, exemplum Rebeccæ, quæ gemellos concepit, ex eodem

Patre nostro Isaaco, nempe Esavum & Iacobum, quorum alter tantùm verè Filius fuit, cui promissa benedictio data est. Ergo sequitur aliquod semen Abrahæ repudiari posse, & promissionem DEI non excidere, sed firmam manere, & compleri in semine electo.

Vers. 11. *Nondum enim natis* pueris, *quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitum illud Dei quod* est *secundùm* ipsius *electionem*, id est, *non ex operibus, sed ex vocante*, firmum *maneret*.

Vers. 12. *Dictum est ei, Major serviet minori.*

Hoc discrimen seminis, seu electionis filiorum aliquorum, & rejectionis aliorum, explicat à suis causis, nempe quod pendeat non ex operibus, seu ulla re bona, vel mala, in creatura, sed à mera voluntate DEI vocantis: *Cum enim nondum nati essent pueri, vel quicquam fecissent boni vel mali, ut ostenderet Deus propositum suum, quod est secundùm electionem*, seu electionis rationem gratuitam, *firmum* & stabile *manere, non ex operibus*, seu ex hominum meritis, *sed ex vocante Deo*, seu ex vocantis DEI solo arbitrio; Responsum est Rebeccæ, de gemellis, omni ratione jam æqualibus fore, ut benedictio, sub primogenituræ, seu DOMINII typo, cederet minori natu, maledictio verò, sub servitutis typo, majori natu. Hinc,

Ratio 6. Propositum quo DEUS secundum electionis decretum, de unoquoque homine statuit, firmum manet, dependens non ab ullis hominum operibus sed à mera DEI vocantis quos vult voluntate liberrima, sicut ex responso Rebeccæ dato, constat, de gemellis nondum natis: Ergo repudiatis his, vel illis Judæis, firma manere poterit DEI promissio in aliis.

Vers. 13 *Sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui.*

Ratio 7. confirmans & explicans priorem; DEUS ex iis qui omni ratione pares sunt, aliquos ab æterno amat, & in tempore se amare ostendit, aliquos verò odit & in tempore se odisse ostendit, ut ex *Malachiæ* Prophetæ, *cap. 1. vers. 2.* in exemplo Iacobi & Esavi constat: Ergo, repudiatis his vel illis Judæis, firma manere poterit DEI promissio in aliis.

Vers. 14. *Quid igitur dicemus? num injustitia* est *apud Deum? Absit.*

Hinc oritur *objectio tertia*, Si ex omni ratione paribus, DEUS aliquos

aliquos diligit & eligit, alios verò odit & reprobat, Quid dicemus? nonne videtur in DEO injustitia esse, quia de æqualibus non æqualiter disponit? Respondet Apostolus cum abominatione, Absit.

Vers. 15. *Nam Mosi dicit, Miserebor cujus misertus fuero: & commiserabor quem commiseratus fuero.*

Rationem reddit negationis, Primum in electione, deinde in reprobatione: Ex quibus rationibus datis consectaria deducit. Ratio cur in electione non sit injustitia, hæc est, Quia misericordiæ exercendæ causa, sola & suprema est DEI liberrima voluntas; liberam habet potestatem agendi de suo quod vult, ut patet ex DOMINI dicto ad Mosen, *Exod.* 33. 19. Ergo nulla injustitia est in DEO, cum in electione exercet misericordiam sicut vult.

Vers. 16. *Nempe igitur* electio *non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur,* nempe *Dei.*

Hinc deducit consectarium, in hunc sensum, Si divinæ misericordiæ exerendæ, seu exertæ causa sola, sit liberrima DEI voluntas, tum ejus causa non est in hominis voluntate, seu arbitrio, neque in hominis actionibus, seu bonis operibus, sed in solo DEO. *Non est volentis,* inquit, Ergo non est ab hominis libero arbitrio. *Non est currentis,* inquit, Ergo non est ab humanis conatibus & actionibus, quod quisquam diligitur, eligitur, seu misericordiam, & benedictionem consequitur; & per consequens à solo DEO miserente pendet.

Vers. 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra.*

Secundo loco rationem reddit de reprobatione, cur non sit in ea injustitia; sanctissimo reprobationis fine; Quia ad illustrandam DEI gloriam facit Reprobatio, ut patet ex Scriptura loquente de Pharaone; quem DEUS excitavit in eum finem, ut in eo glorificaret nomen suum; Ergo non est in DEO, reprobante quos vult, injustitia.

Vers. 18. *Itaque cujus vult miseretur, quem autem vult indurat.*

Hinc deducit consectarium, commune electioni & reprobationi; Quod

causa reprobationis, pariter & electionis quærenda sit, in sola liberrima & sanctissima voluntate DEI, qui liberrimè, & sine injustitia miseretur quorum vult, & liberrimè sine injustitia, sanctissimis modis indurat quos vult.

Vers. 19. *Dices ergo mihi, Quid adhuc succenset? nam voluntati illius quis obstitit?*

Objectio quarta, ex superioribus orta, Si DEUS indurat quos vult, tum induratos in peccato immeritò reprehendit, & per consequens immeritò punit, quia nemo poterit ejus efficaci voluntati resistere.

Vers. 20. *Imo vero, O homo, tu quis es qui ex adverso respondas Deo? Num dicet figmentum fictori, Cur me tale fecisti?*

Ad hanc objectionem Apostolus quadruplicem responsionem reponit, quia in talibus disputationibus ratio carnalis, & corrupta, sibi perplacet. *Responsio prima est* ad personam objicientis; *Imo verò, O homo, tu quis es qui ex adverso respondas Deo?* Quibus verbis ostendit duo: Primum, quod hæc objectio proponatur ab homine corrupto, qui natura mendax est, & inclinatione naturali, nec non libera sua voluntate peccator, cui conscientia debeat os obturare, ne DEO obloquatur, *Quis tu es, O homo?*

Secundum est, quod is adversus quem objectio intenditur, est DEUS, cujus viæ nobis sunt imperveſtigabiles, semper tamen sanctæ, etiam tum cum rationes consilii ejus, nobis brevissimæ capacitatis homuncionibus, minimè patent, *Quis tu es qui respondas DEO?*

Secunda responsio, est ab autoritate DEI absolutâ in creaturas suas, verbis *Esiæ, cap. 45. vers. 9.* proposita, *Væ contendenti cum plasmatore suo, testæ cum testis terræ, nunquid dicet lutum fictori suo, quid facis, seu cur me talem fecisti?* Quâ responsione ostendit Apostolus hanc objectionem, & Scripturæ, & rationi sanæ repugnare, (quia impingit in absolutum, & illimitatum DEI jus in creaturas) & propterea maledictionem, seu væ disputanti hunc in modum adversus DEUM, incumbere.

Vers. 21. *Annon habet jus figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?*

Tertia responsio, proposita per comparationem potestatis DEI in homines, cum potestate hominis in creaturas alias, in hunc sensum, Quantùm licet homini, in aliquam ex DEI creaturis, tantùm licet DEO in hominem

quem

quem creavit: At homini licet ex eadem luti massa, aliud vas ad honorem, aliud ad dedecus, pro arbitrio suo formare. Ergo DEO licet, de massa humani generis, alios formare ad honorem, alios ad dedecus, pro ipsius arbitrio: Et per consequens, non objicienda est DEO injustitia, in electionis & reprobationis negotio.

Vers. 22. Quid *si vero volens ostendere Iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ compacta ad interitum*?

Quarta responsio, non modo liberans DEUM ab omni injustitia, in hac sua liberrima electione aliquorum, & reprobatione reliquorum, sed etiam ostendens summam DEI æquitatem, & sapientiam, in toto hoc negotio ut nec reprobi, conqueri possint de injustitia, nec electi de suis meritis gloriari. Vis autem responsionis per modum quæstionis, ad conscientias hominum acrius pungendas, urgetur in hunc sensum. *Quid si vero* DEUS *volens ostendere iram* suam seu justitiam vindicativam, *& volens potentiam suam notam facere* in executione justitiæ vindicativæ (quod justissima sit scilicet) *pertulit multa lenitate vasa iræ*, sua pravitate *coagmentata ad interitum*, priusquam executioni mandari voluerit meritam ipsorum condemnationem? Quid inquam est hic, quod vel communis ratio DEO obloquatur? quid est hic, quod quivis non laudet in hoc consilio? Ita vero se res habuit, in rejectione Judæorum, quos DEUS non nisi post repudiatam gratiam CHRISTI, & multæ lenitatis abusum, ab Euangelii gratia repudiavit. Quæ justitia, in executione decreti, liberat DEUM ab omni injustitia in decernendo; siquidem non aliter exequitur, quam decrevit exequi.

Vers. 23. *Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam*?

Pendet adhuc quæstio, ideoque repetendum est, *Quid si* DEUS, *etiam ut notas faceret*, & illustriores redderet, *divitias glorioſæ gratiæ suæ, erga vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam, iram & potentiam suam manifestari vult, in reproborum seu vasorum iræ justa perditione*? Quid est, quod in hoc decreto culpet quisquam, in cujus executione tanta justitia, & sapientia, & bonitas manifestatur.

Secunda

Secunda Pars.

Vers. 24. *Quos etiam vocavit*, nimirum *nos non solùm ex Judæis, verùm etiam ex Gentibus.*

Secunda pars Capitis, in qua, ut de vocatione Gentium, & rejectione Judæorum omnibus satisfaciat, & fidem Romanorum muniat, ne suspicione reprobationis læderetur: *Primò* doctrinam electionis applicat Christianis Judæis & Gentibus, quorum electionem & futuram glorificationem, per efficacem vocationem ad fidem, manifestam fecerat DEUS.

Vers. 25. *Ut etiam apud Oseen dicit, Vocabo populum quì meus non* erat *: populum meum ? & eam quæ dilecta non erat, dilectam.*

Vers. 26. *Et erit in loco ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filij viventis Dei.*

Secundò probat prædictam esse vocationem Gentium, testimonio *Hoseæ, cap. 2. vers.* 23. in hunc sensum; Eos, qui non erant populus meus, efficaciter vocabo, seu efficiam populum meum, & qui gratiæ, seu dilectionis donis affecti non erant à me, dilectionis seu gratiæ donis afficientur: & *cap. 1. vers* 10. in hunc sensum; In Græcia, Italia, cæterisque locis, inter Gentes (ubi tum degebant alieni à fœdere DEI) prædicabitur Euangelium, & efficaciter vocabuntur Filii DEI viventis, seu convertentur DEI Electi, ad verum DEI cultum.

Vers. 27. *Esaias autem clamat super Israel*, Etiam *si fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ servabuntur.*

Vers. 28. *Rem enim conficiet & concidet cum justitia: quoniam rem concisam peraget Dominus in terra.*

Vers. 29. *Et sicut priùs dixit Esaias, Nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorthæ similes facti fuissemus.*

Tertio probat, prædictam esse Judæorum rejectionem, Testimonio Isaiæ, cap. 10. versu. 22. In hunc sensum clamantis; etsi populus secundum carnem ex Israele genitus, juxta promissionem DEI, usque adeo multiplicetur, ut comparari poterit cum arena, quæ est in littore maris, solæ tamen

læ tamen reliquiæ ſervabuntur, id eſt, pauciſſimi ſalvi erunt, multitudo vero rejicietur, & peribit, verſu 27. Nam DEUS poſt multæ lenitatis ſuæ abuſum, breviter finiet controverſiam ſuam cum populo illo, diſtrictam ſequens juſtitiam: quoniam DEO ſtatutum eſt, ſeveritatem ſuam cito exequi, & perficere in populi rejectione. Et Cap. 1. verſu 9. idem Iſaias prædixit, niſi DEUS exercituum reliquiſſet populo Judaico, ſaltem exiguum ſemen, in quo, velut reliquiis, promiſſæ benedictiones implerentur, penitus eſſemus conſumpti, & perditi, ſicut Sodomæi & Gomorrhæi.

Tertia Pars.

Verſ. 30. *Quid igitur dicemus? nempe Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehendiſſe juſtitiam, juſtitiam autem eam quæ eſt ex fide.*

Tertia pars capitis, In qua Apoſtolus ſcopum ſuum in præcedentibus exponit hunc eſſe, ut experientia credentium inter Gentes, & juſtitiariorum inter Judæos, præcedentem ſuam confirmet doctrinam de juſtificatione per fidem, & non ex operibus. Prima experientiæ pars de Gentibus, Gentes (inquit) quæ non ſectabantur juſtitiam operum, apprehenderunt veram juſtitiam, illam nempe juſtitiam, quæ eſt ex fide: Ergo juſtificandi ratio illa ſola, quæ non eſt ex operibus ſed ex fide, obtinet.

Verſ. 31. *Iſraelem verò conſectando Legem juſtitiæ, ad Legem juſtitiæ non perveniſſe.*

Altera experientiæ pars, de Judæis incredulis; Iſraelitæ (inquit) ſectabantur legem juſtitiæ, ut ſecundum eam juſtificarentur ex operibus, & illam juſtitiam quæ ex operibus eſt, non ſunt aſſequuti; quia per legem, juſtitia eſt impoſſibilis: Ergo juſtificatio non eſt ex operibus, ſeu ſecundum legem juſtitiæ, ſed ex fide.

Verſ. 32. *Quare? Quia non ex fide, ſed velut ex operibus legis, nempe offenderunt ad lapidem ad quem impingitur.*

Ut hanc experientiam, amplius in uſum ſuum trahat, quærit cauſam, cur Judæi legis ſectatores, non ſint aſſequuti juſtitiam: Et reſpondens, cauſam affert triplicem: Prima eſt, quia non ex fide quærebant juſtitiam, quæ ſola eſt recta ratio juſtificationis.

Altera

Altera causa, quia quærebant justitiam quasi per opera, quæ ratio est impossibilis; non tantum quia nemo perfectè observare poterit legem, sed etiam quia bona opera, quæ justitiæ legalis absque fide, sectatores faciunt, non sunt digna operum bonorum nomine, larvam enim habent operum tantùm, & qui affectant per ea justificari, affectant justificari *quasi* per opera, vel per larvam bonorum operum. Tertia causa, Quia CHRISTUM in quem crederent, ut justificarentur, propter ejus humilitatem & carnis infirmitatem, non agnoverunt, sed despexerunt, & in suam perniciem se illi opposuerunt, impingentes in eum, ut in lapidem offensionis.

Vers. 33. *Quemadmodum scriptum est, Ecce, statuo in Sion lapidem ad quem impingetur, & petram offendiculi; & quisquis credit in eum, non pudefiet.*

Utramque hanc experientiæ partem, confirmat ex Prophetæ prædictione, Is. 8. 14. & 28. versu 16. In hunc sensum; *Ecce ponam*, inquit DEUS, CHRISTUM in Ecclesia, cujus initium est ex *Sion, lapidem probatum, & lapidem probationis* seu offendiculi, (sicut Judæi increduli experti sunt) & quicunque crediderit in Eum, expectatione suâ, *id est*, justitiâ & vitâ æternâ, non frustrabitur, sicut credentes ex Gentibus experti sunt: atque ita confirmavit Apostolus justitiam per fidem.

Caput decimum.

PRosequitur argumentum, de temporali rejectione Judæorum; Causam rejectionis ostendens fuisse, quod Judæi insipienter, & pertinaciter, rejecerint justitiam DEI *in* CHRISTO.

Partes capitis sunt duæ: *In* priori, *ostendit Judæorum insipientiam, ad versum* 14. *In* altera *ipsorum pertinaciam, ad finem.*

Vers. 1. *FRatres, propensa quidem voluntas cordis mei, & deprecatio ad Deum super Israel, est ad salutem.*

Justas causas rejectionis Judæorum ostensurus Apostolus, præfatur ut supra, de suo erga eos benevolo affectu, ne ex odio quicquam ab eo dictum putaretur.

Vers. 2.

Vers. 2. *Testor enim* de *ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.*

Hujus sui affectus causam, præter supra dictas causas, affert ipsorum zelum pro DEO, licet præposterum: qui zelus, humana quidem commiseratione dignus fuerat, licet laudabilis non fuerit, quia non ex notitia, sed ex ignorantia ortum habebat, & idcirco zelus cæcus, zelus insipientium erat.

Vers. 3. *Nam ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam studentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti.*

Insipientiam Judæorum probat sex argumentis. *Argumentum primum*, Ex ignorantia justitiæ DEI per fidem in CHRISTUM nobis imputatæ, affectabant operum suorum inhærentem justitiam, & oblatam justitiam CHRISTI, superbè rejiciebant. Insipientiam suam igitur prodebant.

Vers. 4 *Nam finis Legis* est CHRISTUS, *ad justitiam cuivis credenti.*

Arg. 2. CHRISTUS est *finis Legis, ad justitiam, cuivis credenti*, id est, tota Lex ideo traditur, ut homines ex agnitione peccatorum suorum per legem manifestorum, confugerent ad CHRISTUM, & justitiam per fidem consequerentur. Ergo insipienter agebant Judæi, qui præ se ferentes studium Legis, CHRISTUM, qui finis est Legis, non agnoscebant.

Vers. 5. *Moses enim describit justitiam quæ est ex Lege*, dicens, *Qui præstiterit ea, vivet per illa.*

Arg. 3. Justitia legis seu operum, sicut testatur Moses, non affert vitam ulli, nisi perfectè præstiterit omnia quæ in lege præcipiuntur, quod impossibile est. Ergo Judæi insipienter ejusmodi justitiam affectabant,

Vers. 6. *At quæ ex fide est justitia, ita dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum; hoc est, Christum ex alto deducere.*

Vers. 7. *Aut, quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere.*

Arg. 4. Justitia fidei, (sicut idem Moses testatur) prohibet ne credentes in DEUM, corde turbentur propter ea, quæ homini tam sunt difficilia,

cilia, aut impossibilia, quam ascendere in Cœlum, aut descendere in abyssum, quia quum CHRISTUS illas difficultates jam superaverit, descendendo ex Cœlo, & ex mortuis resurgendo; amplius turbari, quomodo justitiam, quomodo vitam æternam, & liberationem à morte consequamur, nihil aliud est quam fundamenta Christianæ religionis convellere, & inquirere, quomodo possibile sit CHRISTUM descendisse de Cœlo, aut ex mortuis resurrexisse. Ergo insipientes se produnt Judæi qui hanc justitiam fidei repudiarunt.

Vers. 8. *Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus.*

Arg. 5. Justitia fidei, sicut securos reddit credentes, de difficultatibus in via salutis, sic etiam viam ad justitiam, & salutem facilem proponit; Verbum enim DEI, seu verbum Euangelii, idem scilicet quod Apostoli prædicarunt, prope nos sistit, ut corde illud recipientes, in eo acquiescamus, & ejus veritatem ore confiteamur; quasi nobis diceret, Ne turbemini, tantum conjectis in DEUM loquentem, omnibus difficultatibus Euangelio fidem habete, fidemque factis ostendite. Ergo Judæi facilem hanc rationem justitiæ propositam rejicientes, insipientes sunt.

Vers. 9. Nempe *si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis.*

Arg. 6. Explicans & confirmans superius; Euangelii summa, suavissimâ hac conditione proponitur, nempe, Si redemptionem per CHRISTUM partam, & ipsius resurrectione per potentiam DEI manifestatam, sincero cordis affectu, tibi ipsi applicueris, CHRISTUMque sincerâ confessione glorificare studueris, salutem proculdubio consequeris. Ergo Judæi repudiantes hanc conditionem Justificationis & Salutis, insipientiam suam produnt.

Vers. 10. *Nam corde creditur ad justitiam, fit autem ore professio ad salutem.*

Confirmat hujus connexi partes copulatas, & connexas, quinque rationibus: *Prima ratio* est, à connexionis fidei cordis, & confessionis oris ordine, per DEUM constituto; qui est, ut per fidem, ex corde in CHRISTUM,

SAUM, justitiam seu justificationem consequeremur; & ut justificati per fidem, pergeremus ad salutis possessionem, per oris, seu externorum operum confessionem, CHRISTUM glorificantes. Ergo conjungi debent fides CHRISTI in corde, & confessio CHRISTI in ore, seu conjungi debet interna fides, cum fructibus externis.

Vers. 11. *Dicit enim Scriptura, Quisquis credit in eum, non pudefiet.*

Ratio 2. Confirmans connexionem veræ fidei & salutis, à testimonio *Isaiæ, cap* 28. *vers.* 16. qui pronunciat, non fruitrandos spe suâ, seu salute speratâ, qui cunque credunt in CHRISTUM. Ergo firma est connexio fidei, & salutis.

Vers. 12. *Non enim est distinctio vel Judæi vel Græci nam idem* est *Dominus omnium, dives in quosvis à quibus invocatur.*

Ratio 3. Confirmans generalitatem connexionis inter fidem & salutem; *Non est distinctio* nationum *Judæorum vel Gentium*, nec exceptio cujusquam credentis apud DEUM. Ergo omnis, qui fidem habet, sine exceptione servabitur, Judæus pariter & Græcus.

Idem] *Ratio* 4. Confirmans connexionis universalitatem, inter fidem & oris confessionem, seu veram DEI invocationem & salutem. DOMINUS IESUS CHRISTUS est idem, suique in omnibus similis, & in gratia sua dives in quosvis, qui ipsum invocant. Ergo omnes credentes, & CHRISTUM ex fide invocantes, seu ore eum confitentes, servabuntur.

Vers. 13. *Quisquis enim invocaverit nomen Domini, servabitur.*

Ratio 5. Confirmans connexionem, inter oris confessionem veram, seu invocationem CHRISTI ex fide, & salutem, à testimonio *Joelis*, 2. 32. qui pronunciat omnes verè invocantes nomen DOMINI, salvandos esse.

Secunda Pars.

Vers. 14. *Quomodo igitur invocabunt eum in quem non crediderint? quomodo autem credent* ei *de quo non audierint? quomodo autem audient absque prædicante?*

Vers. 15. *Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? sicut*

scriptum est, Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

Secunda pars Capitis, in qua pertinaciam Judæorum ostendit, ex solutione objectionum, quæ ad ipsorum excusationem facere potuissent.

Prima objectio est ex nexu mediorum, ad justitiam fidei ordinatorum, in hunc sensum;

Cum impossibile sit, non credentes, posse invocare DOMINUM IESUM vel non audientes DEI verbum, posse credere; vel eos, quibus non prædicatur verbum DEI, posse audire, vel posse iis prædicari verbum, ad quos non mittuntur præcones: (qui nexus confirmatur ex verbis *Isiæ*, qui connectit inter se Euangelium & Euangelizantes: missionem nunciorum, & lætitiam auditorum; pedes seu adventum prædicatorum, cum gaudio recipientium,) Sequitur excusari posse Judæos, saltem a pertinaci rejectione Euangelicæ justitiæ, quia non audiverunt Euangelium.

Vers. 16. *Sed non omnes auscultarunt Evangelio, Esaias enim dicit, Domine, quis credidit sermoni nostro?*

Respondet Apostolus, Judæos & audivisse, & non obediviisse, quod probat ex querimonia Prophetæ deplorantis, quod pauci crediderint sermoni Prophetarum. Ergo non excusandi Judæi à pertinacia.

Vers. 17. *Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.*

Ex eodem testimonio confirmat nexum, fidei, auditus, & verbi DEI, ut Judæos incredulos alliciat, & fideles urgeat, ad utendum mediis.

Vers. 18. *Sed (inquam* ego) *an non audierunt? imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & ad ultima orbis terrarum, verba eorum.*

Repetit objectionem, & respondet allegationem, nempe quod Judæi non audiverint Euangelium, falsam esse, quia sonus Euangelii pervasit totum mundum, ut vox diei & noctis, per orbem terrarum exivit, sicut in *Psal.* 19. 5. dicitur, ad quem locum alludit Apostolus.

Vers. 19. *Sed (inquam* ego) *num Israel non cognovit* Deum? *Primus Moses dicit, Ego ad æmulationem provocabo vos per gentem*

tem quæ non est gens: per gentem intelligentiæ expertem, ad iram vos provocabo.

Alia objectio, At forsan Iraelitæ non cognoverunt, seu intellexerunt Euangelii oblationem, sed per ignorantiam, doctrinam non intellectam rejecerunt, ideoque à pertinacia saltem, excusari poterint.

Hanc objectionem refellit, triplici Scripturæ testimonio, Primum est ex Mose, *Deuter.* 32. 21. qui propter rejectum fœdus gratiæ, seu violatum fœdus conjugale, inter DEUM & Judæos prædicit fore, ut Judæi rejiciantur à fœdere, & ut Gentes in eorum locum assumantur. Ergo Judæi rei sunt gratiæ pertinaciter rejectæ.

Vers. 20. *Esaias autem utitur audacia, dicitque, Inventus sum ab iis qui me non quærebant: manifestus factus sum iis qui de me non interrogabant.*

Secundum testimonium, ex *Isa* 65. 1. qui *audacter*, id est, non metuens persecutionem à populo suo, prædicit ob Judæorum pervicaciam, & gratiam ab iis pertinaciter repudiatam, fore, ut DEUS repudiatis Judæis, Gentes DEUM minimè quærentes, asciscret in communionem secum per fidem, seu agnitionem sui.

Vers. 21. *Adversus Israelem autem dicit, Toto die expandi manus meas ad populum non obedientem & contradicentem.*

Tertium testimonium, in quo ex *Isa* 65. 2 probat Judæos, expressis terminis, rebellionis condemnatos; Quia DEUS *toto die*, seu toto patientiæ suæ tempore, se Judæis Patrem, expansis quasi brachiis offerebat, illi verò renuebant. Ergo Judæi, pertinaciter repudiatæ gratiæ, rei sunt, & idcirco meritò à DEO rejecti.

Caput undecimum.

SErmonem suum, de rejectione Judæorum, mitigat Apostolus, toto hoc Capite; Et ne Gentes insolescerent adversus Judæos, quasi prorsus abjectos & perditos, probat Judæos non esse despiciendos, argumentis octodecim.

Vers. 1.

Vers. 1. *NUm igitur (inquam ego) abjecit Deus populum illum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex semine Abrahami, tribus Benjamin.*

Argumentum primum; Deus non abjecit Judæos omnes & singulos: non abjecit populum suum electum: Ergo non sunt despiciendi Judæi, quasi omnes plane sint rejectitii.

Hoc argumentum confirmat tribus rationibus.

Ratio 1. Ego Paulus, de ea gente oriundus sum, nec sum rejectitius tamen. Ergo non omnes & singuli Judæi abjecti sunt.

Vers. 2. — *Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit:*

Ratio 2. Populus electus seu præcognitus non abjicitur propter electionis, & dilectionis immutabilitatem; Ergo non omnes sunt abjecti.

Vers. — 2. *An nescitis de Elia quid dicat Scriptura? quomodo interpellet Deum, adversus Israelem, dicens,*

Vers. 3. *Domine, Prophetas tuos occiderunt: & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & petunt animam meam.*

Vers. 4. *Sed quid dicit ei divinum responsum? Feci ut remanserint mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genu* imagini *Baal.*

Vers. 5 Ita *igitur & hoc tempore reservatio secundùm electionem gratuitam facta est.*

Ratio 3. Sicut temporibus Eliæ, cum totus populus Eliæ videbatur perditus & abjectus, reservavit sibi Deus septem millia electorum: Sic, in hac Judæorum rejectione temporali, reservavit sibi Deus aliquos, secundum electionem gratuitam: Ergo non omnes abjecti sunt.

Vers. 6. *Quòd si per gratiam, non jam ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.*

Hinc infert Apostolus duo consectaria; primum inserviens principali epistolæ instituto, nempe, Quod electio enim gratuita sit, non fit ex operibus

tibus ullis præviſis, quia in cauſa electionis, gratia & opera ut cauſæ, ſe mutuo tollunt: Nam ſi gratia cauſa ſit electionis, opera non ſunt cauſa: Et ſi opera, præviſa ſcilicet, cauſa ſint electionis, gratia non eſt cauſa: At gratia cauſa eſt, ut dictum eſt: Ergo opera præviſa non ſunt cauſa electionis.

Verſ. 7. *Quid igitur? Quod requirit Iſrael, hoc non eſt adeptus: ſed electi adepti ſunt, reliqui verò occalluerunt*,

Secundum conſectarium, oſtendens prius illud dictum, Cap. 9. verſu 31. de Iſraelitis, qui quærebant juſtitiam ex operibus, & eam non ſunt aſſequuti, intelligendum eſſe tantùm de reprobis: nam electi ex Iſraele, obtinuerunt juſtitiam, quam ex gratia in meſſia, ſeu CHRISTO quærebant, reliqui vero, id eſt reprobi occalluerunt.

Verſ. 8. *Sicut ſcriptum eſt, Dedit eis Deus ſpiritum ſoporis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant) uſque ad hodiernum diem*.

Quod occalluerint reprobi, probat duplici teſtimonio: Primum eſt Iſaiæ 29. 16. & 6. 9. Ubi dicitur DEUM juſto ſuo judicio, perverſum hunc populum, ſtuporis & cæcitatis pœna percuſſiſſe, ſeu ob contemptum verbi ſui, in mentem judicii expertem tradidiſſe; ne gratiam DEI, in Euangelio oblatam, diſcernerent; quod judicium incumbebat multitudini, uſque ad Euangelii prædicati tempora.

Verſ. 9. *Et David dicit, Fiat menſa eorum in laqueum, & tendiculam, & offendiculum & retributionem ipſis.*

Verſ. 10 *Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant: & tergum eorum ſemper incurva*.

Alterum teſtimonium, eſt Davidis Pſal. 69. 23, 24. Qui ut typus CHRISTI, in hoſtes imprecatur, ut omnia DEI beneficia, & ipſum etiam oblatum Euangelium, cedant illis in ruinæ occaſionem, ut nihil niſi terrena, poſteà ſapiant, qui toties à DEO moniti, cæleſtia nolebant ſapere, idque in juſtam ingratitudinis ipſorum ultionem.

Verſ. 11. Num *igitur (inquam* ego) *impegerunt ut exciderent*?

rent? Absit. sed per eorum offensam salus obtigit *Gentibus, ut eos ad æmulationem provocaret.*

Repetit primum argumentum, ad probandum non esse despiciendos Judæos, & addit secundum. Non sunt rejecti Judæi, ut omnes & singuli perirent, qui sunt de hac Gente; sed ut salus per CHRISTUM, repudiata à Judæis, obveniret Gentibus, ut Gentes ad DEUM conversæ, provocarent Judæos ad æmulationem, & per consequens ad resipiscentiam. Ergo non sunt despiciendi Judæi.

Provocantur autem ad æmulationem Judæi, quando vident se excludi à DEO, & dissipari, ne sint Ecclesia DEI, Gentes vero, ipsorum loco, à DEO recipi in ipsius sinum, in quo aliquando fovebatur Ecclesia Judaica.

Vers. 12. *Quòd si eorum offensa est opulentia mundi, & diminutio eorum opulentia Gentium: quanto magis plenitudo ipsorum?*

Arg. 3. Sicut ruina Judæorum, in bonum Gentium cessit, sic etiam, & multo magis, restitutio Judæorum cedet in mundi, seu Gentium, emolumentum. Ergo tantum abest, ut despiciendi sint Judæi, tanquam penitus rejecti, ut contra, ipsorum conversio optanda, & speranda sit.

Vers. 13 *Nam (quod vobis dico Gentibus quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium) ministerium meum illustro:*

Vers. 14. Ut experiar *si quo modo ad æmulationem provocem consanguineos meos, & servem aliquos ex ipsis.*

Arg. 4. Ego ipse, Apostolus Gentium, tantò acrius, vobis & aliis quam possum plurimis convertendis, ministerium meum impendo, & munus meum illustrius reddo, eo fine, ut provocem Judæos consanguineos meos, ne sinant vos filiorum DEI mensa solos frui, sed se vobis adjungant, & ita serventur. Ergo vestrum est, eos non despicere, ut penitus rejectos, sed contra, ut serventur mecum laborare.

Vers. 15. *Nam si abjectio eorum, est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis.*

Arg. 5. Si abjectio Judæorum; conversa est per DEI bonitatem, in occasionem reconciliandi Gentes DEO; nonne ex conversione Judæorum, tanta mutatio in melius expectanda est, inter Gentes, ut quasi resurrectio

surrectio quædam à mortuis dici possit? Ergo non despiciendi Judæi, tanquam prorsus rejecti, sed ipsorum potius conversio optanda & sperandа est Quando enim Deus, populum suum veterem, rursum assumet quid mirum si copiam sui spiritus majorem, in omnes Ecclesias effundat? quid mirum si hæreses exitiales, & sciſmata, quibus jam Ecclesiæ Christianæ inter Gentes, ad mortem pene laborant tollat, & inter se, & cum Ecclesia Judæorum arctius uniat? Hanc aliquando futuram Ecclesiarum felicitatem, sub tempus conversionis Judæorum, non vult nos desperare Apostolus, qui aliquam resurrectionem quasi à mortuis, in Ecclesiarum conditionis mutatione sperandam nobis proponit.

Vers. 16. *Quòd si primitiæ sanctæ*, sancta *etiam massa: &, si radix sancta* est, *etiam rami.*

Arg. 6. Gens Judæorum, vi fœderis cum patribus ipsorum initi, Deo est consecrata, & fœderalis sanctitatis dignitate, à parentibus fœderatis descendente, honestata est; sicut malla & messis sanctificantur in primitiis, & rami sanctificantur, seu Deo consecrantur, in radicis consecratione. Ergo Judæi non sunt despiciendi, tanquam penitus abjecti.

Vers. 17. *Quòd si nonnulli rami defracti sunt, tu verò quum esses oleaster, insitus es pro ipsis: & particeps radicis ac pinguedinis oleæ factus es:*

Arg 7. Increduli aliquot Judæi, ab Ecclesia sanctorum Patriarcharum, sicut rami ex olea, defracti sunt: Tu verò populus Gentium, cum oleastri instar esses alienus à fœdere Dei, illorum loco insitus es, atque ita privilegiorum illius Ecclesiæ, & sancti fœderis, quasi pinguedinis oleæ particeps factus es. Ergo non debes Judæos despicere.

Vers. 18. *Ne gloriare adversus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.*

Arg. 8. Si gloriatus fueris adversus Judæos, quasi illis dignior esses, non minùs stolide te gereres, quam si rami à radice gestati, gloriarentur adversus radicem, quæ ipsos gestat. Ergo non debes Judæos despicere.

Vers. 19. *Dices igitur, defracti sunt rami ut ego insererer:*

Vers. 20. *Bene : per incredulitatem defracti sunt, tu vero per fidem stas, ne effertor animo, sed metue.*

Arg. 9. In solutione objectionis propositum. Verum quidem est, rejectos esse Judæos, ut hâc occasione, tu in eorum locum in Ecclesia succederes: sed quum illi, propter infidelitatem rejecti sint, tu verò per fidem ex gratia stes, non suppetit inde tibi, ulla superbiendi, vel Judæos despiciendi causâ, sed metuendi potius, & tibi cavendi, ne pecces & puniaris. Ergo non debes Judæos contemnere quasi prorsus abjectos.

Vers. 21. *Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit*, vide *ne tibi quoque non parcat.*

Arg. 10. Confirmans superius, Si Deus non pepercit insolescentibus Judæis, Ecclesiæ sanctæ naturalibus ramis, non parcet Romanis, vel ullis Gentibus superbientibus, Ramis scilicet insititiis. Ergo non debes tu Gentilis Judæos præ te despicere.

Vers. 22. *Vide igitur benignitatem ac præcisam severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt præcisam severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate, alioquin & tu excideris.*

Arg. 11. Nisi, consideratâ Dei in Judæos severitate, & in te benignitate, perseveraveris in fide, & submissa obedientia Christi, tu quoque excideris & abjicieris. Ergo, nisi abjici velles, in timore Dei te contine, & Judæos ne contemnas.

Vers. 23. *Sed & illi, si non permanserint in infidelitate, inserentur. potens enim est Deus rursum eos inserere.*

Arg. 12. Sicut tu, nisi permanseris in fide, excideris: Sic Judæi, nisi permanserint in infidelitate, rursus inserentur in sanctam Ecclesiam Patriarcharum, imo verò restitutio Judæorum, propter omnipotentem Dei gratiam, non desperanda est. Ergo Judæi non sunt à te despiciendi.

Vers. 24. *Etenim si tu ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insitus es in veram oleam: quanto magis ij qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ?*

Arg. 13. Si Deus Gentes, ut ramos alienos à fœderata radice, Ecclesiæ Patri-

ſiæ Patriarcharum inſeruit, multò magis Judæos, qui ſunt naturales rami illius Eccleſiæ, reſtituet.

Verſ. 25. *Nolim enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, (ut ne ſitis apud voſmetipſos ſapientes) obdurationem ex parte Iſraeli eveniſſe, quouſque plenitudo Gentium introierit.*

Verſ. 26. — *Et ita totus Iſrael ſervabitur: ſicut ſcriptum eſt,*

Arg. 14. Ego vobis myſterium aperio, & ex ſpeciali revelatione prædico, hanc Judæorum obdurationem, nec totalem ſeu omnium Judæorum eſſe, ſed ex parte, ſeu aliquorum tantùm, nec niſi ad certum tempus duraturam, nempe dum plenitudo Gentium introierit. Ergo non debetis apud vos arrogantes eſſe, ſeu Judæos deſpectui habere. *Plenitudinem Gentium* intelligit, ingentem Gentium multitudinem, qualis ante tempora converſionis Judæorum non fuerat; cujus multitudinis acceſſione, ad veram religionem, provocabitur Iſrael, ſeu populus Judæorum diſperſus, ad redeundum ad DOMINUM IESUM CHRISTUM, ſeu ad veram fidem in Meſſiam, à quo per infidelitatem diſceſſerat: Atque ita totus Iſrael, *id eſt*, multitudo Judæorum, corpus diſperſi populi comprehendens, convertetur.

Verſ. — 26. *Veniet ex Sion ille vindex, & avertet impietates à Iacob.*

Verſ. 27. *Et, hoc eſt illis à me pactum, Quum abſtulero peccata ipſorum.*

Confirmat hanc Prophetiam, ex Iſaiæ vaticinio, qui *cap. 29. verſ 26.* & *cap. 27. verſ.* 3. prædicit fore, ut Meſſias, ex Judæorum Eccleſia ſecundum carnem oriundus, verus REDEMPTOR, liberaret Gentem ſuam, à reatu & ſervitute peccati, condonatis illius populi iniquitatibus, & fore ut in fœdus gratiæ eos reciperet, ad peccati plenam abolitionem. Quod quo tempore futurum ſit, jam dixit Apoſtolus.

Verſ. 28. *Itaque quod ad Euangelium* attinet, ſunt *inimici propter vos; quod ad electionem autem, dilecti propter Patres.*

Arg. 15. Etiamſi, quod ad Euangelium repudiatum à Judæis illis reprobis attinet, Judæi rejecti pro inimicis habeantur à DEO, in veſtram utilitatem; reſpectu tamen electionis hujus populi, præ omnibus aliis nationibus,

tionibus, ut populus Dei diceretur, & respectu Electorum in hac gente, Judæi à Deo diliguntur, propter fœdus initum inter Deum & patres ipsorum: Ergo propter eandem rationem à vobis despici non debent sed diligi potius.

Vers. 29. *Nam dona illa & illa vocatio Dei ejusmodi sunt ut eorum ipsum pœnitere non possit.*

Arg. 16. Cum occupatione objectionis; Etiamsi hæc natio, jure merito, excidisse suis omnibus privilegiis, videri posset, quia tamen dona specialis gratiæ, & nominatim vocatio ex proposito, sive in nationem aliquam præ reliquis, sive in hominem aliquem præ aliis collata, immutabilia sunt, quæ Deus nunquam penitus rescindet, vel revocabit, & quæ in conversione hujus populi firma tandem ostendet. Idcirco non debet hæc natio à vobis contemni, sed in honore potiùs haberi.

Vers. 30. *Sicut enim & vos quondàm non obedivistis Deo, nunc autem estis misericordiam consequuti per istorum contumaciam:*

Vers. 31. *Sic & isti nunc non obedierunt, ut per vestram misericordiam & ipsi misericordiæ donentur.*

Arg. 17. Certò credendum est tantam gratiam manifestaturum esse Deum erga Judæos, ex occasione misericordiæ factæ vobis Gentibus, quantam ostendit erga vos Gentes, olim immorigeras, ex occasione incredulitatis, & contumaciæ Judæorum. Ergo non despiciendi Judæi, tanquam penitus rejecti, sed conversio ipsorum promovenda potiùs.

Vers. 32. *Conclusit enim Deus omnes illos in contumacia, ut omnium illorum miseretur.*

Arg. 18. In hunc sensum, Dei sapientissima providentia, salutis suorum negotium totum sic administravit, ut omnes deprehensi in peccatis, & contumacia, gloriandi in se materia destituerentur, & quicunque salutem obtinerent, miserationi Divinæ eam totam deberent. Ergo non despiciendi Judæi, sed opus Divinæ misericordiæ erga hunc populum, tempore à Deo constituto, expectandum est.

Vers. 33. *O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ imperscrutabiles!*

Hujus

Hujus argumenti, atque adeo totius præcedentis doctrinæ, præsertim de electione aliquorum, & reprobatione reliquorum, usum duplicem nobis ostendit Apostolus.

Primus est, ut cum ipso admiremur, & celebremus profundas divitias, ineffabilis sapientiæ DEI. Alter est, ne scrutemur plus quam revelatum est, de consiliis DEI, sed sapiamus etiam in revelatis, ad sobrietatem (quia superant DEI consilia captum nostrum, & planè inscrutabilia sunt) DEUM in omnibus glorificantes.

Vers. 34 *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio?*

Consectarii utriusque rationes addit tres.

Ratio prima, Nulla creatura penetravit in mentem DEI, nulla unquam EI fuit à consiliis. Ergo DEI consilia imperveſtigabilia, non debemus scrutari, sed divitias sapientiæ ejus admirari, & celebrare.

Vers. 35. *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei?*

Ratio 2. DEUS in nullius ære est, aut esse potest; nemini quicquam debet: nemo quicquam meretur ab eo, nemo potest prodire, vel nomen edere, qui beneficio aliquo suo DEUM prior obstrinxit. Ergo non possunt gloriari, ulli ex Electis, quasi ullo jure obligatus fuerit DEUS, ut ipsos ad vitam designaret: neque conqueri possunt ulli ex reprobis, quasi non persolverit quod debebat, cum nemini quicquam debeat.

Vers. 36. *Nam ex eo, & per eum, & in ipsum* sunt *omnia. Ipsi* sit *gloria in secula, Amen.*

Ratio 3. Confirmans priorem, Omnia sunt ex DEO, tanquam primo autore: Omnia per EUM, ut Conservatorem, sustentantur; Omnia in Ipsum tanquam in ultimum scopum tendunt: Ergo, quandocunque Ipsi visum fuerit, suam gloriam promovere, in Judæorum rejectione, vel Gentium vocatione, in aliquorum hominum electione, & reliquorum reprobatione, ipsi in omnibus, & apud omnes, honor & gloria in æternum tribui debet. AMEN.

Caput

Caput duodecimum.

Vit prior pars *Epistolæ*, *de via ad justificationem rectè capessenda*, *sequitur* altera posterior, *de vita justificatorum rectè instituenda.*

Capitis tres *sunt partes*; *In* prima, *hortatur ad vitæ sanctimoniam in genere, ad versum tertium.*

In secunda, *speciatim instruit Ecclesiæ ministros, de recto donorum usu, ad versum nonum.*

In tertia, *præcepta dat communia, de virtutibus Christianis.*

Vers. 1. *ADhortor igitur vos, fratres per miserationes illas Dei ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum* :

Allusione factâ ad typicum, sub Lege Levitica, sacrificandi ritum, amicissimè hortatur, ut justificationis gratuitæ per CHRISTUM nobis concessæ, fructum in vita sancta producamus.

Hortationis tria sunt membra : Primum, ut corpora nostra sistamus DEO, hoc est nos totos, non animas tantùm, sed etiam corpora, DEO in gratitudinis sacrificium offeramus, & consecremus: Rationes hortationis sunt quinque, quæ simul etiam requisita, seu proprietates hujus sacrificii, continent.

Prima ratio. In vehementi obsecratione, & obtestatione, comprehensa; Quia DEI miserationes supra recitatæ, nimirum electio ex misericordia, redemptio ex misericordia, vocatio ex misericordia, & justificatio ex misericordia seu gratia, exigunt jure suo hanc à vobis gratitudinem.

Vivam] *Ratio* 2. Quia hæc hostia viva est, siquidem nihil hic mactandum præter peccatum; vos autem ipsi, DEO consecrati vivetis, & ad æternam vitam conservabimini.

Sanctam] *Ratio* 3. Hæc hostia verè sancta est, in cujus quotidiana oblatione, ipsa constat sanctitas.

Acceptam] *Ratio* 4. Quia hæc hostia, non rejicietur à DEO, ut umbratiles illæ legales multæ ab hypocritis oblatæ, sed accepta erit DEO.

Rationalem] *Ratio* 5. Quia actus, quo DEO hanc hostiam offertis, est cultus

cultus ille vester rationalis seu spiritualis, cultu illo typico præfiguratus, eoque tantò præstantior, quantò spiritualia carnalibus, & corpora sanctorum, brutorum cadaveribus anteferenda sunt.

Vers. 2. *Et ne vos configurate seculo isti, sed transformate vos per renovationem mentis vestræ, ad hoc ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona illa, placens ac perfecta.*

Secundum membrum hortationis; Ut caveamus in vita & conversatione, ne instituta, voluntatem, & mores mundanorum hominum, pro regula habeamus, cui nos conformemus; Ratio hortationis in hortatione continetur, quia mundani, hujus mundi, seu seculi voluptates, honores & commoda tantùm sapiunt.

Mutemini] Tertium hortationis membrum; ut studeamus, ingenium nostrum naturâ carnale, per intellectus & voluntatis nostræ quotidianam renovationem, magis magisque in spirituale transformare. Rationes hortationis sunt duæ.

Discernite] *Ratio prima.* Quia DEI lex, seu voluntas revelata in verbo, pro regula cui nos conformemus est. 1. *bona*, quæ bona sunt docens, ad bonum nos ducens, & bonos nos reddens: 2. Est *accepta Deo*, qui nullam nisi in verbo suo præscriptam obedientiam, agnoscit: 3. Est *perfecta*, omnia continens, quæ ad DEI cultum, & nostram salutem spectant. Idcirco mentis renovationi studendum.

Discernite] *Ratio* 2. Quia non nisi mente renovata, & spirituali, discernere poterimus genuinum sensum voluntatis divinæ in verbo revelatæ; vel agnitam approbare, vel approbatam experimento cognoscere, quam bona, accepta DEO, & in se perfecta ea sit. Idcirco, mentis renovationi studendum.

Secunda Pars.

Vers. 3. *Enimverò per gratiam quæ mihi data est, edico cuivis versanti inter vos ne sapiat supra quàm oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.*

Secunda pars Capitis; In qua, pro autoritate sua Apostolica, (quam gratiam vocat, quia ex ineffabili gratia ipsi erat concessa,) præcipit *unicuique versanti inter illos*, in publico munere scilicet, vel doni alicujus excellentia,

excellentia, ne supra modum de se sentiat ne supra consortes, vel supra talenti sui valorem, seu cognitionis suæ modulum se extollat: sed sobriè se gerat & moderate, in omnibus & erga omnes. Rationes hortationis, seu præcepti sunt *quinque*.

Ratio prima. Unicuique DEUS est partitus, non plenitudinem, sed mensuram fidei: Ergo æquum est, ut unusquisque intra suam mensuram, modestè se contineat.

Vers. 4 *Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus: membra verò omnia eandem non habent actionem:*

Ratio. 2. Sicut in corpore naturali, diversa membra, diversis deputata sunt operationibus, sic in corpore Ecclesiastico fidelium, seu societate ministrorum Ecclesiæ, diversæ functiones diversis actionibus destinantur. Ergo æquum est, ut singuli suis officiis modestè se circumscribant.

Vers. 5 *Ita multi illi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem, alii aliorum membra.*

Ratio 3. Eadem similitudine inclusa; Sicut in corpore naturali, multa membra sunt corpus unum, sic in corpore Ecclesiastico, omnes fideles, speciatim vero omnes ministri Ecclesiastici, unum sunt corpus in CHRISTO, Ergo omnes, ad unitatem corporis tuendam, pro sua quisque parte, modeste conspirare debent.

Singulatim] *Ratio* 4. Sicut in corpore naturali, sic etiam in corpore Ecclesiastico, membra singula, non solùm totius sunt corporis, sed etiam alterum alterius: seu destinatum est unumquodque membrum, ad uniuscujusque membri usum promovendum: Ergo omnes, ad mutuas operas promovendas, sibi invicem debent servire, non vero immodestiâ, vel arrogantiâ, se mutuò impedire.

Vers. 6. *Habentes autem diversa dona pro gratia quæ nobis data est, sive prophetiam* prophetemus *pro proportione fidei.*

Ratio 5. Quæ habemus dona diversa, seu munera cum donis diversis, habemus ex gratia, & beneplacito DEI, qui ea dedit: Ergo ne insolescamus, sed modestè nos contineamus.

Sive Prophetiam] Descendit ad singula ordinaria munera publica, singulisque

guliſque ſuas operationes & metas præſcribit: Functionum facit duo genera. Primum eſt Prophetia: Secundum eſt Diaconi. Prophetia *Verbi* tractationem comprehendit, *Qui habemus Prophetiam, prophetemus* (inquit) *ſecundum proportionem fidei*, id eſt, doceamus id ſolùm, quod Deus in Scriptura credendum propoſuit, & quod ſolidè novimus, ſeu credimus ſenſum eſſe Scripturæ.

Verſ. 7. *Sive miniſterium* verſemur *in miniſtrando: tum is qui docet, in docendo:*

Secundum genus functionum Eccleſiaſticarum, eſt Diaconia quæ munera omnia, Verbi miniſterio ſubſervientia continet, ut poſteà declarabit. De qua præſcribit, ut qui in Diaconia verſatur, in ea ſe contineat, nec altius aſcendat, niſi ordine vocatus.

Is qui docet] Prophetiam ſubdividit, in officium Doctorum & Paſtorum, ſeu Prophetas diſtinguit, in *Doctores* & *Paſtores*; Doctores intelligit eos, qui ex officio docent, ſeu informandis mentibus in cognitione veritatis operam dant, & hos jubet ut facultate ſuâ ad docendum diligenter utantur, & hic ſe exerceant totos.

Verſ. 8. *Tam qui exhortatur, in exhortatione: tum is qui diſtribuit, cum ſimplicitate: tum qui præeſt, cum diligentia, tum qui miſeretur cum hilaritate:*

Paſtores intelligit eos *qui exhortantur*, qui ſcilicet movendis affectibus operam dant, & facultatem habent, non tantùm interpretandi ſenſum Scripturæ, ſed etiam prudenter applicandi Scripturam in uſum præſentem auditoris, cum affectus excitatione. Hos jubet exhortationi incumbere.

Qui diſtribuit] Diaconorum Verbi miniſterio ſubſervientium, tres quaſi ſpecies enumerat; Prima eſt eorum qui diſtribuunt, *id eſt*, ex officio præfecti ſunt ærario Eccleſiæ; Eccleſiæ facultates, & collectas fidelium diſpenſant in uſus Eccleſiæ publicos; his præcipit, ut facultates Eccleſiæ diſtribuant *cum ſimplicitate*, id eſt, bonâ fide, ſine perſonarum acceptione, & ſine reſpectu proprii commodi.

Qui præeſt] Secunda ſpecies, eſt eorum qui Preſbyteri Gubernatores alibi dicuntur, 1 Corinth. *cap.* 12. *verſ* 28. & ex officio, populi moribus inſpiciendis præficiuntur, ut ſcandala vitentur, &

auferantur ex Ecclesia; his præcipit, ut diligenter, & solicitè, suo muneri incumbant.

Qui miseretur] Tertia species Diaconorum, est eorum qui ex officio miserentur, qui pauperibus, ægrotis, exulibus, aliisque in Ecclesia afflictis curandis præficiuntur; his præcipit, ut incumbant officio, cum hilaritate; ne morositate suâ amplius affligant eos, quos morbus & egestas, vel exilium, jam afflixerunt. In omnibus his præceptis, functiones diversas, donis diversis, & subjectis diversis, inter se distinxit, alios atque alios ministros, aliis atque aliis operibus præficiens; Idque simili præcipiendi forma utens in omnibus.

Tertia Pars.

Vers. 9. *Charitas* esto *minimè simulata.* Estote *abhorrentes à malo, agglutinati bono.*

Tertia pars Capitis, in qua præcipiendi formam mutat, & præcepta tradit de virtutibus Christianis, numero circiter sedecim.

Dilectio] Præceptum primum, Ut signa, quibus dilectionem exprimimus, ex sincero corde, sine simulatione proveniant.

Abhorrentes] Præceptum 2. Ut à malo, seu peccato ita abhorreamus, ut in ejus consortium, trahi nos non permittamus: Bonum verò, seu virtutem ita amplectamur, ut ab ea divelli nos non sinamus.

Vers. 10. *Fraterna charitate alij ad alios amandos propensi. Honore alij aliis præcuntes.*

Præceptum 3. Ut Charitas Christianorum inter se, quæ gratiæ vinculo fundata est, sit instar charitatis fratrum, quæ naturæ vinculo fundatur, Constans scilicet, & intensa.

Honore] Præceptum 4. Ut in opinionis nostræ, de alicujus virtute, vel dignitate, per signa externa testificatione, non expectemus quod debetur nobis, sed præeamus aliis, exhibentes honorem qui debetur illis.

Vers. 11. *Studio minimè ignavi, Spiritu ferventes, Domino servientes.*

Præceptum 5. De sedulitate in officiis, quæ Deo & proximo debentur, ex vocatione nostrâ; ne simus pigri, segnes, & frigidi, quasi non curemus res gerendas, sed ut cum intentione zeli, officia obeamus in fervore

fervore ſpiritus, occaſionem rei benè gerendæ, in ipſo articulo opportunitatis, arripientes; & fervorem hunc in rebus agendis, non privatis affectibus noſtris, ſed DEO conſecrantes.

Verſ. 12. *Spe gaudentes. In afflictione tolerantes. In oratione perdurantes.*

Præceptum 6. De remediis adhibendis in afflictione noſtra: 1. Ut ſpe liberationis gloriemur: 2. Si invaleſcant mala, ut patientes nos præſtemus: 3. Si differri videatur auxilium, ut perduremus in precibus, nec malis cedamus.

Verſ. 13. *Sibus ſanctorum communicantes. Hoſpitalitatem ſectantes.*

Præceptum 7. Ut neceſſitatibus, & indigentiæ ſanctorum, inter nos degentium præcipuè, communicemus de bonis noſtris: peregrinorum verò, & exulum, ad nos divertentium afflictiones, hoſpitalitate ultro illis oblata, ſublevemus.

Verſ. 14. *Benedicite iis qui vos inſectantur: benedicite,* inquam, *& ne imprecamini.*

Præceptum 8. Ne inſectationes, calumnias, & perſecutionem mundi ordinariam, convitiis compenſemus, ſed patientiâ & benedictione frangamus. Id verò quia carni adverſiſſimum eſt, bis præcipit, & tertiò prohibet contrarium.

Verſ. 15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.*

Præceptum 9. Commendat nobis συμπαθειαν fraternam, in proximorum tam rebus adverſis, quam proſperis, ſicut decet membra ejuſdem corporis.

Verſ. 16. *Itidem alij in alios affecti. Non alta ſapientes, ſed humilibus obſecundantes. Ne eſtote prudentes apud voſmetipſos.*

Præceptum 10. Ut colamus invicem concordiam, & toleremus infirmitates ordinarias in diſcrepantibus ſententiis, & affectibus fratrum noſtrorum, & in eum finem, ne nos erigamus arroganter, adverſus aut ſupra alios, ſed inferioribus obſecundemus, quantum patitur veritas, caventes ne inflati ſimus unquam opinione ſapientiæ propriæ.

Vers. 17. *Nemini malum pro malo vicissim reddentes. Procurantes honesta coram omnibus hominibus.*

Præceptum 11. Ne injurias injuriis compensemus: & quia exceptiones facere, parata est caro, Dicit, *Nemini retaliate.*

Procurantes] Præceptum 12. Ut studentes honestati, & vitæ innocentiæ, tam nobis ipsis malefaciendi, quam adversariis, nobis nocendi, vel calumnias intentandi ansam præcidamus.

Vers. 18. *Si fieri potest quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.*

Præceptum 13. Ut pacem sectemur cum omnibus; Cui additur limitatio, *si fieri potest*, & quantum per nos fieri potest, ut media pacis omnia tentemus, & si turbulentum quid acciderit, aliorum sit reatus, non noster.

Vers. 19. *Non ipsi vosmetipsos ulciscentes dilecti, sed date locum iræ, scriptum est enim, Mihi est ultio: ego rependam, dicit Dominus:*

Præceptum 14. Prohibens specialiter magis quam supra, talionem; quia procliviores sumus ad vindictam: Idcirco amicè vetat vindictam privatam, & Jubet, ut sinamus iram & nostram, & adversariorum defervescere, neque hanc, neque illam dictis factisve foventes, vel irritantes, addito gravi argumento, quia DEI partes sunt, vel Immediatè, vel per magistratum, Injurias nobis illatas vindicare. In casu inculpatæ tutelæ, quid faciendum, ex locis communibus petendum.

Vers. 20. *Itaque si esurit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum: hoc enim si feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus.*

Præceptum 15. De benefaciendo inimicis nostris, cum occasio, & ipsorum necessitas requirit; hæc autem ratio additur, quia hac probatione, quasi carbones coacervamus in eos ut vel molleſcant, sicut metallum liquescit igne, si in illis aliquid sit bonæ indolis: vel convictio, & damnatio ipsorum, reddatur tanta gravior, idque non nostrâ, sed ipsorum culpâ.

Vers. 21. *Ne vincitor à malo: sed vince bono malum.*

Præceptum 16. Eodem tendens, sed generalius est, ut in certanda cum inimicis, recte de victoria judicemus; quæ non est, cum malum malo rependere studemus, aut malum malo superare certamus: vincimur enim tum potius à malo, quam vincimus; sed victoria hæc unica est, cum

rectè

rectè agendo, superamus malum, & ad hanc victoriam quærendam hîc hortatur.

Caput Decimumtertium.

PErgit hortari, *ut fructus ferant professione dignos; erga Magistratus, & cujusvis ordinis homines.* Capitis duæ *sunt partes*: Prima, *de subjectione civili, ad versum octavum*: Altera *de dilectione, quatenus secundam Legis tabulam respicit.*

Vers. 1. *OMnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. Non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.*

Hortatio proponitur primis verbis, Ut omnis anima, seu omnis homo subjiciatur, seu subordinetur potestatibus supereminentibus, *id est*, civili Magistratui: Argumenta hortationis sunt decem.

Non enim] Argumentum primum, Quia Magistratus cujusvis generis, vel ordinis, est à DEI institutione, & ordinatione.

Vers. 2. *Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent.*

Ordinationi] Arg. 2. Quia qui non subjicitur, sed resistit, seque opponit Magistratui, ordinationi DEI se opponit.

Condemnationem] Arg. 3. Quia qui resistit, accersit sibi ultionem & pœnam, cum à DEO, tum à Magistratu.

Vers. 3. *Nam magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate? quod bonum est facito, & laudem ab ipsa obtinebis.*

Arg. 4. Quia Magistratus officium à DEO ordinatur, ut cohibeat malos, & mala opera puniat, non verò bona: Ergo ei subjici debemus.

Laudem] Arg 5. Quia bonum facientibus, & Legum observatoribus, magistratus laudem tribuit, & præmia.

Vers. 4. *Dei enim minister est tuo bono. Quòd si feceris quod malum est, metue: non enim frustrà gladium gestat, Nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit.*

Arg. 6.

Arg. 6. Quia Magistratus est minister DEI in nostrum bonum, nam per Magistratum, DEUS honesta & utilia nobis præcipit & procurat, & malos tollit, quod nobis est conducibile.

Non enim] Arg. 7. Quia gladio armatur, ad puniendum malos, authoritate ad hoc divinitus ei tributâ. Idcirco metuere, & subjici oportet maleficii reos, etiam in capitis periculo jam constitutos.

Vers. 5. *Quapropter necesse est subjici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Arg. 8. Quia est necessarium subjici, non solùm ad vitandam iram principis, & pœnas civiles, sed etiam ad retinendam bonam conscientiam, respectu præcepti Divini, subjectionem præcipientis.

Vers. 6. *Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt in hoc ipsum incumbentes.*

Arg. 9. Quia etiam tributa debemus Magistratibus, ut DEI ministris, defensioni politicæ incumbentibus, & huic soli negotio vacantibus: Idcirco iis subjici debemus.

Vers. 7. *Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timor, timorem: cui honor, honorem.*

Arg 10 Per modum conclusionis illatum; Quia sicut Justum est, unicuique suum tribuere, sic etiam magistratui tributum, vectigal, timorem, honorem, persolvere; pro ut omnia aut aliqua ex his, magistratui superiori, aut inferiori, & ipsorum ministris debentur.

Secunda Pars.

Vers. 8. *Nemini quicquam debete, nisi hoc, ut alii alios diligatis, nam qui diligit alterum, Legem implevit.*

Secunda pars Capitis, in qua sanctitatem vitæ, & dilectionem præcipit, quatenus secundam tabulam respicit: Hortationis argumenta sunt sex.

Nisi] Argumentum primum. Quia dilectio perpetuò debetur; Ergo persolvenda perpetuò.

Implevit] *Arg.* 2. Quia dilectio proximi, est legis impletio: Ergo dilectioni studendum.

Vers. 9. *Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod aliud*

aliud est *mandatum*, *in hoc sermone summatim comprehenditur*, *nempe*, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Non non] Hoc argumentum confirmat, duabus rationibus, prima est ab enumeratione præceptorum secundæ tabulæ, quæ ad dilectionis præceptum, referuntur omnia.

Vers. 10. *Charitas proximum non afficit malo. Itaque charitas est completio Legis.*

Ratio 2. est; Quia dilectio, nullo malo, quod per legem prohibetur, proximum afficit: idcirco dilectio, est impletio legis, eique idcirco studendum est.

Vers. 11. *Idque*, *perspecta opportunitate*, *quòd* videlicet *tempus jam sit nos à somno expergisci. Nunc enim propius nos est salus quàm quum credidimus*:

Arg. 3. Quo urget fructus fidei, ex dilectione sancta nostri, & proximorum, Quia hæc fructificatio satis diu neglecta est, cum in somno peccati jacebamus per naturam, & jam tempus est, ut experrectos nos demonstremus ex hoc somno peccati, regenerationis fructus ferendo.

Nunc enim Arg. 4. Quia propinquior est salus nostra, quam cum primùm conversi fuimus ad fidem. Studendum ergo eo magis, ut fructus fidei, & spei de salute adventante, uberiores feramus ex dilectione.

Vers. 12. *Nox processit*, *dies autem propinquat. Abjiciamus igitur opera tenebrarum*, *& induamur habitu qui luci conveniat.*

Arg. 5. Hujus seculi & nostræ etiam ignorantiæ, & cæcitatis nox processit, & consumpta est maxima ex parte, quantum attinet ad conditionem naturæ corruptæ, id est, instat finis corrupti hujus mundi & abolitio corruptionis naturæ nostræ: Ergo faciamus opera noctis, tenebrarum, ignorantiæ, & peccati.

Induamur] Arg. 6. Dies, seu status illuminationis, & regenerationis plenæ in gloria futura, appropinquavit, & in jam inchoata nostra regeneratione illucescere cæpit, quasi diluculo: Ergo arma induamus, ut certemus contra Diabolum, peccatum, & mundum, semper quod bonum est agentes.

Vers. 13. *Ut interdiu*, *compositè incedamus: non in comessationibus & ebrietatibus*, *non cubilibus ac proterviis*, *non lite & invidia*.

Hinc

Hinc deducit quasi conclusionem hortatoriam quadruplicem.

Ambulemus] Prima hortatio est, ut decenter incedamus, sicut decet filios lucis, per Euangelii gratiam regenitos.

Comessationibus] Secunda hortatio est, ut ab intemperantia, & fœditate omni abstineamus, nominatim ut comessationes, ebrietates, & scortationes, & turpem lasciviam, (quâ in cubilibus, & cubiculis, se polluere solent profani) & litem, & invidiam, caveamus & abhominemur.

Vers. 14. *Sed induimini Domino Iesu Christo, & carnis curam ne habete, ad* explendas *cupiditates.*

Tertia hortatio est, ut induamus CHRISTUM, quod dixit, potius quam induamus temperantiam, & virtutes alias, prædictis vitiis contrarias, quia nisi CHRISTUM, ipsiusque Justitiam, nobis imputatam per fidem, primo loco, arctissimè amplectamur, & retineamus, ut ex hoc fonte virtutem, ad recte agendum hauriamus, Justitia nostra, non superabit Philosophorum aut Pharisæorum Justitiam. Nam etiam tum, cum virtute Spiritus CHRISTI, aliquid præstitimus in sanctitate, superinduere rursum oportet CHRISTUM, ut nuditatem nostram, & operum nostrorum imperfectionem, & pollutionem tegat CHRISTI Justitia.

Carnis] Quarta hortatio; Ut necessario, & legitimo creaturarum usu, ad corporis valetudinem contenti, non curemus, ut satisfaciamus carnis appetitui immoderato, nec indulgeamus voluptatibus carnis, nam qui corporis nimiam curam habet, animam negligit.

Caput Decimumquartum.

Sequuntur præcepta, de officiis fidelium mutuis, in usu Christianæ libertatis: Fidelium alii, ut conversi Gentiles, persuasi erant de libertate sua Christiana, seu liberatione à jugo Moysis, nec ferias legales, nec delectum ciborum observabant; alii erant, ut Judæi aliqui, in hoc articulo infirmiores, non satis confirmati de libertate sua, qui reverentiâ legis Divinæ, cibis à Mose vetitis abstinebant: Jejunia, dies festos, Sabbatha, Calendas observabant: Inter hos, ortum dissidium opus Euangelii interturbabat, & impediebat. Utrisque junctim præcepta dat Apostolus, ad vers. 13. confirmatis vero in fide, seu in persuasione suæ libertatis seorsim, reliquo capite.

Vers. 1.

Vers. 1. *Eum verò qui fide est infirmus assumite, non* tamen *ad certamina disceptationum.*

Suadet Apostolus, ut sese mutuò conjungant, cum ii quibus erat persuasum de abrogatione Legis Ceremonialis, tum infirmi in hac persuasione seu fide, & ut abstineant à contentiosis disputationibus, hac de re, hortatur utrosque, initio facto à confirmatis in fide.

Vers. 2. *Alius quidem credit vesci licere quibusvis: alius autem* fide *infirmus, edit olera.*

Occasionem dissidii & disputationis ostendit in exemplo ciborum, dum alii carne quavis vescuntur, sine metu ceremonialis interdicti: alii non persuasi, à carnibus illis vetitis abstinent, oleribus, seu quovis alio cibo contenti.

Vers. 3. *Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto: & qui non edit, edentem ne condemnato Deus enim eum assumpsit.*

Rixas, inter has, & mutuam condemnationem in tali casu vetat Apostolus: Argumenta adhibens novem.

Deus enim] Argumentum primum. Quia DEUS utrumque assumpsit in societatem gratiæ filii sui; indignum igitur alterum ex his, in tali casu alterum contemnere, vel condemnare: Iniquum enim erat à confirmationibus contemni infirmos tanquam superstitiosos novitios: similiter ab infirmis condemnari confirmatos in fide tanquam profanos.

Vers. 4. *Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio Domino perstat aut cadit, stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire.*

Arg. 2. Iniquum est alienum servum sine vocatione à DEO judicare, quia Domini interest, non alieni, sive pereat, sive servetur servus ipsius: Ergo, alius alium condemnare non debet, hac in re.

Stabilietur] *Arg.* 3. Quia qui servus est CHRISTI stabilietur à CHRISTO, qui & potest & vult eum servare: Ergo Judicium, CHRISTI Judicio contrarium, seu mutua condemnatio peccatum est.

Vers. 5. *Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem* per æquè *æstimat quemvis diem. Unusquisque in animo suo plenè certioratus esto.*

Proponit aliud exemplum occasionis dissidii, in dierum à Moyse præscriptorum observatione, quos dies alii, Judæi nempe conversi quidam, ex conscientia legis, dicebant observandos esse præ aliis: alii vero, Gentiles scilicet, ex conscientia libertatis per CHRISTUM partæ, peræque æstimabant hos dies, & alios lege ceremoniali non præscriptos. Hic etiam dissidium, & mutuam condemnationem vetat Apostolus, & regulam rectè se gerendi, in tali casu præscribit: Scilicet ut studeat unusquisque, in his de lege ceremoniali controversiis, solidas ad fulciendam fidem suam rationes habere, sive facti, sive omissionis suæ; atque ita addit argumentum quartum, Ne mutuò se condemnent: Quia in prædicto casu, cum persuasione solidè fundata, poterat aliquis facere, & alius, cum persuasione solidè fundata, abstinere. Ergo iniquum erat ut in hoc casu, alter alterum condemnaret. Apostoli enim, in Concilio Hierosolymitano, liberaverant Gentes, à Jugo Moysis, quia illis lex ceremonialis nunquam erat posita; à Judæis vero, Apostoli, necessitatem ceremoniarum tollentes, liberum usum interim relinquebant illis aliquantisper, donec post tempus aliquod, clarius illucescente Euangelio, sepeliendam esse Synogogam perspicue videre possent; Quare, plenâ persuasione, poterant Gentes Ceremonias missas facere, & Judæi eas observare, saltem quamdiu DEI indulgentia stare passa est templum Hierosolymitanum, cui alligatæ erant præcipuæ ceremoniæ.

Vers. 6 *Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat. Qui edit, Domino edit: gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.*

Arg. 5. Quia Judæus, observans diem, lege Moysis præscriptum, & à cibo vetito abstinens, & similiter Gentilis, legem Moysis non observans, in DEI gloriam, cum gratiarum actione agebat uterque; Judæus, quia cibi satis non vetiti habebat; Gentilis, quia quovis cibo vesci licebat, gratias agebat: neuter ergo ab altero condemnandus.

Vers. 7. *Nullus enim nostrum sibi ipsi vivit, & nullus sibi ipsi moritur.*

Vers. 8. *Nam sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus.*

Vers. 9. *Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit: ut et mortuis & viventibus dominetur.*

Confirmat

Confirmat finem propositum observanti, & non observanti ceremonias, & simul addit argumentum sextum; Quorum nullus est juris sui, sed alieni, nec sibi vivit, nec moritur, sed CHRISTO tantum, illi tenentur actiones suas, & omissiones ad CHRISTI gloriam dirigere, simul etiam non condemnare conservos suos: At nostrum, seu Fidelium, nullus sibi vivit, vel moritur, nullus est juris sui, *versu* 7. sed CHRISTO vivimus, & morimur, in Ejus honorem & usum, ad quem cura nostri, in vita & morte pertinet, *vers.* 8. Quod probat; Quia CHRISTUS, in eum finem, mortuus est, & resurrexit, ut Dominium in Redemptos, viventes & morientes acquireret, & exerceret: sequitur ergo, fideles non debere se mutuò condemnare, vel contemnere.

Vers. 10. *Tu verò cur condemnas fratrem tuum? aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum? Omnes enim sistemur apud tribunal Christi.*

Arg. 7. Fideles, fratres sunt, sive Judæi, sive Gentiles sint: Non ergo debent se invicem judicare, vel contemnere.

Sistemur] Arg. 8. Omnes judicandi sunt, ad tribunal CHRISTI: Ergo cavere debent omnes, ne se mutuò, temere judicent.

Vers. 11. *Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, Certè mihi flectet omne genu, & omnis lingua palàm agnoscet Deum.*

Id confirmat, testimonio *Isiæ*, prædicentis cap. 45. 23. CHRISTUM futurum omnium Judicem, & omnes subjectionem suam, ipsi, ut DEO confessuros.

Vers. 12. *Nempe ergo unusquisque nostrùm de seipso rationem reddet Deo.*

Vers. 13.— *Ne amplius igitur alij alios judicemus:*

Arg. 9. Ex superiori deductum, Unusquisque redditurus est rationem CHRISTO, de seipso, *versu* 12. Ergo seipsum debet quisque ad judicium DEI parare, non proximum judicare.

Secunda Pars.

Vers. — 13. *Sed hìc potiùs adhibete judicium, ut ne fratri proponatis quidpiam, ad quod impingat vel offendat.*

Altera pars Capitis, in qua post generalis hortationis conclusionem, orditur specialem, ad firmos propriè spectantem, ne abutantur libertate suâ, cum infirmorum offendiculo, *vers.* 13.

Vers 14. *Novi, & persuasum habeo per Dominum Iesum, nihil esse impurum per se: sed ei qui reputat aliquid esse impurum*, id *ei impurum* esse.

Præoccupat objectionem: Diceret aliquis, persuasum habeo, per CHRISTI gratiam, nullum cibum, sub Euangelio, impurum, aut vetitum esse. Ergo quovis cibo, licet vesci indifferenter. Respondet, negando consequentiam: quia purus cibus, edenti redditur impurus, duobus modis; primò, si eum illicitum opinatus fuerit edens.

Vers. 15. *Verùm si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non jam secundùm charitatem ambulas. Ne esca tua illum perdito pro quo Christus mortuus est.*

Secundò, cibus est impurus, Si quis persuasus de libertate suâ, edat cum fratris offensione, seu tristitia: In quo casu, probat non edendum cum scandalo, vel cavendum esse, ne abutantur libertate, idque undecim argumentis.

Argumentum primum, Pugnat cum charitate, agere in indifferentibus, cum infirmorum offensione. Ergo non abutendum libertate.

Perdito] Arg. 2. Scandalum ponere infirmo, ex natura operis, tendit in perditionem fratris, pro quo mortuus est CHRISTUS, & qui offendiculum ponit fratri, in sensu judiciali perdidit fratrem: quia quantum in ipso est, perditionis accersendæ ei causa est. Ergo non abutendum libertate.

Pro quo] Arg. 3. Comedens cum scandalo, facto se opponit CHRISTI morientis merito, & intentioni: ille enim mortuus est, ut infirmus servaretur; edens verò, cum offendiculo, facit quod in ipso est, ut infirmus perdatur. Ergo non abutendum libertate.

Vers. 16. *Ne vestrum igitur bonum blasphemator.*

Arg. 4. Edens cum scandalo, facit ut blasphemetur, & in contemptum veniat fides Christiana; & ut libertas Christiana, apud infirmos, & extraneos, malè audiat. Ergo non abutendum libertate.

Vers. 17. *Non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax & gaudium per Spiritum sanctum.*

Arg. 5. Quia (ut est 1 *Cor. cap.* 8. *vers* 8.) cibus & potus, non promovent CHRISTI regnum spirituale, sed Justitia, Pax, & Gaudium, reliquique fructus SPIRITUS. Ergo abstinere tenemur à cibis, seu rebus adia-

bus adiaphoris, cum periculum est, ne intempestivo usu libertatis turbemus regnum CHRISTI.

Vers. 18 *Nam qui per hæc servit Christo, gratus est Deo, & probatur hominibus.*

Arg. 6. Qui his, *id est*, cibo, potu, aliisque similibus rebus indifferentibus, prudenter utuntur ad CHRISTI servitium, (sumentes scilicet, cum per ejus veniam licet, & abstinentes, prout CHRISTI negotium inde promoveri poterit) grati sunt DEO, & hominibus accepti. Ergo rectè utendum libertate.

Vers. 19. *Nempe igitur quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.*

Arg. 7. Per consectarium, ex superiori argumento, hortationis modo deductum. Sic utendum libertate, ut per pacem, & ædificationem, promoveatur CHRISTI regnum: Ergo non debemus uti libertate Christianâ, nisi prout paci, & ædificationi, inservire poterit maximè.

Vers. 20. *Ne cibi causa destrue opus Dei. Omnia quidem munda: sed malum est homini qui edens offendit.*

Arg. 8. Propter rei leviculæ commoditatem, (qualis est certi cibi, certo tempore usus) non debet opus DEI destrui, aut fratris salus periclitari. Ergo non edendum cum scandalo.

Omnia] Occurrit objectioni; Diceret aliquis *omnia*, id est, ea de quibus nunc agimus esculenta, licita sunt. Respondet, verum esse de rebus per se consideratis, sed illicita esse (in casu scandali) edenti cum offensione infirmorum.

Vers. 21. *Bonum est non edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam* facere *in quo frater tuus impingit vel offenditur, vel infirmus est.*

Arg. 9. Bonum est abstinere, à quovis cibo vel potu, quando periculum est, ne frater, aliquo modo deterior, in negotio religionis reddatur, per cibi, potusve nostri sumptionem: Ergo abstinendum in tali casu.

Vers. 22. *Tu fidem habes: apud temetipsum habe in conspectu Dei. Beatus qui non condemnat seipsum in eo quod approbat.*

Occurrit objectioni, Fidem habeo de libertate meâ, eamque ut profitear

ut profitear necesse est. Respondet, negando necessariam esse confessionem, per modum facti, in casu scandali, quia consistit libertas, cum abstinentia non minùs quam cum usu rei; quare jubet ut objiciens contentus sit, in tali casu, fidei suæ de libertate, internâ assertione apud DEUM.

Beatus] Confirmat responsionem aphorismo, quo *Arg.* 10. continetur: Qui in eo, quod certò novit esse sibi licitum, ut eo vel utatur, vel ab eo abstineat, ita utitur libertate sua, ut libertatis suæ ad scandalum abusu, se non reddat condemnationis reum, est beatus. Ergo abstinendum in tali casu.

Vers. 23. *Qui verò dubitat, si ederit, condemnatus est, quoniam non* edit *ex fide: quicquid verò ex fide non est, peccatum est.*

Arg. 11. Periculum est ne infirmus fluctuans, inducatur mero intempestivo edentis exemplo, ut dubitante conscientia edat, & sic peccet, & in damnationis reatum incurrat. Ergo in tali casu abstinendum.

Hoc argumento, & deterret infirmum, ne cujusvis exemplo, dubitante conscientia edat, & pariter firmum deterret ab esu intempestivo, ne causa sit alieni peccati, & reatus.

Quicquid] Probat peccare edentem dubitante conscientiâ, quia non edit ex fide, seu ex persuasione, quod factum licitum sit: Quicquid autem fit non ex fide, quod opus licitum sit, peccatum esse pronunciat.

Caput Decimumquintum.

DUÆ *sunt Capitis partes, in* prima *pergit Apostolus in hortatione ad firmiores in fide de libertate Christiana, ut rectè se gerant erga infirmiores, ad* vers. 13. *In* altera *est Epistolæ quasi peroratio, ad finem.*

Vers. 1. *DEbemus autem nos qui firmi sumus, infirmitates imbecillorum portare, ac, non indulgere nobisipsis.*

Quod ad primam attinet, quia in disidio, de usu rerum indifferentium, nulla concordia absque peccato, probabiliter expectari potest, nisi firmiores in libertatis suæ usu, attemperent se infirmioribus; Idcirco horatur, ut id faciant, & portent infirmitates infirmorum, tolerantes, & sublevantes

sublevantes eos patientiâ, & consilio prudenti, tanquam ægris in causa, illis condonantes. Argumenta hortationis sunt septem.

Portare] Argumentum primum, Robustiorum partes sunt, & jure naturæ, & Jure divino, onera infirmorum portare. Ergo firmi in fide infirmorum infirmitatem in rebus his mediis tolerare debent.

Indulgere] Arg. 2. Robustiores, qui hoc officium erga infirmiores præstare recusant, comperientur rei φιλαυτίας suis affectibus, & commodis privatis, tantùm studentes. Ergo infirmi tolerandi sunt.

Vers. 2. Itaque *unusquisque nostrûm proximo placeat*, ipsius *bono*, id est, *ad* ejus *ædificationem*.

Arg. 3. Quia omnes tenemur proximo placere, cum ad ipsius ædificationem, & bonum fieri potest: Addit *in ædificationem*, ne in cujusvis gratiam, malum admittamus.

Vers. 3 *Etenim Christus non placuit sibiipsi, sed sicut scriptum est, Convitia eorum qui convitiantur tibi, inciderunt in me*.

Arg. 4. Quo etiam confirmatur superius, à CHRISTI exemplo: CHRISTUS non utilitatis suæ, sed infirmitatis, & salutis nostræ rationem habens, non sibi placuit, sed nobis; quod probat, quia peccata nostra, quæ naturâ sua sunt DEI opprobria, portavit CHRISTUS, ut nos liberaret à pœnis meritis, & oneri nostro supposuit tergum suum: Ergo cedendum nobis est, saltem in rebus indifferentibus, de Jure nostro, in gratiam infirmorum, ut salventur.

Vers. 4. *Nam quæ antè scripta sunt, ad nos docendos antè scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum, spem retineamus.*

Hoc exemplum, in imitationem trahendum probat, ex generali fine totius Scripturæ, qui est ædificatio nostri, (in fide, & obedientia,) per promissiones, præcepta, & exempla: ut nos per omnia adversa, DEI voluntati patienter morem gerentes, consolationem, & spem ex Scripturis habeamus.

Vers. 5. *Deus autem* autor *tolerantiæ & consolationis, det vobis ut itidem alij in alios affecti sitis, secundùm Christum Iesum*.

Argumentum claudit precatione, ut DEUS, qui patientiæ, & consolationis fons est, & dator, det illis eundem inter se affectum, secundum CHRISTI exemplar, id est, ut idem sentiant, juxta CHRISTI doctrinam,

doctrinam, & se mutuò diligant, nam si dilectio fuerit in rebus mediis, concordia erit.

Vers. 6. *Ut concorditer uno ore glorificetis Deum ac Patrem Domini nostri Iesu Christi.*

Precationis finis est, ut discordia, & dissensione omni remotâ, uno corde & ore, concorditer glorificent DEUM, ac patrem CHRISTI qui nos in filios adoptavit, & fraternitatis vinculo, cum CHRISTO, & inter nos mutuò, sociavit.

Vers. 7. *Propterea alios assumite alij, sicut & Christus assumpsit nos in gloriam Dei.*

Arg. 5. Itidem ab exemplo CHRISTI, illatum ex superioribus, hortationis modo; CHRISTUS misertus nostri, assumpsit nos infirmos, & indignos, in societatem gloriæ DEI, condonatis peccatis nostris: Ergo debemus nos, infirmiores, & ut videntur forsan, indigniores, condonatis infirmitatibus, assumere in societatem dilectionis, pacis, & concordiæ nostræ.

Vers. 8. Illud *autem dico, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, pro Dei veritate, ut confirmaret promissiones Patrum.*

Arg. 6. Etiam ab exemplo CHRISTI; Servivit CHRISTUS circumcisioni, seu Judæis, inter ipsos prædicans, & ministri munia omnia exequens propter fœdus cum ipsorum patribus ictum: Ergo omnes Christianos decet, erga Judæos infirmiores in fide eodem cum CHRISTO animo esse, etiam propter fœdus cum ipsorum patribus ictum.

Vers. 9. *Et ut Gentes pro misericordia glorificent Deum: sicut scriptum est, Propterea celebrabo te inter Gentes, & nomini tuo psallam.*

Arg. 7. Ab exemplo etiam CHRISTI: qui inter Judæos prædicavit, non tantùm ut veritatis DEI, & promissionum Patriarchis factarum, complementum promoveret; sed etiam eo fine ut Gentes, per Judæos, & cum Judæis conversæ, DEUM unà glorificarent: indignissimum ergo, si Judæi & Gentes se mutuò contemnerent de rebus indifferentibus.

Propterea] Quod attinet ad Gentes, probat ex Scriptura, intendisse CHISTUM, eas in societatem Judæorum vocare, quadruplici oraculo; primùm est, ex Psal. 18. vers. 50. In quo, CHRISTUS sub typo Davidis, promittit, se prædicaturum DEI nomen, inter Gentes.

Vers. 10.

Vers. 10. *Et rursum dicit, Gaudete Gentes cum populo ejus.*

Oraculum secundum, ex Deut. 32. vers. 43. in quo, Gentes jubentur lætari, cum Judæis, ut populo DEI: Ergo, isti populo, associabuntur Gentes.

Vers. 11. *Et rursum, Laudate Dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi.*

Oraculum tertium ex Psal. 117. vers. 1. Gentes jubentur laudare DEUM; Ergo misericordiam consequentur.

Vers 12. *Et rursum Esaias dicit, Erit radix Jesse, & qui exurgat ad imperandum Gentibus: in ipso Gentes sperabunt.*

Oraculum quartum, ex Isaiæ 11. vers. 10. CHRISTUS regnabit, ut imperator Gentium, & Gentes credent in eum: Ergo convertentur.

Vers. 13. *Utinam verò Deus spei impleat vos omni gaudio, & pace credendo, ut spe abundetis per virtutem Spiritus sancti.*

Claudit totam hanc hortationem, de abstinentia ab intempestivo usu libertatis, in esculentis, in casu scandali, voto ardentissimo: ut DEUS Christianam hanc abstinentiam à cibo, compensat abundantia spiritualium donorum, quæ repletio majorem lætitiam ipsis crearet, ex dulcedine fidei, & pacis à Spiritu sancto, quam alioqui, ex omnibus deliciis ciborum, capere potuissent.

Vers. 14. *Persuasum autem habeo, & ipse ego de vobis, fratres mei, quòd ipsi per vos plenì sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuò admonere.*

Vers. 15. *Audaculè verò scripsi vobis, fratres, aliquatenus veluti commonefaciens vos, propter gratiam quæ data est mihi à Deo,*

Vers. 16. *Ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud Gentes, operans Euangelio Dei, ut oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum sanctum.*

Altera pars capitis, continens epistolæ quasi perorationem, In qua primum ostendit scribendi, simul & ad eos nondum veniendi causam, quod etiamsi persuasum haberet, Romanos abundare gratiâ, & cognitione, qua valeant se mutuò hortari, & docere, in omnibus supradictis; Liberius tamen, & fusius se ad ipsos scripsisse; primum, quia com-

monefactio de cognitis erat ipsis utilis; deinde, quia authoritate Apostolica ex gratia sibi à DEO data, ministerium suum inter Gentes, (& per consequens inter Romanos) ita curare oportuit ut Gentes conversæ & quasi mactatæ, quo ad veterem hominem per ejus Euangelium, offerrentur DEO, tanquam victima sanctificata per Spiritum sanctum, & DEO accepta propter CHRISTUM.

Vers. 17. *Habeo igitur quod glorier per Christum Iesum, in iis quæ ad Deum* pertinent.

Ut superiori doctrinæ sua constet authoritas, hunc suum Apostolatum commendat sextuplici nomine; primò à spiritualibus effectis, per CHRISTI virtutem productis, quæ apud DEUM saltem, sunt in magno pretio, ut ut homines ea parvi æstiment.

Vers. 18. *Non enim sustinuerim quicquam loqui quod non effecerit Christus per me,* adducendis *ad obedientiam Gentibus verbis & factis.*

Secundo à conversione Gentium, de qua neque audet plus dicere quam verum est, neque potest dicere, vel quantum fecerit, vel quid omiserit CHRISTUS ad conversionem Gentium, per ipsius ministerium.

Vers. 19. *Virtute signorum ac prodigiorum, virtute Spiritus Dei: adeò ut ab Hierosolymis & circumjacentibus* regionibus, *usque ad Illyricum, impleverim prædicandi Euangelij Christi munus.*

Tertiò, A signis Apostolatus sui, scilicet virtutibus, miraculis, & potentia SPIRITUS sancti, qui per miracula convincebat Gentes, de certitudine doctrinæ Euangelicæ.

Adeo ut] Quartò à multitudine triumphatarum Gentium, per ipsius ministerium, inter quas erant illæ omnes, quæ inter Hierosolymam, & Dalmatiam interjacent, ad tractum circiter mille quadringentorum milliarium, ut æstimatur, præter provincias circumjacentes in circuitu.

Vers. 20 *Ita porro contendens euangelizare, non ubi nominatus esset Christus, ut ne super alienum fundamentum ædificarem:*

Quintò, Ab erectione Ecclesiarum DEI, in illis locis, quarum collectio sicut erat solius CHRISTI Authoris, sic erat solius ministerii Pauli, non ullius alius ex Apostolis.

Vers. 21

Vers. 21. *Sed sicut scriptum est, Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.*

Sextò, Quia, in ipsius ministerio implebatur oraculum Prophetæ evidentissimè.

Vers. 22. *Quapropter etiam sæpe inhibitus sum venire ad vos.*

Vers. 23. *Nunc vero quum non amplius habeam locum in his regionibus, summum autem desiderium habeam veniendi ad vos à multis annis;*

Vers. 24. *Quando proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: Spero enim fore, ut* istac *prætereiens, conspiciam vos, & à vobis deducar illuc: si tamen vestra consuetudine prius ex parte expletus fuero.*

Posito in superioribus fundamento excusationis, quod hactenus ad Romanos non venisset, *versu* 22. & 23. spem facit adventus sui, & commorationis aliquantisper inter eos in itinere suo, quod versus Hispaniam meditabatur, postquam ipsorum consuetudine tanquam aromatum odore perfusus fuerit.

Vers. 25. *Nunc autem proficiscor Hierosolymam, ministrans sanctis.*

Vers. 26. *Libuit enim Macedonia & Achaia conferre aliquid in pauperes sanctos qui sunt Hierosolymis.*

Tempus adventus exprimit, postquam scilicet profectus fuisset Hierosolymam, & eleemosynas Græcarum Ecclesiarum, sanctis in Judæa pauperibus refocillandis obtulisset.

Vers. 27. *Libuit enim* eis inquam, *& debitores eorum sunt, nam si spiritualia ipsorum* bona *Gentibus communicata sunt, debent etiam* ipsæ *in carnalibus eis ministerio suo adesse.*

Eleemosynam hanc deberi Judæis probat, quia Euangelium à Judæis ad Gentes pervenerat.

Vers. 28. *Hoc igitur ubi perfecero, & eis consignavero hunc fructum, abibo istac in Hispaniam.*

Vers. 29. *Scio vero me, quum veniam ad vos cum plena benedictione Euangelij Christi venturum.*

Post traditam collectam, quasi obsignatam, sine diminutione, promittit se venturum ad eos. Interim spem facit benedictionis spiritualis, per ipsius ministerium, in Romanos conferendæ, cum adveniret. Quod dicit, ut gratior veniret, & ut ardentius expeteretur, simul, & expectaretur, à Romanis.

Vers. 30. *Precor autem vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus, ut concertetis mihi* vestris *pro me apud Deum orationibus.*

Denique obtestatur enixè, ut precibus apud DEUM, pro ipso contendant, in tribus petitionibus.

Vers. 31. *Ut liberer ab iis qui non obediunt* sermoni *in Judæa: utque ministerium hoc meum erga Hierosolymam acceptum sit sanctis;*

Prima est, ut liberetur ab insidiis infidelium in Judæa, qui sanguinem ejus maximè sitiebant.

Ministerium] Petitio 2. Ut eleemosynæ, quas portaturus erat Hierosolymam, forent fratribus Judæis acceptæ.

Vers. 32. *Ut cum gaudio veniam ad vos, per voluntatem Dei, unàque vobiscum refociller.*

Petitio 3. Ut cum gaudio Romam veniret, & cum ipsis congauderet.

Vers. 33. *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

Interim orans, ut DEUS ipsos in pace custodiret, ne contentionibus suis, opus Euangelii, inter se impederent.

Caput Decimumsextum.

DUÆ *sunt Capitis partes præcipuæ: In* prima *post commendationem Phœbes, quæ Epistolam hanc, ut apparet, ad Romanos perferebat, honorificè salutat, spectatæ fidei, aliquot Sanctos, ad* vers. 17. *In* secunda *parte, post orationem, ut caveant sibi à schismaticis, salutationes, Sanctorum aliquot nomine, qui apud se erant, dum Epistolam hanc mitteret, suis salutationibus adjungit, votisque ardentissimis Epistolam claudit.*

Vers. 1.

Vers. 1. *COmmendo autem vobis Thœben sororem nostram, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchreensis:*

Vers. 2. *Ut eam excipiatis in Domino convenienter sanctis, & adsitis ei quacunque in re* ipsi *usus fuerit vobis: nam hæc tum multis hospitium præbuit, tum mihi etiam ipsi.*

Cenchreæ, portus fuit, Corintho vicinus; In hoc oppidulo, Ecclesia collecta fuit; sumptus, quos ferre non poterat hæc Ecclesia, sustinuisse videtur Phœbe, domicilium suum, quasi commune diversorium, advenis Christianis, liberaliter patefaciens; ideoque ministra Ecclesiæ nominata est: Nam fuisse ex collegio paupercularum viduarum, quas Ecclesia alebat publico stipendio, (1. ad Tim. 5.) non videtur, sed officium ipsarum suppleviſſe, & sumptibus suis sustinuisse est verisimile, quia ipsi Apostolo, & multis etiam aliis, hospitium liberale præbuerat: & profectionem tam longam, ex Græcia Romam usque suscipere, negotia secularia habere Romæ curanda, quæ Ecclesiæ totius notitia, & auxilio, & in eum finem, Apostolica intercessione digna essent, signa sunt non pauperioris, sed opulentæ, & notabilis fœminæ, quam idcirco vult à Romanis recipi *in Domino*, id est, Christiano affectu & Domini causâ, & tractari *dignè sanctis*, id est, ut decebat & Romanorum, & Phœbes conditionem externam, sanctitate ornatam.

Vers. 3. *Salutate Priscillam & Aquilam, adjutores meos in Christo Iesu:*

Vers. 4. *Qui pro anima mea suam ipsorum cervicem supposuerunt: quibus non ego solus gratias ago, sed etiam omnes Ecclesiæ Gentium:*)

Salutationes, Sanctorum nominibus, & encomiis, satis distinguntur, ut analysi hic non opus sit, sufficient ad institutum nostrum, notæ aliquot.

Quomodo *adjutores* Apostoli, fuerint Priscilla & Aquila; patet ex Act. 18. quo loco, licet privati fuerint, quantùm tamen privatim fieri potuit ab ipsis in vocatione sua se continentibus, studiosè in doctrina CHRISTI propaganda laborabant, pro peritia sua & zelo singulari; In quo negotio, ut nominatur uxor ante maritum, sic primas tenuisse videtur.

Cervicem] In periculo persecutionis aliquo, vel tumultu, apparet Priscillam, & Aquilam, fortiter egisse causam Apostoli, ejusque vitam cum vitæ suæ periculo eripuisse, quo nomine, omnes Ecclesiæ, quæ curabant Apostoli salutem, gratias illis debebant.

Vers. 5.

Vers. 5. *Item Ecclesiam quæ in domo eorum est. Salutate Epænetum mihi dilectum, primitias Achaiæ in Christo.*

Per Ecclesiam, videtur intelligere solùm familiam ipsorum, piè institutam, & quotidie vacantem rebus sacris, inter labores manuarios, propter quandam Ecclesiæ similitudinem ; quia non dicit, Ecclesiam quæ convenit in ædibus eorum, sed quæ est, seu habitat in domo eorum, nisi existimemus, simul etiam Ecclesiæ toti præbuisse hospitium, sicut Gaius, de quo vers. 23.

Epænetus dicitur *primitiæ* Achaiæ ; quia inter primos, ad fidem conversus est, sicut & 1 Cor. 16. 15. Stephanæ familia, eodem nomine, inter præcipuæ notæ, & in fide spectatos Christianos, laudatur.

Vers. 6. *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit erga nos.*

Mariæ studium erga fideles, & Apostolos, cognosci, & agnosci vult ab Ecclesia, ut simile studium foveret, vel excitaret in aliis.

Vers. 7. *Salutate Andronicum & Juniam, cognatos meos, & concaptivos meos, qui sunt insignes inter Apostolos qui etiam ante me fuerunt in Christo.*

Andronicus & Junia, consanguinei Apostoli, vocantur insignes inter Apostolos, quia Apostolis omnibus noti, & approbati, & in pretio ab iis habiti sunt, qui etiam ante Apostolum Paulum conversi erant ad fidem, & cum Apostolo passionum pro Euangelio, in Carcere & vinculis, consortes erant.

Vers. 8. *Salutate Ampliam dilectum mihi in Domino*

Amplias dilectione dignus in Domino dicitur, propter fidem, & pietatem scilicet, à Domino ei datam.

Vers. 9. *Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo, & Stachyn mihi dilectum.*

Urbanus videtur unus, ex pastoribus Romanæ Ecclesiæ fuisse, & adjutor Apostolici laboris, in Euangelio.

Vers. 10 *Salutate Apellen, probatum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli* familiaribus.

Apelleu probatum vocat, quia constantiæ, & fidei suæ, experimenta certa dederat.

Vers. 11. *Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi* familiaribus, *eos* inquam *qui sunt in Domino.*

Aristobulum,

Aristobulum, & Narcissum non salutat, quia infideles manebant, ut conjicere licet, sed Christianos eorum servos, & domesticos, ut in fide confirmarentur, & in officio erga Dominos suos, licet infideles, permanerent.

Vers. 12 *Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidam* mihi *dilectam, quæ multùm laboravit in Domino.*

Salutat spectatas Matronas quæ ad promovendum Euangelium suas operas studiosè & feliciter commodârant.

Vers. 13 *Salutate Rufum selectum in Domino, & matrem ejus ac meam.*

Salutat Rufum, egregium adolescentem, qui matrem habebat, studiosam Pauli, non minus quam Rufi, filij sui.

Vers. 14. *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermanum, Patrobam, Hermen, & qui eis sunt fratres.*

Vers. 15. *Salutate Philologum & Juliam, Nereum & sororem ejus, & Olympam, & qui cum iis sunt, Omnes sanctos.*

Quia insistere non poterat, innumerandis singulis, nominatis aliquot sanctis capitibus, reliquos inter ipsos sanctos, in cumulo salutat.

Vers. 16. — *Salutate alij alios osculo sancto,*

Quia iis temporibus, in mutuæ dilectionis signis, erat osculum, sicut nunc nobis est dextrarum conjunctio, jubet ut sine fuco, aut simulatione, sanctè, se mutuò salutent.

Vers. —16. *Salutant vos Ecclesiæ Christi.*

Salutant] Secunda pars Capitis; In qua, salutem Romanis impertit Apostolus, Ecclesiarum, inter quas versabatur, nomine, quæ nimirum ipsius propositum scribendi ad Romanos, cognoverunt.

Vers. 17. *Precor autem vos, fratres, ut observetis dissidiorum & offendiculorum autores, contra doctrinam quam vos didicistis: & declinetis ab eis.*

Intermiscet, quasi in parenthesi, admonitionem de observandis, coercendis, & excommunicandis iis, qui contra doctrinam, aut disciplinam Apostolicam, jam ab iis receptam, ad scindendam Ecclesiam quicquam moverent, & consortium vitare jubet ipsorum, postquam sciret, ab Ecclesia excommunicati essent.

V

Vers. 18. *Nam qui ejusmodi sunt, Dominò nostro Iesu Christo non serviunt, sed suo ventri: & per blandiloquentiam & assentationem corda* hominum *minimè malorum seducunt.*

Admonitionis, rationes addit quatuor; *prima*, quia istiusmodi viri, quicunque demum sint, non sunt servi DEI, sed servi ventris sui, studentes scilicet rebus mundanis, id est, suis affectibus, & emolumentis, non verò Ecclesiæ utilitati.

Ratio 2. Quia nisi observarentur à prudentioribus, facile decepturi essent simpliciores, fucatis suis dictis, atque ita Ecclesiam scissuri.

Vers. 19. *Vestra enim obedientia ad omnes pervenit. Gaudeo igitur quòd ad vos* attinet: *sed volo vos sapientes quidem esse ad id quod bonum est, simplices verò ad malum.*

Tertia ratio: quia periculum erat, ne Romanorum laudabilis, & nota facilitas, ad credendum prædicatoribus, quibuslibet imposturis exponeretur, nisi caverent; nempe, nisi simplicitatem illam temperarent prudentiâ! simplicitatem colentes tantum in nocendi artibus, in aliis verò, prudentiæ studentes, ne iis noceret aliorum astutiâ.

Vers. 20. *Porrò Deus pacis conteret Satanam sub pedes vestros citò. Gratia Domini nostri Iesu Christi* sit *vobiscum Amen.*

Quarta ratio, Quia etsi pugnandum illis esset cum Satana, turbarum authore, DEUS tamen pacis daturus illis fuit victoriam, ubi paululum in pugna sese opposuerint turbatoribus illis, quod argumentum claudit Apostolicâ benedictione.

Vers. 21. *Salutant vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.*

Absoluta parenthesi, salutationes aliorum sanctorum apud se ad Romanos superaddit; quorum primus est Timotheus Euangelista, post hunc Lucius qui est (ut videtur) ille Cyrenæus, Act. 13. 1. Jason est de quo Act. 17. 5. Sosipater, de quo Act. 20. 4.

Vers. 22. *Saluto vos in Domino, ego Tertius, qui descripsi epistolam.*

Tertius, amanuensis Pauli, qui descripsit hanc Epistolam, in honorem ministerii hujus, hanc sui commemorationem, a Spiritu sancto, quasi in compensationem fidelitatis, accipit.

Vers. 23.

Vers. 23. *Salutat vos Gaius hospes meus & Ecclesiæ totius. Salutat vos Erastus procurator urbis, & Quartus frater.*

Vers. 24 *Gratia Domini nostri Iesu Christi, sit cum omnibus vobis, Amen.*

Gaius de quo Act. 20. 4. & 1. Cor. 1. 14. se Romanis commendatum habet, interim à Paulo commendatus, quod non solum Paulum hospitio exceperit, sed etiam toti Ecclesiæ domicilium, in quod ad sacra conveniret, ministrabat.

Erastus, quæstor ærarius civitatis Corinthiacæ, cui additur frater nomine Quartus; has salutationes claudit repetito voto Apostolico.

Vers. 25. *Ei vero qui potest vos stabilire, secundùm Euangelium meum & prædicationem Iesu Christi, ex patefactione mysterij quod à temporibus seculorum tacitum fuit:*

Versibus tribus ultimis, celeberrimam hanc Epistolam, solenni doxologia claudit, in qua, fidem certitudinemque salutis Romanorum confirmat, adversus metum omnem, quem pericula, persecutiones, impostores, schismatici, sive ipsorum imbecillitas, sive tentationes quæcunque aliæ, ipsis creare potuissent: idque propter DEI potentiam, & benevolentiam, quas DEUS per Euangelium in hac Epistola descriptum, tanquam brachia sua pro ipsorum salute extendebat.

Simul etiam Euangelium suum commendat, sextuplici nomine: 1. Quia est prædicatio Iesu CHRISTI: 2. Quia est revelatio gratiæ DEI, prius celatæ; nam licet Gratia patribus significata fuerit, comparatione tamen præsentis lucis, quæ per Apostolorum doctrinam mundo affulserat, tacita & abscondita dici potuit.

Vers. 26. *Nunc vero factum est manifestum, & per Scripturas propheticas, ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei, omnibus Gentibus innotuit.*

Vers. 27. *Soli*, inquam, *sapienti Deo. gloria per Iesum Christum in secula. Amen.*

3. Quia hoc Euangelium, congruit cum Scriptura veteri, & ex ea confirmatur, 4 Quia habet DEI imperium, & ordinationem pro authoritate: 5. Quia non continetur, sicut vetus Scriptura, angustis finibus

bus Judæx, & unius populi, sed splendet ad usum omnium gentium: 6. Quia ad fidei obedientiam tendit, id est, ut audientes, adducti ad fidem CHRISTI, reddantur obedientes subditi regni Gratiæ ejus: simul DEO gloriam horum omnium tribuit ut soli, in se, & à se sapienti, qui nulli sapientiam suam debet: Ipsi per CHRISTUM sit gloria in secula seculorum. AMEN.

EXPOSITIO ANALYTICA

Epistolæ *Pauli* prioris ad *Corinthios*, *Summarium*.

Corinthus, Emporium Achaiæ nobile, in Isthmo Peloponnesi, inter mare Ægæum & Ionium positum, in qua Urbe sesquiannum docuit Apostolus, & Ecclesiam, in ea, magna cum difficultate, erexit. Hanc Ecclesiam, multis modis studebat Satanas scindere, polluere, & labefactare, de quibus Sathanæ artibus certior factus Apostolus, ut malis tantis, remedium tempestivum adferret, hanc Epistolam ad Corinthios scripsit.

Hujus Epistolæ articuli decem statui possunt; Primus *est, de schismate tollendo, quod per doctorum, inter ipsos, vaniloquum prædicandi modum, ortum erat, & in eam finem, de rectâ ratione prædicandi, abundè agitur, capite* primo, secundo, tertio, quarto.

Secundus *articulus est, de excommunicando incestuoso, capite* quinto.

Tertius *articulus est, de vitandis litibus, quibus se mutuò, etiam sub infidelibus judicibus, vexabant.*

Quartus *articulus, est, de castitate colenda, seu fornicatione vitanda, cap.* sexto.

Quintus

Quintus *articulus, de prudentia in matrimonij, & cœlibatus, & secularium vocationum casibus adhibenda, Cap.* septimo.

Sextus *articulus, de Idolothytis vitandis, Cap.* octavo, nono, decimo.

Septimus *articulus, de ordine, & decoro, in publico DEI cultu, maximeq; in Cœna Domini, observanda, Cap.* undecimo.

Octavus *articulus, de recto spiritualium donorum usu, Cap.* 12, 13, 14.

Nonus *articulus, de resurrectionis futuræ certitudine, quam, aliqui inter ipsos, in dubium vocabant, Cap.* decimoquinto.

Decimus *articulus, de Eleemosyna in usum Sanctorum in Judæa colligendâ, Cap.* decimosexto.

Caput primum, de *Schismate sanando.*

CApitis *tres* sunt partes; *Prima*, est procœmium totius Epistolæ, ad versum decimum.

Secunda, est inchoata dissuasio à schismate, quo laborabant Corinthii, propositis, in eum finem, quinque argumentis, ad vers. 17

Tertia, est illustratio, & confirmatio quinti argumenti, ad finem.

Totum procœmium comparatur, ad præparandos animos Corinthiorum, ut promptam obedientiam doctrinæ, & admonitionibus Apostoli præstent: Et hoc, vel simili, in eundem sensum, axiomate, poterit procœmii scopus concipi: Debetis vos Corinthii, doctrinæ meæ, & monitis meis, submissâ, & promptâ voluntate obtemperare, seu fidem habere, & obedientiam præstare.

Argumenta in hunc finem insinuantur undecim, quorum alia Apostoli authoritatem magis, alia benevolum ipsius in Corinthios animum, magis exprimunt.

Vers. 1. *PAulus vocatione Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei: & Sosthenes frater.*

Apostolus] Argumentum primum, Ego Paulus, qui hæc ad vos scribo, vocatione sum Apostolus IESU CHRISTI: Ergo debetis doctrinæ meæ, & monitis fidem habere, & obedire.

Per voluntatem Dei] Arg. 2. Speciali DEI voluntate, & mandato, non usurpatione meâ, ut legatione fungor, ita hæc ad vos scribo: Ergo, nisi DEI voluntati refragari velitis, debetis monenti, & docenti mihi obtemperare.

Sosthenes] Arg. 3. Adjunxi mihi admonitionis hujus testem, Sosthenem fratrem, (de quo *Act. cap.* 18. *vers.* 17) ut, sub duobus testibus, testimonium hoc sanciatur. Ergo debetis, monenti & docenti mihi obtemperare, nisi utriusque testimonium, adversus vos stare velitis.

Vers. 2. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu*, id est, *vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, quovis loco*, Domini, inquam, *tum ipsorum, tum nostri.*

Arg 4. In descriptione eorum, ad quos scribit; Vos estis Ecclesia Dei, evocati ex mundo, consecrati Deo, asciti in communionem cum Christo, vocati ad sanctimoniam à Deo. Ergo, mihi docenti, & monenti ea, quæ ad sanctimoniam faciunt, si privilegiis vestris digni haberi vultis, debetis auscultare, & obtemperare.

Cum omnibus qui invocant] Arg. 5. Extenditur Apostolatus mei, & doctrinæ hujus authoritas, usus, & fructus, non tantùm ad vos, sed etiam ad universam Dei Ecclesiam, omnesque Sanctos, qui adorant Iesum Christum, verum Deum, & Dominum nostrum: Ergo debetis doctrinæ, & monitis meis auscultare, & obedire.

Vers. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

In salutatione, est Arg. 6. Vos eos agnosco, quibus, unà cum reliquis Sanctis, quovis loco degentibus, pro authoritate mihi concessa, licet Evangelii benedictionem applicare, & vobis gratiam & pacem; *id est*, omnia quæ ad virtutem, & gloriam: quæ ad sanctitatem, & felicitatem faciunt, comprecari, ut certiores de favore Dei per me redditi, eadem, à Deo per Mediatorem Christum, firmiori fide expectetis. Ergo debetis, alacriter doctrinæ meæ, & monitis auscultare.

Vers. 4. *Gratias ago Deo meo semper de vobis, ob gratiam Dei quæ data est vobis in Christo Iesu:*

Vers. 5. *Quòd in omnibus in ipso ditati fitis, omni loquendi facultate, omnique notitia:*

Reliquis procœmii versibus, quia multa erat reprehensurus vitia in Corinthiis, commendat quod in iis bonum est, confirmat fidem ipsorum in Deum, ne acrius correpti labascerent, & suam de iis existimationem, & erga eos benevolentiam, interea exprimit, quo finem sibi propositum,

tum, melius assequeretur. Arg. 7. Non invideo vobis, sed gratulor potiùs, & DEO gratias jugiter ago, de opulenta, reconciliationis potissimum gratia, vobis per CHRISTUM concessâ, *vers.* 4. gratulor vobis, abundantiam Spiritualium donorum Ecclesiasticorum, ad cognitionem, & prædicationem Euangelii spectantium, *vers* 5. Ergo debetis, mihi de recto gratiæ & donorum usu monenti, promptè obedire.

Vers. 6. *Prout testimonium Christi confirmatum fuit in vobis.*

Arg. 8. In confirmationem testimonii *nostri*, & fidei vestræ, de hoc Euangelio CHRISTI, data sunt vobis ea dona: Ergo debetis, *mihi* salutaria docenti, & monenti, ab eodem authore CHRISTO, fidem adhibere, & obedire, ut Spiritus sancti donis amplius abundetis.

Vers. 7. *Adeo ut nullo dono deficiamini, expectantes donec patefiat Dominus noster Iesus Christus:*

Arg. 9. Donorum Ecclesiasticorum, & Spiritualium nullum genus vobis deest, quod viatoribus necessarium est, verùmtamen nondum perfecti estis, sed plenitudo est expectanda in adventu CHRISTI. Ergo ut læti CHRISTUM ad judicium venientem excipiatis, mihi docenti, & monenti ea, quæ vestram perfectionem promovere poterint, fidem habere, & obedire debetis.

Vers. 8. *Qui* Deus *etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi.*

Arg. 10. Persuasum habeo, (de Electis loquor, quales me vos, ex charitate æstimare, æquum est) confirmaturum vos CHRISTUM, & effecturum, ut perseveretis in gratia, & purgaturum vos ab omni labe, ut tandem sine macula omni, coram DEO sistamini: Ergo mihi docenti, & monenti, in eum ipsum finem, debetis fidem habere, & obedire.

Vers. 9. *Fidelis est Deus, per quem vocati estis, ad communionem Filij ipsius Iesu Christi Domini nostri.*

Arg. 11. Confirmans superius: Vocatio vestri efficax, in communionem cum CHRISTO, quod donum est stabile, & salutiferum, simul & fidelitas DEI (qui perseverantiam, & confirmationem, in eum finem, promisit efficaciter vocatis vobis, in communionem FILII sui) persuasionis hujus meæ de vobis, pignora sunt. Ergo ut

ut expe-

ut expectationi meæ, & vocationi vestræ respondeatis, debetis mihi docenti, & monenti, fidem habere & obtemperare.

Secunda Pars.

Vers. 10. *Rogo autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis coagmentati eâdem mente & eâdem sententia.*

Secunda pars Capitis, in qua, revocare eos studet à schismate, hortando, ut si charus ipsis esset CHRISTUS, omisso partium studio, unitatem colant, in doctrina, & docendi modo, utque in eum finem, studio seu affectibus, & sententiis, seu intelligentiâ sanæ doctrinæ coagmententur.

Vers. 11. *Declaratum est enim mihi de vobis, fratres mei, à domesticis Chloes, quod lites sint inter vos.*

Ne, sine causa hortari videatur, indicat se de ipsorum schismate audivisse, à fide dignis authoribus.

Vers. 12. *Hoc autem dico, singulos vestrûm dicere, Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego vero CHRISTI.*

Schisma jam attingitur: De doctoribus suis contendebant, præferentes alios aliis, quasi perfectiores; seque ab iis denominantes, cum æmulatione, & contemptu mutuo: Quos doctores non nominat, sed tacendo delinit Schismaticorum animos, ut facilius schisma sopiretur: & quasi exempli causâ, nominat se, & Apollo, & Cepham, licet ex reliqua, & sequenti etiam epistolâ, planum sit, vaniloquos ipsorum doctores, schismatis authores, & fautores fuisse, qui ipsum etiam Paulum, apud Corinthios, in fastidium induxerant, eo usque, ut vix locum suum apud eos tenere potuerit, tantùm abfuit, ut à Paulo se denominarent.

Vers. 13. Num *dispertitus est Christus? num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomen Pauli baptizati fuistis?*

Curandum hoc schisma, & tollendum, jam contendit: Argumenta dehortationis & reprehensionis, sunt quinque.

Argumentum primum, Schismate hoc, laceratur CHRISTI corpus mysticum, & unitas ipsius discerpitur in tot partes, quot sunt sectæ: Schisma curandum est, & tollendum igitur.

Crucifixus

Crucifixus] Arg. 2. Nemo ex doctoribus vestris, morte, sibi comparavit Ecclesiam: Ergo nulli hic honos debetur, ut ab eo denominetur Ecclesia, & propter eum scindatur in partes.

In nomen] Arg. 3. In nomen nullius doctoris baptizati eratis, ut ab eo denominationem sumeretis: Ergo in gratiam doctorum, non estis in partes scindendi.

Vers. 14. *Gratias ago Deo meo quod neminem vestrûm baptizaverim, nisi Chrispum & Gaium* :

Vers. 15. *Ut ne quis dicat me in meum nomen baptizasse*.

Vers. 16. *Baptizavi autem etiam Stephanæ familiam: cæterùm haud scio num quem alium baptizaverim*.

Arg. 4. Improbandi sunt schismatici inter vos doctores, qui promiscuè multos baptizare affectando, discipulos aliis ereptos sibi studeant vendicare, quasi in suum nomen baptizarent, & quod DEUS sua providentia mea opera ad paucos baptizandum utens, ab hujus mali suspicione, me liberaverit, Gratias ei ago. Ergo in gratiam doctorum non estis in partes scindendi.

Vers. 17. — *Non enim misit me Christus, ut baptizarem, sed ut euangelizarem: non tamen cum dicendi peritia*,

Addit aliam causam, paucorum à se baptizatorum, quia muneris sibi demandati partes præcipuas studebat obire, *id est*, prædicando, aliospost alios convertere, conversos baptizandi curam aliis committens, ne ipse distraheretur; quia non ad baptizandum, scilicet præcipuè sive cum prædicationis impedimento, miserat eum CHRISTUS, sed præcipuè ad prædicandum Euangelium.

Non tamen cum peritia] Arg. 5. Schismatici illi doctores vestri, qui speciosâ sua eloquentiâ, post se discipulos trahere student, non imitantur exemplum meum in spirituali docendi modo; Ego enim non cum dicendi peritia, οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, non in sapienti sermone, non in sermonis elegentia, & ingenii acumine, compositâ oratione: (sicut ex præceptis oratoriæ fieri præscribitur) sed in sermone plano, & simplici, ad ædificationem comparato, ex Domini nostri sententia prædicabam. Ergo, ob vanam istiusmodi doctorum eloquentiam, non scindenda erat Ecclesia vestra in partes.

Vers. — 17. *Ne inanis reddatur crux Christi.*

Ne inanis]

Ne inanis] Tertia pars Capitis, in qua confirmat factum suum in prædicandi modo, & simul officium suum, nempe non prædicandum fuisse ipsi, cum dicendi peritia, sed in simplicitate veritatis, ad omnium auditorum captum, & ædificationem scilicet: non ad aures aliquorum demulcendas; & probat, non mirandum esse quod CHRISTUS ipsum miserit ad prædicandum Euangelium, non cum dicendi peritia: Argumenta in hunc finem affert duodecim hoc capite, plura additurus capite sequenti.

Ne inanis] Arg. 1. est ab affectu contrarii: Si ornate, ad regulas eloquentiæ, composuissem sermonem meum, in prædicando, Inanis redditia fuisset crux CHRISTI, vel (ut est *cap.* 2. 5.) fides auditorum meorum, constitisset in sapientia hominum potiùs, quam in potentia DEI, id est, simplex & humilis doctrina, de humiliatione CHRISTI usque ad crucem, spoliata fuisset gloria conversionis hominum; & humana eloquentia, ea gloriâ coronata fuisset. Ergo, non mirum, quod CHRISTUS me miserit ad euangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 18. *Nam sermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt, stultitia est: iis autem qui servantur*, id est, *nobis potentia Dei est.*

Respondendo objectioni, subjicit arg. 2. Diceret aliquis; At, doctrina crucis reddetur contemptibilis, & ludibrio tanquam stultitia exponetur, si nullo sapientiæ splendore se fecerit commendabilem: Respondet verum esse illud apud reprobos, & in perditionis via manentes, non verò apud Electos, & Conversos: qui humilem prædicationem magni æstimant, & comperiunt eam DEI organum efficax ad salutem: Hinc argumentum, cur simplici oratione, & non operoso artificio, in prædicando, usus fuerit Apostolus. Simplici hac prædicationis ratione DEUS solet potenter convertere, & promovere Electos ad salutem. Ergo non mirum, quod CHRISTUS me miserit ad euangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 19. *Scriptum est enim, Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio.*

Arg. 3. DEUS maledicturus est sapientulis illis, qui despicientes veritatis divinæ simplicitatem, in ejus locum, surrogare audent suam sapientiam, in prædicatione Euangelii: quod probat testimonio Isaiæ, *cap.* 29. *vers.* 14. Ubi DEUS, studiosis verborum in DEI cultu, & non studentibus potentiam & vim pietatis, ad internam sanctificationem obtinere inter-

nere interminatur se conversurum ipsorum sapientiam in fatuitatem: Ergo, non mirum, quod CHRISTUS me miserit ad euangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 20. *Ubi sapiens? ubi Scriba? ubi disquisitor seculi istius? nònne infatuavit Deus sapientiam hujus mundi?*

Arg. 4. Ab experientia: Quia DEUS, in Ecclesiæ suæ collectione, & operas, & personas sapientissimorum inter Judæos, & Gentes, contempserit, sinendo politicorum, seu sapientum Scribarum, seu Legis interpretum, disputatorum hujus seculi, seu Philosophorum maximam partem, ire vias suas: Nam fere totam multitudinem hujus seculi sapientum, extra pomœria suæ Ecclesiæ, seu regni Cœlorum, cum sapientia sua seculari, & doctrinis suis, ut stultos, in cœno, & sordibus volutari permisit. In hoc argumento proferendo, alludit Apostolus ad oraculum Isaiæ, *cap. 29. vers. 14.* Nam si ubi sint sapientes, *&c.* Quæras? In Ecclesia non comparent, nam sapientia ipsorum, quia separata est à verâ cognitione miseriæ suæ, & unici remedii in CHRISTO, stultitia est: Argumenti vis hæc est, In Ecclesiæ collectione, & ædificatione, nec adhibuit DEUS sapientes hujus mundi, nec ipsorum eloquentiam. Ergo, non mirum quod CHRISTUS me miserit ad euangelizandum, non eum dicendi peritia.

Vers. 21. *Nam postquàm in Dei sapientia mundus non cognovit Deum per* eam *sapientiam, placuit Deo per stultitiam prædicationis servare credentes.*

Arg. 5 Superius etiam confirmans; Quia postquam in sapientia DEI, quæ in operibus creationis, & providentiæ quotidianæ splendet, mundani homines, neque per notitiam illam naturalem, in ipsis reliquam, neque per Philosophiæ subsidium, neque per ullam suam sapientiam, DEUM rectè agnoverunt, sed media omnia cognitionis, clausis oculis præterierunt, DEUS aliam viam salutis patefecit, per simplicem, & quasi stolidum modum prædicationis Euangelii, (sicut videtur irregenitis) ut Electos, per fidem servaret: Non mirum ergo, quod CHRISTUS me miserit ad evangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 22. *Quandoquidem & Judæi signum petunt & Græci sapientiam quærunt:*

Vers. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam:*

Illustrans quæ superius dixit, addit argumentum sextum, à praxi non suâ tantùm, sed & aliorum Apostolorum, qui, nec in gratiam Judæorum, miracula quærentium, nec in gratiam Gentium, sapientiam flagitantium, curiositati hominum, sermone ornato, satisfacere studebant; sed præscriptam à DEO, simplicem rationem euangelizandi sequentes, prædicabant redemptionem per CHRISTI infirmitates, & humiliationem, nihil morantes, quod offenderentur Judæi, crucis humilitate, nec quod Gentes, hunc prædicandi modum, stultitiam existimarent: Non mirum ergo, quod CHRISTUS me miserit ad euangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 24. *Ipsis autem vocatis, tum Judæis, tum Græcis, Christum Dei potentiam, ac Dei sapientiam.*

Excipit aliquos ex Judæis, & Gentibus, & annectit Arg. 7. à judicio, & experientia Electorum, efficaciter vocatorum ex Judæis & Gentibus; qui CHRISTUM, in simplicitate sermonis prædicatum, experiuntur & agnoscunt esse *potentiæ* DEI demonstrationem, supra omnia miracula insignem; & *sapientiæ* DEI manifestationem, supra omnem, quam quærunt Gentes, sapientiam mundanam. Ergo non mirum, quod CHRISTUS me miserit ad euangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 25. *Nam stultitia Dei sapientior est quàm homines: & infirmitas Dei validior est quàm homines.*

Arg. 8. Quo confirmat, hoc judicium fidelium rectum esse: quia DEI instituta, ut ut stultissima, & infirmissima videantur mundo, omni hominum sapientiâ & potentiâ validiora sunt: ut in Sacramentis videre est. Ergo non mirum, si misit me CHRISTUS ad prædicandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 26. *Videtis enim vocationem vestram, fratres, vos* videlicet, *non esse multos sapientes secundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles.*

Arg. 9. Quo ostendit, DEUM simplicem prædicandi modum elegisse, non verò ornatum & sublimem, à simili ipsius placito, in selectione personarum, per vocationem: elegit non multos sapientes, potentes, Nobiles secundùm carnem, seu externum statum, ordinemque in mundo, sed homines, maxima ex parte, nulla sapientiâ, potentiâ, aut generis splendore conspicuos coram mundo, imo nihili æstimatos. Ergo non

non mirum, si Deus eligens etiam similem prædicandi rationem, me misit ad Euangelizandum, non cum dicendi peritia.

Vers. 27. *Verùm quæ stulta* sunt *mundo elegit Deus, ut pudefaciat sapientes, & quæ* sunt *infirma mundi, elegit Deus ut pudefaciat robusta*:

Vers. 28. *Et quæ ignobilia sunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt enervaret*:

Huic argumento immiscet arg. 10. a fine subalterno, hujus consilii Dei; ut scilicet ostenderet, nihili se facere ea, quæ apud homines in maximo sunt pretio: ut ita pudefiant, confundantur, viles nulliusque pretii comperiantur quicunque propter illa superbiunt: nec igitur mirum, Deum simplicem prædicandi rationem eligere, & me eam tenere, ut vana illa dicendi peritia pudefiat: cum tota illa verborum pompa affectus humanos, titillare tantùm comperitur, ad conversionem verò cordis, nihil efficere.

Vers. 29. *Ut ne glorietur ulla caro in ejus conspectu.*

Arg. 11. A fine ultimo Divini beneplaciti, in elegendis rebus, personis, & mediis ad salutem infirmis, qui finis negativè hic proponitur, ne quis glorietur in seipso: Non mirum ergo, Deum misisse me, ut prædicarem non cum dicendi peritia, ne glorier in meipso, nempe cum convertuntur aliqui per prædicationem meam.

Vers. 30. *Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiáque & sanctificatio, & redemptio:*

Consolatur interim Corinthios adversus hanc ipsorum exinanitionem, & abjectionem coram mundo: concedens illis quasi in compensationem nobilitatem generis in regeneratione, divitias in sapientia, & justitia, & denique liberationem ab omni peccato, & miseria in Christo. Imò verò in majorem fidei ipsorum confirmationem pronunciat Christum constitutum à Deo, & datum illis in justitiam, & vitam, Christus enim hæc omnia factus est merito, imputatione, applicatione, & complemento efficaci in singulorum fidelium usum.

Vers. 31. *Ut fiat sicut scriptum est, Qui gloriatur, in Domino gloriator.*

Finem ultimum Divini beneplaciti in eligendis mediis infirmis, & personis infirmis, & in humiliandis omnibus in seipsis affirmative ponit, nempe ut (sicut habetur Jer. 9. 23.) Deo cedat tota gloria, unde

arg. 12. de omnibus sic dispensat Deus, ut nemo glorietur nisi in Domino: Ergo non mirum, Deum me misisse ut euangelizarem, non in dicendi peritia, ut in effectu Euangelii gloriemur omnes in solo Deo.

Caput secundum.

Eadem confirmare pergit, quam superiori capite tradebat doctrinam, quod scilicet prædicatio Euangelii respuat splendorem Rhetoricum, gaudeat verò simplicitate, & demonstratione spirituali, non quod patrocinetur Apostolus cujusquam temeritati, vel cruditati in prædicando, quasi effutiendum sit, quicquid in buccam venerit, sine methodo, sine sensu, stilo agresti, & contemptibili loquendi genere; suam enim habet venustatem recta prædicandi ratio, quæ neque fucum fert, neque sordes patitur, sed quod eloquentiæ affectationem damnet, quæ auditorem rapit in admirationem dicentis, magis quam in dictorum, seu Euangelii amorem; nam meditatam, & bene intellectam veritatem, (quando eam ex fide, & dilectione, profert Concionator,) sponte sequitur simplex, & ad ædificationem omnium auditorum accommodata oratio, quæ sapientissimis auditoribus, supra omnes Rhetorum delicias, sapit. Hanc simplicem prædicandi rationem, artificiosa eloquentiâ, probat præstantiorem, octo argumentis: quorum priora petuntur ab ipsius Pauli, & Corinthiorum, ad quos scribit, experientia.

Vers. 1. *EGo igitur quum venirem ad vos, fratres, veni non cum eminentia facundiæ aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Dei.*

Argumentum primum. Ego Paulus, cum ad vos Corinthios veni prædicaturus Euangelium, per quod conversi estis ad fidem, consultò abstinebam ab eminentiâ facundiæ: Ergo simplicitas orationis præstat artificio Rhetorico in prædicatione Euangelii.

Vers. 2 *Non enim statui quicquam scire inter vos, nisi Iesum Christum, eúmque crucifixum.*

Arg. 2. Nullius pretii æstimavi ego, apud vos manifestare vel prodere in me, scientiam ullius rei, præterquam personæ, officiorum, efficaciæ & virtutis

& virtutis Iesu Christi, & speciatim passionum, & humiliationis ipsius: Ergo hæc ratio Euangelii prædicandi, est præstantissima.

Vers. 3. *Sed fui ego cum infirmitate, & timore, ac tremore multo apud vos.*

Arg. 3. Ego, memor infirmitatum humanarum, in mediis periculis, sine fastu, ad humilitatem me componens, inter vos prædicabam, & solicitè & trepidè in officio me gerebam: Ergo & hæc ratio humiliter prædicandi Euangelium, est præstantissima.

Vers. 4. *Neque sermo meus, & præconium meum* versatum est *in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritualis & potentiæ.*

Arg. 4. Mea oratio, & prædicatio, neque splendebat acumine ingenii, nec humana Philosophiâ, nec ornatu verborum ad persuasionem comparatorum, sed demonstrationibus Scripturæ, & solidæ veritatis, quibus Spiritus potenter se exerebat, & operabatur in vestris animis: Ergo hæc prædicandi ratio est præstantissima.

Vers. 5. *Ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.*

Rationem facti sui reddens, cur temperaverit sibi ab eloquentia humana in sermonibus, addit arg. 5. Si ego usus fuissem arte pictis sermonibus, in vestri conversione ad fidem: Ratio credendi Euangelio inter vos Corinthios fuisset eloquentia humana, & non Euangelii Dei nuda veritas, (quæ Dei dicitur potentia, quia potenter per eam in suis operatur Deus:) atque ita fides Corinthiorum, nixa fuisset lubrico humanæ eloquentiæ fundamento: Cum autem eloquentiâ movetur aliquis ad credendum, eloquentia majori etiam moveri poterit ad renunciandum fidei veritati, sequitur ergo hanc simplicem prædicandi rationem esse præstantissimam.

Vers. 6. *Sapientiam verò loquimur inter adultos: sapientiam autem non seculi hujus, neque principum seculi hujus: quæ evanescunt.*

Arg. 6. A comparatione Euangelii & sapientiæ humanæ; Quod Euangelium suam habeat propriam sapientiam, eloquentiam, & venustatem, in hoc simplici prædicationis genere, Judice quovis adulto, nec magis admittere possit humanæ sapientiæ ornatum, quam pulcherrimæ

rima facies admittit fucum; Servitium quidem humanæ sapientiæ postulat sapientia Euangelii in prædicaturis: non verò splendorem humanæ sapientiæ in prædicationibus.

Sapientiam] Comparatio autem sapientiæ Divinæ in simplicitate sermonis cum sapientia seculari octuplex est. Prima comparatio, perfecti *seu adulti* in DEI schola, qui sensus habent exercitatos, ad discernendum bonum & malum, hanc *sapientiam Euangelii* capiunt, admirantur, & magnificiunt! *Humanam autem illam*, suspiciunt, & admirantur soli reliqui, nempe rerum divinarum, vel prorsus ignari, vel rudiores, & imperfecti νεοφύτοι.

Non seculi] Comparitio 2. *Humana sapientia* est hujus tantùm seculi, seu temporaria, *sapientia vero Euangelii* est futuri seculi, seu sempiterna.

Principum] Comparatio 3. *Sapientia humana* est hominum, qui licet in mundo pro principibus habeantur, cum sapientia sua pereunt tamen & abolentur.

Vers. 7. *Sed loquimur sapientiam Dei* latentem *in mysterio*, id est, *occultam illam, quam præfinierat Deus ante secula, in gloriam nostram*:

Altera pars comparationis; *Euangelii vero sapientia*, est sapientia *Dei viventis*, & æterni DEI dicitur, quia à DEO sapienter excogitatum est Euangelium, & quia in eo revelatur sapientia DEI admiranda, de hominum salute, & redemptione.

In mysterio] Comparatio 4. *Humana* Philosophia communis & obvia est cuivis naturæ dotibus prædito, *Euangelii verò* sapientia, est mysterium seu sapientia abscondita, quia non ratione naturali, sicut humana Philosophia, sed revelatione supernaturali scitur.

Ante secula] Comparatio 5. In antiquitate, *Sapientia Euangelii*, non est heri nata, sed ante secula ab æterno à DEO præfinita; *humana* Philosophia verò est nuperum inventum Philosophorum, & nondum perfectum, seu finitum.

Gloriam] Comparatio 6. *Sapientia Euangelii* ad gloriam, & salutem pertinet, potissimùm nostram qui sub gratia vivimus; *sapientia vero humana*, cum hac comparata, non ad salutem, sed ad evanidam speculationem spectat.

Vers. 8.

Vers. 8. *Quam nemo principum seculi hujus cognovit: nam si cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Comparatio 7. Cum humana sapientiâ consistere potest ignorantia CHRISTI, cum Euangelii verò sapientia minime; Comparatio hæc, sensibili experientia confirmatur, quia primores Judæorum, & gubernatores Gentium, qui sapientiæ nomine, principatum in mundo videbantur obtinere, nihil intellexerunt de sapientia Euangelii, quod probat à signo, quia si cognovissent quicquam de Euangelio, vel reverentiâ Numinis, vel metu absterriti cavissent, ne CHRISTUM DOMINUM gloriosum, ignominiosè crucifixissent.

Vers. 9. *Sed* prædicamus, *sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis à quibus ipse diligitur*

Comparatio 8. Confirmans, & illustrans quartam & sextam comparationem, *Philosophiæ humanæ* objectum, sensibus externis, & intellectu, seu lumine rationis naturali percipitur; sapientiæ verò in Euangelio explicatæ objectum, continens bona per CHRISTUM parta, in præsenti, & futuro seculo possidenda, nec sensibus externis, nec intellectu in sensibilibus fundato, seu discursu rationis ullo absque revelatione percipi potest; quia ejus notitia, (ut Isaias dicit, *cap. 64. vers. 4.*) in cor hominis naturaliter ascendere non potest. Ex omnibus hujus comparationis membris, exsurgit Arg. 6. Sapientia Euangelii, quam pro concione simplex prædicandi ratio sola, optimè aperit, longè præstat omni sapientia seculari, quam solam peritia dicendi usurpata pro concione aperit, idque cum sapientiæ Euangelii obscuratione: Ergo simplex illa prædicandi ratio, longè præstantissima est. Summa est, Simplex oratio ostendit auditori profunditatem sapientiæ Divinæ. Peritia dicendi verò ostendit quam eruditus sit in seculari sapientia prædicator.

Vers. 10. *Nobis autem Deus* ea *revelavit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.*

Hanc doctrinam illustrat solutione duarum objectionum: Prima objectio: unde ergo vos scitis Euangelium? Respondet ex Spiritus revelatione per fidem, à nobis cognosci Euangelii subjectum, quod confirmat à fine, & proprietatibus donati nobis Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus, quasi scrutinio facto, accuratè novit omnia, etiam arcana DEI, & revelat hæc nobis mysteria.

Vers. 11.

Vers. 11. *Quis enim hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui est in eo? ita etiam ea quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei.*

Hanc Spiritus proprietatem, probat à pari, sicut Spiritus hominis, optimè nosse potest ea quæ sunt in homine, sic Spiritus Dei, solus novisse potest, profunda consilia Dei, & per consequens ea revelare.

Vers. 12. *Nos verò non Spiritum mundi accepimus: sed spiritum qui* est *ex Deo: ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus:*

Objectio secunda: At si solus Spiritus novit quid vobis cum Spiritu? Respondet, Spiritum datum esse nobis fidelibus, non Spiritum illum communem mundo, non eloquentiæ donum, seu secularis sapientiæ, sed Spiritum seu donum spiritualis gratiæ ad hoc, ut sciamus dona illa Spiritualia (id est) Christum cum ipsius beneficiis, nobis à Deo gratis donata.

Vers. 13. *Quæ etiam loquimur, non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualia, cum iis quæ spiritualia sunt conferentes.*

Arg. 7. A praxi Apostolicâ confirmatum, Spiritualia tradi debent (si praxis Apostolorum est imitanda) non humanæ sapientiæ depictis sermonibus, sed spirituali stylo, seu sermone quem docet Spiritus sanctus. Ergo hæc prædicandi ratio est præstantissima. Ornari non vult *electiùs* res hæc, contenta *est* doceri; qui loquitur, inquit Petrus, loquatur ut eloquia Dei, hoc est, utatur oratione piâ, reverendâ, sanctâ, loquens de rebus divinis, ut Dei eloquia decet.

Spiritualia] Hoc argumentum confirmans, annectit argumentum octavum, quia rebus spiritualibus, & hominibus spiritualibus, seu Dei Spiritu præditis, aptari debet, & conjungi stilus, modusque dicendi spiritualis, argumentis spiritualibus ex Scriptura petitis utens; quod non fiet, si induatur Euangelii prædicatio, coloribus Rhetoricis, & Philosophicis sententiis depicto sermone: Istiusmodi enim oratio tam dedecet Euangelium, quam chlamys, seu purpura Herodis, dedecebat Christum: Ergo hæc ratio prædicandi est præstantissima.

Vers. 14. *Animalis autem homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.*

Hanc doctrinam illustrat, obviam eundo objectioni; Diceret aliquis, non posse

non posse ab humana ratione admitti, hanc Apostoli doctrinam; remo enim est, qui non existimet stultitiam esse, res præclarissimas & spirituales, non (quam fieri posset) ornatissimo, & elegantissimo dicendi genere, proponere Respondet, distinguendo homines in animales, & spirituales, vel eundem hominem, in animalem & spiritualem, qui *animalis* dicitur, quatenus in meris naturalibus consideratur, seu quatenus in actu aliquo particulari, spiritu destitutus, ex intelligentia carnis judicat de rebus Divinis, adeoque de spirituali modo prædicandi: *Spiritualis* verò dicitur, quatenus mente & affectibus renovatus, spiritus dictamen audit. De priori, *id est*, animali irregenito, seu quovis quatenus irregenitus est, concedit quod objicitur, causas indicans, cur nec capere, nec approbare possit hanc doctrinam, neque ullam aliam rem spiritualem: Causæ autem tres sunt; Prima, quia sunt ei stultitia fatua, & ridicula, etiam ea quæ sunt ipsissima sapientia DEI. 2. Quia quâ talis est, ob luminis defectum, & inimicitias naturalis sapientiæ adversus DEUM, non potest spiritualia capere. 3. Quia spiritualia dijudicantur tantùm spiritualiter, id est, spirituali lumine, & spiritu intus actu monstrante objectum, quibus animalis homo destituitur. Tanta enim in nobis est mentis cæcitas, hallucinatio, perversitas & ineptitudo ad spiritualia, ut nisi regeniti & actu à SPIRITU sancto in singulis illuminati, nihil in spiritualibus dijudicemus.

Vers. 15. *At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse verò à nemine dijudicatur.*

Altera pars distinctionis, Spiritualis autem homo, in quantum spiritualis est, omnes res DEI (scilicet de quibus sermo est) novit, & spiritualem seu salutarem modum tractandi mysteria DEI pro concione discernit, & agnoscit suâ quisque mensurâ: ipse verò in spirituali suo statu, & actionibus spiritualibus, à nemine qui spiritualis non est, vel quatenus spiritualis non est, discerni poterit, vel pro spirituali haberi.

Vers. 16. *Quis enim novit mentem Domini, qui instructurus sit eum? nos autem mentem Christi habemus.*

Mutuatâ ab *Isa.* 40. 13. sententiâ, probat responsionem datam; Quia nemo novit consilium DEI, præter eos quibus SPIRITUM suum DEUS dedit: Ideoque nemo *animalis*, de mysteriis salutis, & spirituali modo tractandi DEI mysteria, judicare potest, sed soli spirituales, quatenus mentem CHRISTI, sibi per CHRISTI Spiritum revelatum habent: quales erant Apostoli, reliquique Fideles, suâ quisque mensurâ.

Caput tertium.

AD superiora argumenta, humilem in docendo stilum probantia, superaddit unum, vers. 1. & 2. *& dilabitur ad correctionem schismatis, reliquo capite.*

Vers. 1. *EGo porrò, fratres, non potui loqui vobis ut spiritualibus, sed loquutus sum ut carnalibus,* id est, *ut infantibus in Christo.*

Vers. 2. *Lactis potu vos alui, & non esca: nondum enim poteratis* id ferre: *imò ne nunc quidem adhuc potestis.*

Argumentum est à necessitate auditorum, inter quos reperiuntur rudiores, quibus sublimitas rerùm spiritualium, non solùm simplicitate sermonis condienda & attemperanda est, sed etiam ad familiarem & rudiorem loquendi modum dimittenda: quod experientiâ suâ, & Corinthiorum exemplo confirmat: inter quos ut inter carnales admodùm, & infantes in CHRISTO, coactus sit Apostolus, de virili loquendi genere remittere, & ut cum pueris, de rebus divinis balbutire: Quapropter faciliori doctrinâ, & familiari stylo eos, ut lacte pueros, alebat.

Non enim] Rationes facti sui reddit tres: *Prima* est, quia perfectiorem doctrinam, aut perfectiorem docendi modum, seu cibum duriorem non poteratis tum ferre.

Sed nec] Ratio 2. Quia nec adhuc, dum ista scriberet, capere poterant.

Vers. 3. *Nam adhuc carnales estis, quum enim inter vos* sint *livor & contentio & dissidia, nònne carnales estis, & secundùm hominem incedítis?*

Ratio 3. Quia carnales estis, secundùm quid scilicet, & comparativè ad spiritualium perfectionem, ad quam aspirare debebant. Id ut probet, dilabitur, ad corripiendum schisma quod inter eos vigebat; Primò in genere, quia inter ipsos conspici poterant opera carnis, æmulatio præpostera, & ex æmulatione contentiones, & ex contentionibus divisiones, seu schismata, quod erat secundum vias hominis irregeniti, & carnalis, ambulare.

Vers. 4 *Etenim quum dicit aliquis, Ego quidem sum Pauli, alter verò, Ego* sum *Apollo, nonne carnales estis?*

Deinde in specie probat Corinthios esse carnales, & propius taxat schisma, quia

ma, quia certos sibi seligebant doctores, à quorum alio denominari voluit alius, ab alio verò alius; Interim vetat ne schisma foveant de doctoribus suis, propositis argumentis quatuordecim, quæ omnia probant schisma quo laborabant non esse fovendum, nec à doctoribus nec à populo.

Nonne] Argumentum primum: Hæc de doctoribus contentio, arguit vos carnales esse: Ergo schisma non fovendum.

Vers. 5. *Quis igitur Paulus, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit?*

Arg. 2. Præstantissimi Apostoli, vel Euangelistæ, nedum pastores vestri ordinarii (quorum nominibus parcit) sunt tantùm ministri conversionis & fidei vestræ. Ergo non sunt tanti faciendi, ut ab iis denominationes sumatis, & propter eos in factiones scindamini: Ergo schisma hoc non fovendum ampliùs.

Vers. 6. *Ego plantavi, Apollos rigavit: sed Deus dedit crescendi vim.*

Vers. 7. *Itaque neque is qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed Deus qui dat crescendi vim.*

Arg 3. Ipsorum Apostolorum, & Euangelistarum ministerium, & opera, sive in conversione, sive in ædificatione conversorum, non magis prodest, nisi DEUS benedixerit, quam plantatio aut irrigatio hortulani prodesse poterit, DEO incrementum non largiente: Ergo tantus honor ut gloriemini de doctoribus, non hominibus, sed DEO tribuendus.

Vers. 8. *Is vero qui plantat, & is qui rigat, unum sunt: unusquisque vero suam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

Arg. 4. Doctores omnes officio, laboribus, & scopo, *unum* esse debent, Ergo nec per eos, nec propter eos, scindenda est Ecclesia.

Mercedem] Arg. 5. unusquisque accipiet mercedem, secundum laborem suum. Ergo doctoribus incumbit, ut potius attendant operi suo, & mercedi reportandæ, quam factionibus fovendis.

Vers. 9 *Etenim Dei sumus administri: Dei arvum, Dei ædificium estis.*

Arg. 6 Doctores omnes esse debent operarii cum DEO, ejusque administri. Ergo non debent schismata per eos, aut propter eos fieri.

Arvum] Arg. 7. Qui ex DEI populo sunt, ut arvum, aut ædificium, arctè

ùm arctè inter se uniti. DOMINO inservire debent. Ergo non debent à se invicem scindi in partes.

Vers. 10. *Secundùm gratiam Dei quæ data est mihi, ut peritus architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Porro quisque videat quomodo superædificet.*

Arg. 8. Sub admonitionis forma propositum, quo acrius pungat ambitiosos doctores, schismatis authores, qui certabant Philosophiæ, & eloquentiæ ostentatione, quisque sibi discipulos parare: Argumentum hoc est, Prope est periculum, ne dum singuli ordinarii doctores, ambitioni suæ serviunt, aliquod genus doctrinæ superstruant fundamento Apostolicæ doctrinæ, quod cum fundamento non congruat. Ergo schisma hoc non est fovendum.

Vers. 11. *Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.*

Rationem reddit, cur ad solos ordinarios doctores, admonitionem de superstruendo dirigat, quia summa salutaris doctrinæ de CHRISTO IESU, tanquam fundamentum firmum, & unicum, ab Apostolis positum est, à quo fundamento, nec ordinariis doctoribus, nec extraordinariis liceat discedere.

Vers. 12. *Quod si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam:*

Comparat ergo doctrinam Euangelii ædificio, Apostolos architectis, fundamenta omnis salutaris doctrinæ ponentibus: reliquos post se doctores fabris murariis, fundamento ab Apostolis posito superstruentibus: quorum alii doceant solidam doctrinam, & quoàd veritatem, & quoàd spiritualem tractandi modum, fundamento consentaneam: alii verò sententias, & flores Philosophorum, & sapientiam verborum, prædicationi suæ inferciant, quasi lignum, stipulam, fœnum, materiam non solidam, nec ad salutem tendentem ædificantes.

Vers. 13. *Cujusque opus manifestum fiet: dies enim declarabit: quia per ignem retegetur: & cujusque opus quale sit ignis probabit.*

Ut hic periculum esse cognoscerent, probationem fore laborum uniuscujusque, in prædicando prædicit (non minus exactam, quam illa est aurifabrorum, in probandis metallis per ignem) in die scilicet illo novissimo saltem, quo DEUS judicaturus est, de omnium & personis & factis.

Vers. 14.

Vers. 14 *Si cujus opus manserit, quod superædificaverit, mercedem accipiet:*

Quo saltem die, quicunque superstruxerat doctrinam solidam, pretiosam, fundamento congruentem, fidelitatis mercedem, secundùm DEI promissiones, reportaturus est.

Vers. 15. *Si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet: ipse vero servabitur, ita tamen ut per ignem.*

Si quis verò speculationes Philosophicas, humanæ sapientiæ fœnum, & eloquentiæ verbosæ stipulam, prædicationibus suis admiscuerit, vel quodcunque aliud commentum suum addiderit, quod divini judicii sententiam ferre non poterit, jacturam faciet laborum suorum; ipse verò prædicator servabitur, sed tanquam per ignem, id est, modo igneam, seu accuratam probationem DEI, sustinere poterit, qua sinceros ab hypocritis tam accuratè secernet, quam ignis scoriam à metallo purgat: Summa est, Ipse prædicator servabitur si sincerus, alioqui in fide CHRISTI compertus fuerit.

Vers. 16. *An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis?*

Arg. 9. Doctores pariter & auditores attingens, quia cum sciant se esse DEI templum, turpe esset Ecclesiam seu Templum DEI schismate violare, aut polluere, etiam ipsorum conscientiâ teste: Ergo schisma hoc non amplius fovendum, nisi Spiritui DEI inhabitanti injuriam facere vellent.

Vers. 17. *Si quis templum Dei violat, hunc perdet Deus: nam templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

Arg. 10. A pernitioso effectu: Periculum est, ne DEUS vos, vanitatibus vestris, & dissensionibus, ipsius Templum polluentes, destruat. Ergo schisma hoc amplius non est fovendum.

Vers. 18. *Nullus seipsum seducat: si quis sibi videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat, ut fiat sapiens.*

Arg. 11. Per occupationem propositum; videmini vobis in hoc schismate fovendo, sapientes, verum ἀυθαδεια vestra, vos decipit, hæc causa est schismatis, ideoque cavenda; ut caveatur schisma, cavendi modum præscribit, qui hic est, ut qui humana sapientiâ, pollere sibi videtur renunciet vanæ opinioni de sapientia sua, & tradat se in obedientiam DEI, euangelizandi

euangelizandi simplicitatem sequens, quæ simplicitas licet stultitia videatur hominibus, sola tamen sapientes potest reddere.

Vers. 19. *Sapientia enim mundi hujus, stultitia est apud Deum: scriptum est enim, Carpit sapientes in versutia ipsorum.*

Vers. 20. *Et rursum, Dominus novit cogitationes sapientum esse vanas.*

Confirmat consilium datum, à Judicio Dei, de carnali sapientia, quod Deus habeat eam pro stultitia, maximè quando carnalis sapientia rejicit Dei instituta, & eorum simplicitatem despicit: quod probat Scripturarum testimonio, primum est Jobi. 5. 13. Cujus sensus est; utcunque vafri homines sibi & mundo, videntur sapientes hujus mundi, Deus tamen ipsorum artes ita eludit, ut eas in retia vertat, ut suis consiliis pereant, potius quam alienis; atque ita eos stultitiæ convincit. Alterum testimonium est, Psal. 94. 11. In quo Deus pronunciat vanas esse cogitationes sapientum, qui humana tantùm sapiunt, nam quæ ad beatitudinem suam putant conferre maximè, ea conferunt minimè.

Vers. 21. *Itaque nullus glorietur in hominibus; omnia namque vestra sunt:*

Vers. 22. *Et Paulus, & Apollos, & Cephas: & mundus, & vita, & mors, & præsentia, & futura, omnia inquam, vestra sunt:*

Arg. 12. Quo schisma reprehendit per dehortationem propositum; Quia schisma, & studium partium de Doctoribus, est impia gloriatio in hominibus: Ergo, schisma hoc non amplius fovendum: Gloriabantur in Doctoribus, quando illis nimiùm tribuentes, pendebant ab iis, ipsosque, fidei suæ quasi Dominos faciebant, cum debuissent à Deo solo pendere, qui per Ministros loquitur, quando, & quantum, vult.

Omnia] Hanc dehortationem confirmans, addit Arg. 13. Quia omnes vestri Doctores, minimi maximique, etiam ipsi Apostoli, & omnia quæ sunt in mundo, præsentia & futura, vita & mors, & quæcunque alia recitari possunt, ut fidelium saluti promovendæ, inserviant, à Deo destinata sunt: Ergo, non debetis propter doctorum vestrorum inanem gloriam, vos in partes scindere, aut in Doctoribus vestris gloriari, quasi Doctorum essetis peculium.

Vers. 23. *Vos autem Christi, Christus, verò Dei.*

Arg. 14. Et ultimum, versu ult; quo Doctores, pariter & populum, & dona,

& dona, & dignitatem omnium, ad fontem revocans, in ordinem redigit, ut a CHRISTO, & DEO solo pendeant, denominentur, & in eo glorientur: quia scilicet, ut noster est mundus, & omnia in mundo, tanquam ad bonum nostrum destinata, sic nos sumus CHRISTI, ab eo redempti, ut essemus ei peculium; CHRISTUS verò, consideratus personaliter, est DEI, ut Filius Patris dilectissimus, in opere redemptionis ad omne officium Mediatoris se humilians, idque in gloriam DEI essentialiter considerati. Cui sit gloria. Amen.

Caput quartum.

Sicut inter Corinthos, magni fiebant doctores gloriosi, à suis sectatoribus, ita parvi fiebant Apostoli, aliique fideles Dei Ministri, quasi cum disertis illis eloquentiæ Magistris, sive donis, sive prosperitatis splendore, nequaquam essent conferendi; hoc judicium, corrigendum docet Apostolus, & schisma amplius non fovendum.

Capitis duæ sunt partes. In prima, pravum hoc ipsorum judicium corrigit, ad vers. 14 *In secunda reprehensionem totam de schismate claudit, ad finem. Correctionis temerarii judicii ipsorum de Apostolo, ipsiusque comitibus, & aliis fidelibus Ministris* CHRISTI, *& iniquæ comparationis, horum cum suis doctoribus, Argumenta sunt novem, quæ probant iniquam comparationem Ministrorum Euangelii inter se cavendam esse, nec temerarium judicium, ex donis, de quovis ferendum esse.*

Vers. 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.*

Argumentum primum, Similitudine ab œconomis sumpta propositum: Nos, quos despectui habetis, etiam si DOMINI fidei vestræ non simus; sumus tamen Ministri CHRISTI, ex quorum manu, thesaurum salutis, & panem vitæ, accipere oportet; Ergo cavenda hæc iniqua doctorum ex donis comparatio.

Vers. 2. *Quod superest autem illud requiritur in dispensatoribus, ut quisque fidus reperiatur.*

Arg. 2.

Arg. 2. Id quod commendat Ministrum Euangelii, non est donorum excellentia, sed in donorum, & mysterii salutis dispensatione fidelitas, cujus Deus solus est æquus æstimator. Ergo, cavenda hæc iniqua doctorum ex donis, comparatio.

Vers. 3. *Mihi verò pro minimo est quòd à vobis dijudicer, aut ab humano judicio: imo nec ipse me dijudico.*

Arg. 3. Quia neque vobis, neque hominum ulli, neque mihi ipsi Paulo competit judicium, de meo valore, aut dignitate: Cavenda Ergo hæc iniqua Doctorum comparatio: nam si Paulus non potuit statuere in quo gradu dignitatis ipse esset ponendus, temerarii erant Corinthii, qui de ipsius, & reliquorum Doctorum dignitate, pronunciabant.

Vers. 4. *In nullo enim mihi conscius sum: sed non per hoc justificatus sum: Dominus autem is est qui me dijudicat.*

Arg. 4. Confirmans superius; ego Apostolus, etiam si non sim mihi conscius malè administrati officii, non audeo tamen sententiam ferre, ad mei absolutionem, vel de dignitate mea pronunciare cum aliorum injuria, sed totum hoc judicium relinquo Deo soli: Ergo, cavenda hæc iniqua doctorum ex donis comparatio.

Vers. 5. *Proinde ne ante tempus præstitutum judicis partes assumite: id est, usquedum venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: ac tunc laus erit unicuique à Deo.*

Arg. 5. Dehortationis forma propositum; judicium, maxime, vero comparativum, de hominum dignitate, non est tempestivum, ante Domini adventum. Cavenda ergo hæc iniqua Doctorum ex donis comparatio.

Consilia] Arg. 6. Confirmans etiam superius; Secretæ cordium intentiones, & abdita hominum consilia in Ministerio, non patefient, ante diem Judicii, nec de hominum excellentia, judicari poterit ab ullo homine, sed à solo Deo, qui laudem, & vituperium, pro dignitate, singulis eo die distribuet: Cavenda ergo iniqua doctorum ex donis comparatio.

Vers. 6. *Hæc autem, fratres, figura quadam transtuli ad meipsum & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, supra id quod scriptum est non sapere, ut ne alius pro alio inflemini adversus alium.*

Arg. 7.

Argument. 7. Non licet donorum excellentissimorum nomine, qualia sunt in me Paulo Apostolo, & Apollo Euangelista, quenquam Ministrum extollere, supra id quod scriptum est versu primo hujus capitis, id est, supra dignitatem œconomi evehere, & multò minùs, ex pravo judicio Doctores fideles deprimere, respectu hujus vel illius doctoris deamati. Cavenda igitur hæc iniqua doctorum ex donis comparatio: Hujus argumenti vim ut ostendat, aperit prudentiæ suæ in hoc negotio artificium, nempe, quod celatis nominibus ambitiosorum doctorum, rem totam transtulerit ad nomen suum & Apollo, eo ipso fine, ut discerent Corinthii in horum persona, qui extraordinariis donis, & dignitate excellebant, modestè de omnibus ministris sentire, & non superbire, cujusvis doctoris nomine, adversus quenquam, ut ab ullo denominationem sumerent.

Vers. 7. *Quis enim te* ab aliis *discernit? quid autem habes quod non receperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non receperis?*

Arg. 8, Deus discernit unum ab alio, plus minusve donorum pro voluntate sua, tribuens huic vel illi, nemo verò seipsum discernit: cum igitur quicquid donorum habeat unusquisque à Deo acceperit, gloriari & superbire de accepto non debet, sed modestè de se & aliis sentire. Cavenda ergo hæc iniqua doctorum ex donis comparatio.

Vers. 8. *Iam saturati estis, jam ditati estis, absque nobis regnum adepti estis: atque utinam sanè regnum adepti sitis, ut & nos simul vobiscum regnemus.*

Arg 9 Hæc iniqua hominum comparatio, conjunctam habet ἀυθαδειαν stolidam: Cavenda ergo hæc iniqua doctorum ex donis comparatio. Gravissimâ Ironiâ perstringit Apostolus hanc ἀυθαδειαν: Quia Corinthii sibi non minùs placebant in donis communibus, & prosperitate mundana, quam si donorum plenitudinem nacti essent, quam si plenâ felicitate, & regno potiti fuissent, degentes in pacata rerum prosperarum fruitione, immemores crucis Christi, & segregati à miseriis, in quibus hærebat Apostolus: Hanc vanitatem ita taxat, ut optet illis felicitatem quam somniabant se habere: ut ipsorum felicitas consolationem afferret Apostolis, qui in afflictionibus multis jacebant.

Vers. 9. *Deus enim, puto, nos ultimos Apostolos spectandos*

 proposuit,

proposuit, ut morti addictos. Nam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.

Exponit afflictiones suas, & Barnabæ, qui Apostolorum ultimi vocantur, quia post ascensionem CHRISTI vocati, & ad Gentes, speciali mandato, missi erant, (ut est *Act.* 13. 2. & 14. 14) ostendens ipsos in conspectum omnium esse productos a DEO, ut cum omnis generis molestiis, conflictarentur.

Vers. 10. *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem validi: vos glorioſi, nos ignominioſi.*

Deinde, comparat suas ærumnas, cum ipsorum prosperitate, & iniquam opinionem ipsorum de seipsis & Apostolo, ostendit in tribus: 1. In *sapientia*; nos pro stultis habemur, & à mundo, & forsan à vobis, quod nos in tanta pericula, propter CHRISTUM conjiciamus; vos videmini vobis & aliis sapientes, quod & Euangelio & rebus prosperis fruamini: 2. In *potentia*, nos infirmi apparemus, ærumnis fracti scilicet; vos videmini validi, & potentes, extra pugnam & teli jactum constitui: 3. In *honore*; vos gloria, & authoritate splendetis; nos interim ut ignominiosi, & à vobis & ab aliis despicimur.

Vers. 11. *Ad hoc usque tempus & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus:*

Vers. 12. *Et laboramus, operantes propriis manibus: convitiis affecti, bene precamur: si qui nos persequantur, sufferimus.*

Vers. 13. *Maledictis affecti precamur tanquam purgamenta mundi facti sumus, & tanquam omnium ramentum usque adhuc.*

Alias species ærumnarum suarum recensет, expositi, inquit, sumus penuriæ & injuriis, *vers.* 11. non nostra culpâ inopes, quia manibus laboramus; non nostro merito injurias patientes; tantùm enim absumus ab injuriis, verbo vel facto cuiquam inferendis, ut contra pro malo bonum reponamus, cum patientia, *vers.* 12, 13.

Vers. 14. *Non ut vos pudore suffundam hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admoneo.*

Altera parte Capitis, claudit totam de schismate reprehensionem, primum hortatione ad obedientiam, & imitationem sui, ad *vers.* 18. Secundo, interminatione severioris disciplinæ, nisi admoniti resipiscant:

Quod

Quod ad primum attinet, quatuor affert argumenta, quæ ad obedientiam persuadeant.

Argumentum primum, In occupatione objectionis proponitur, Non pudefaciendi vos, sed monendi causa, hæc scripsi: Ergo obedite mihi.

Filios] Arg. 2. Vos habeo & diligo ut filios: Ergo boni consulentes meam admonitionem, obedite mihi.

Vers. 15. *Nam etsi decem millia pædagogorum habeatis in Christo, at non multos patres* habetis: *in Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui.*

Vers. 16. *Precor vos igitur imitatores mei estote.*

Arg. 3. Speciali modo, comparatione facta cum aliis doctoribus, Pater vobis sum, quia per meum ministerium conversi estis; obedite igitur mihi, & imitamini meos mores, potiùs quam ambitiosorum doctorum. Ego enim CHRISTI sum minister in vestri regeneratione, non doctores illi ambitiosi, qui maximùm pædagogi sunt, patres non sunt.

Vers. 17. *Propterea misi vobis Timotheum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam revocabit quæ sint viæ meæ in Christo, sicut ubique in omnibus Ecclesiis doceo.*

Arg. 4. Eo fine misi Timotheum ad vos, ut imitationem mei faciliorem vobis redderem; obedite mihi, & imitamini me igitur, in quibus præluceo omnibus Ecclesiis, pro ratione Apostolatus mei, in doctrina & vitæ sanctitate.

Vers. 18. *Caterùm perinde quasi ego non sim venturus ad vos, inflati sunt quidam.*

Vers. 19. *Sed veniam citò ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam non verba illorum inflatorum, sed virtutem.*

Quod ad alteram conclusionis partem attinet; Quia aliqui inter eos superbiebant, spe impunitatis, quasi Apostolus ad eos non fuisset venturus,

Minatur 1. se venturum: 2. probaturum, utrum in illis doctoribus sit vis illa Spiritus DEI, an mera verbosa eloquentia, sine evidentia Spiritus.

Vers. 20. *Non enim in verbis* situm est *regnum Dei, sed in* spiritus *potentia.*

Rationem dat cur eloquentiam meram, aut humanæ sapientiæ ostentatione

ationem nihili sit facturus, quia regnum CHRISTI, & salus hominum seu ædificatio, non promovetur verbis, seu verborum sapientia, sed virtute DEI.

Vers. 21. *Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & Spirita lenitatis?*

Denique, ne schisma foverent Corinthii ulli, sive doctores sive discipuli eorum sectatores, optionem facit illis, utrum velint ipsum accedere, ad ipsorum correctionem, cum authoritate censurarum Ecclesiasticarum, quod futurum erat, si studia partium, & schisma foverent amplius: an potius velint ipsum ad ipsorum consolationem venire, in spiritu dilectionis & mansuetudinis, quod futurum erat, si resipiscerent.

Atque ita transitum sibi facit ad excommunicationem incestuosi.

Caput quintum.

Articulus Secundus de incestuoso excommunicando.

NE vanam putarent comminationem, de qua sub finem superioris Capitis, incestuosum, qui novercam habebat ut uxorem, excommunicari jubet, undecim plus minus in eum finem, propositis argumentis.

Vers. 1. *OMnino auditur esse inter vos scortatio, & ejusmodi scortatio, quæ ne inter Gentes quidem nominatur, adeò ut quis uxorem patris habeat.*

Argumentum primum, Quia incestuosus ille, est notorio scelere pollutus, de quo ne Gentes quidem, sine detestatione loquerentur: excommunicandus igitur.

Vers. 2. *Et vos inflati estis, ac non potius luxistis, ut tolleretur è medio vestri qui facinus hoc patravit.*

Arg. 2. Cum reprehensione Corinthiorum conjunctum; Quia vos jampridem

jampridem lugere flagitium & flagitiosum excommunicare debuisse tis, non vero flagitium excusare, extenuare, in materiam risus convertere, & quasi de facto inflati, gloriari.

Vers. 3. *Enimverò ego ut absens corpore, præsens autem spiritu, jam ut præsens judicavi, ut is qui hoc ita perpetravit.*

Vers. 4. *Vobis & meo Spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi,*

Vers. 5. *Ejusmodi* inquam homo *tradatur Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit die illo Domini Iesu.*

Arg. 3. Quia jam præter ordinariam Potestatem, quam habetis in Senatu Ecclesiastico scilicet, per hanc Epistolam, etiam extraordinariâ potestate ad ipsum excommunicandum armati & obligati estis: siquidem meam Apostoli absentis, quasi præsens essem, mentem seu Spiritum, judicium, sententiam, & authoritatem de flagitioso isto habetis: Ergo in legitimo conventu Ecclesiastico, Apostolico hoc scripto, (in quo mei Apostoli Spiritus, seu mens, seu sententia continetur) & Christi authoritate, (cujus nomine, censuræ Ecclesiæ exercendæ sunt) muniti, istiusmodi flagitiosum Satanæ tradite, seu excommunitate. *Satanæ tradendum* dicit, quia qui per excommunicationem honore Sanctorum Ecclesiastico quoad externam hominis conditionem dejectus, & ex Ecclesia ejectus est, idem etiam, quoad externam hominis conditionem, in Satanæ regno, servitio, & potestate esse declaratur. Civem enim esse etiam in externa Ecclesia (quæ Regnum Dei dicitur) honor est insignior quam extra Ecclesiam regnare. Qui igitur excommunicatur, Capitis diminutionem patitur maximam de statu, honore, existimatione cadit, & in subditis Diaboli censetur.

Exitium carnis] Arg. 4. A fine excommunicationis, quasi per occupationem objectionis propositum: quia excommunicatio, est medium resipiscentiæ, & salutis; siquidem hâc censurâ carnis superbia mortificari poterit, & nova creatura servari in die judicij. Excommunicandus est ergo.

Vers. 6. *Non est bona gloriatio vestra. An nescitis paululò fermenti totam massam fermentari?*

Arg. 5. Ne contagione tanti sceleris inficiatur & deformetur tota Ecclesia, sicut modico fermento fermentatur & acescit tota massa:

Excommuni-

Excommunicetur incestuosus ille, hoc argumentum repetitâ Corinthiorum reprehensione acuitur.

Vers. 7. *Expurgate igitur vetus fermentum, ut sitis nova massa, sicut estis fermenti expertes. Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est*, nempe *Christus*.

Arg. 6. Continua allegoriâ propositum, Quia non minori diligentiâ, purgânda est Ecclesia Christiana à scandalis, imò & corda Christianorum, ab omni veteris naturæ pravitate, quam olim sub lege Judæorum domicilia purgabantur, à fermento communi, ante paschæ immolatum. Ergo, excommunicandus incestuosus, *&c.*

Ut sitis] Arg. 7. A commodo; danda est opera ut sitis nova, & sancta incorporatio, sancta massa, seu ut comperiamini novæ creaturæ, actu & facto, sicut estis obligatione, & professione infermentati, seu sancti: Ergo excommunicandus est iste.

Pascha] Hoc argumentum confirmans addit octavum; Quia res significata paschatis, nempe Iesu Christi sacrificium, non minus obligat Christianos, ad officia, per festi celebrationem & ceremonias repræsentata, id est, ad curandum, ut sanctitas in nobis, & in Ecclesia vigeat, quam obligavit olim Judæos, ad ceremonias festi observandas, quibus typicus agnus paschalis immolatus proponebatur.

Vers. 8. *Itaque festum agitemus, non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitiæ: sed non fermentatis* panibus *sinceritatis & veritatis.*

Hinc infert quasi per conclusionem hortatoriam, Argumentum nonum, ut malitiâ & pravitate segregatâ, & à se ipsis, & ab Ecclesia; & per consequens, excommunicato illo incestuoso, cultui divino hilariter incumberent in veritate moralium officiorum, ut sic sanctè Deo servirent. Vis argumenti hæc est, Non poterimus vitam nostram sanctè & justè agere, sicut significatio Epuli agni paschalis typici à nobis exigit, nisi fermento veteris vitæ, & pravorum operum, ex nobisipsis, & ex domo Dei, seu Ecclesia, expurgato, sinceritati & veritati, in nobis & Ecclesia conservandæ studeamus. Excommunicandus igitur ille.

Vers. 9. *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini cum scortatoribus.*

Arg. 10. Quia per Epistolam, prius vetuerat eos, cum scortatoribus commercium

commercium habere, & per consequens intelligere poterant scortatores ab Ecclesia excommunicandos esse, & multò magis incestu pollutos: Ergo jam excommunicandus ille incestuosus.

Vers. 10. *At non omnino cum scortatoribus hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idololatris; alioquin debetis scilicet è mundo exire.*

Ne excusarent se, ostendit præceptum illud, non potuisse intelligi ab iis, de vitiosis hominibus, qui in mundo erant, seu extra Ecclesiam; quia sic præcepisset Apostolus impossibile; quoniam inter istiusmodi vitiosos necessariò erat ipsis vivendum, vel discedendum de mundo: vivebant enim Corinthi, cujus cives (quibuscum necessarium erat fidelibus commercium civile) maximà ex parte, manebant infideles.

Vers. 11. *Nunc autem scripsi vobis ne commisceamini*, id est, *si quis quum frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi*, inquam, *ne edatis quidem.*

Arg. 11. Si non satis hac in re instructi fuistis prius, saltem jam tenetis mentem meam, quam ex hac Epistola audivistis, non edendum cum professore, seu fratre scortatore, & per consequens, excommunicandum esse illum fratrem, qui vitiorum ab Ecclesia convictus, manet vitiosus, nec resipiscit: Ergo jam incestuosum excommunicandum esse multò magis colligere debetis.

Vers. 12. *Quid enim mea* interest *etiam de extraneis judicare? nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis?*

Vers. 13. *De extraneis verò Deus judicat, tollite igitur istum sceleratum ex vobismetipsis.*

Alia ratio expositionis datæ, & Argumentum 12. ad excommunicandum incestuosum urgens, quia ex eo quod in eos qui extra Ecclesiam sunt, nec Apostolus, nec Ecclesia, sed solus Deus jus habeat judicandi, seu censuras Ecclesiasticas exercendi, Colligere debuerant ad seipsos pertinere judicium de Ecclesiæ membris, Ergo incestuosus ille improbus per excommunicationem tollendus ex ipsis erat, qui scopus est totius Capitis.

Caput

Caput sextum.

Articulus tertius & quartus de forensi contentione, & fornicatione vitanda.

HOC Capite tractantur tertius & quartus Epistolæ articulus, de vitanda litigatione coram tribunali infidelium, ad vers. 12. *& fornicatione vitanda, ad finem.*

Vers. 1. *SUstinet aliquis vestrûm, negotium habens adversus alterum, judicio experiri sub injustis, ac non sub sanctis:*

Non esse Christianis litigandum sub Ethnicis judicibus, probat undecim argumentis. Argumentum primum. Audax est & pudendum facinus, cum suppetunt sancti judices, sub infidelibus judicio experiri. Ergo non litigandum sub judicibus infidelibus.

Vers. 2. *An ignoratis sanctos mundum judicaturos? quod si per vos de mundo judicium feretur, indigni estis minimis judiciis?*

Arg 2. Sancti qui judicaturi sunt mundum, digni sunt multò magis de rebus hujus seculi judicare: Ergo non sub infidelibus litigandum.

Vers. 3. *An ignoratis fore ut Angelorum judices simus? nedum* ut *de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, judices non simus?*

Arg. 3. Sancti judicaturi sunt Angelos, nempe malos, in die judicii, & multò magis digni sunt qui de rebus temporalibus judicent: Non ergo sub infidelibus litigandum: dicuntur sancti, mundum & Angelos judicaturi, quia ipsi jam judicio absoluti, CHRISTO quasi assessores in judicio, sententiæ judicis in hostes DEI & Ecclesiæ acclamabunt.

Vers. 4 *Itaque si judicia habeatis de iis quæ ad hujus vitæ usum pertinent, eos qui vilissimi sunt in Ecclesia, eos* inquam *in subselliis collocate.*

Arg. 4. Potius constituendi sunt arbitri, qui minimi in Ecclesia æstimantur, quam ad infideles judices confugiendum. Ergo, *&c.*

Vers. 5. *Vobis ad verecundiam adducendis* hoc *dico. Itàne non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit judicium ferre inter fratres suos?*

Hoc arg.

Hoc argumentum corrigit, ostendendo se velle, non simpliciter arbitros inepissimos inter ipsos constitui, sed velle se hac comparativâ concessione, ab eo quod agebant, pudore ipsos avocare.

Itane] Arg. 5. Habetis inter vos sapientes, & tamen confugitis ad tribunalia profana, quasi desint inter vos viri sapientes, qui arbitri essent controversiarum: Ergo non amplius sic agendum.

Vers. 6. *Sed frater cum fratre judicio experitur, idque sub infidelibus.*

Arg. 6. Cum fratres sitis, non debetis inter vos judicio contendere: Ergo minimè sub infidelibus.

Vers. 7. *Jam igitur omnino defectus in vobis est quòd judicia habeatis inter vosmetipsos, quare non potiùs injuriam patimini? cur non potiùs damnum accipitis?*

Arg. 7. Lites & contentiones probant, & produnt vestram impotentiam, defectus & delictum: Ergo non litigandum præcipuè non sub infidelibus.

Quare] Arg. 8. Præstaret, actores injuriam sive damnum pati potiùs, quam cum scandalo litigare: Ergo non litigandum præcipuè non sub infidelibus.

Vers. 8. *At vos injuria afficitis, & fraudatis, idque fratres.*

Arg. 9. Actorum actio, inter vos, est cum injuria, & fraudatione fratrum conjuncta, scilicet quia actores vindictæ cupiditate, superbiâ, & avaritiâ laborant: Ergo litigatio injusta est, & maximè sub infidelibus.

Vers. 9. *An ignoratis injustos non esse Dei hæreditatem possessuros? Ne erretis: neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum masculis.*

Vers. 10. *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt.*

Arg. 10. Hæ injustæ litigationes sicut reliquæ species, iniquitatis & abominandæ impuritatis, quæ hìc recensentur, à regno Cœlorum homines arcebunt: Ergo non litigandum.

Vers. 11. *Et hæc eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri.*

Arg. 11. & ultimum; Cum vos Corinthii, omnibus his aut pluribus aut saltem aliquo ex his vitiis prædictis, olim fœdati fueritis, & nunc quantùm licet ex charitate de vobis judicare, remissionem peccatorum sitis consecuti & sanctificati per Spiritum, & justitiâ CHRISTI donati, Cavendum vobis est, (ex CHRISTI gratia & virtute hauctis viribus) ne in easdem sordes rursùm recidatis, sive lites injustas aliis movendo, sive alio quovis modo vos polluendo.

Vers. 12 *Omnia mihi licent, at non omnia conducunt: omnia mihi licent, at ego non redigar sub ullius rei potestatem.*

Altera pars Capitis, quartum Epistolæ articulum continens, de vitanda fornicatione simplici, quæ vocatur, quam Corinthii, sicut alii ex gentibus, pro re indifferenti habebant: Aggreditur reprehensionem, occupatione defensionis quam in parato habebant: dicerent Corinthii, Indifferentia omnia nobis licent; At sicut cibus, sic & scortatio est indifferens; Ergo nobis licet. Respondet primùm in genere, per limitationem majoris, licere scilicet omnia indifferentia, quatenus conducunt, & licere, modo ne intemperanti libertatis usu in servitium affectuum nostrorum redigamur: In illis enim & similibus casibus, peccatur in rerum indifferentium usu.

Vers. 13. *Esca ventri* destinatæ sunt, *& venter escis: Deus autem & hunc, & eas abolebit: corpus verò non scortationi, sed Domino, & Dominus corpori.*

Deinde ad minorem respondet specialiter; discrimen ostendens ciborum & fornicationis; de cibis concedens, quod sit licitum cibo quovis vesci, quia DEUS ad bonum naturæ ordinavit escas ventri, & ventrem escis, sed tamen temporariâ connexione; nam sicut escas, sic ventrem abolebit DEUS, quoad usum quem nunc habet venter, ita ut in gratiam gulæ, aut ventris non debeamus adducere æternam salutem nostram, aut aliorum in discrimen, edendo cum scandalo: Quod verò ad scortationem attinet, negat ullâ necessitate licitam esse, sicut cibus licitus est, sed simpliciter esse peccatum & fugiendum; idque probat sex argumentis:

Argumentum primum. Quia corpus non est conditum ad scortationem, aut ad scortationem ordinatum, sicut venter ad escas & escæ ad ventrem, sed ut sit membrum CHRISTI DOMINI, qui ordinatus est ut sit caput hominis, ad totum corpus regendum; ut sanctum conservetur; Ergo scortatio minimè licita est.

Vers. 14.

Vers. 14. *Deus autem & Dominum suscitavit, & nos suscitabit potentiâ suâ.*

Arg. 2. Corpora in resurrectione gloriosa sunt suscitanda, sicut suscitatum est CHRISTI corpus: Ergo non debent scortatione fœdari.

Vers. 15. *An ignoratis corpora vestra esse membra Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam* ut sint *scorti membra? Absit.*

Arg. 3. Fideles qui sunt membra CHRISTI, non sunt per fornicationem scorti membra facienda, quod argumentum interrogatione acuit. Ergo, &c.

Vers. 16. *An ignoratis eum qui agglutinatur scorto, unum esse corpus* cum scorto? *Erunt enim, inquit, qui duo* erant, *caro una.*

Ut hoc argumentum confirmet, probat primò ex analogia matrimonii, concubitum cum scorto, unam carnem facere scortantes; & per consequens scortantem, fieri partem seu membrum scorti: Ergo scortatio minimè licita.

Vers. 17. *Qui verò agglutinatur Domino, unus* cum eo *spiritus est.*

Deinde probat fideles esse membra CHRISTI, Quia fide juncti, seu agglutinati, sunt unum corpus mysticum cum CHRISTO, unum spirituale corpus, seu unus spiritus.

Vers. 18. *Fugite scortationem, omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in proprium corpus peccat.*

Thesin convertit in dehortationem, & addit Arg. 4. ex comparatione aliorum peccatorum: Alia peccata abutuntur objecto extrà posito, primò & principaliter, scortatio verò ipso corpore primò abutitur, dehonestatque corpus plusquam ullum aliud peccatum; Ergo scortatio illicita.

Vers. 19 *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti*, qui est *in vobis, quem habetis à Deo, neque vos esse vestri juris?*

Vers. 20. *Nam empti estis pretio? glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.*

Arg. 5. Corpora nostra sunt Templum SPIRITUS sancti, qui est in

nobis, à DEO nobis donatus: Ergo non sunt polluenda fornicatione.

Neque vos] Arg. 6. Fideles non sunt sui juris, sed pretio sanguinis CHRISTI empti: Ergo non tantum cavere debent ne se fornicatione polluant, sed etiam studere, ut sanctâ corporis & animæ conversatione DEUM redemptorem, cujus sunt peculium, glorificent.

Caput septimum.

Articulus Epistolæ quintus de casibus Matrimonialibus.

APostolus de casibus Matrimonialibus consultus à Corinthiis, hoc Capite respondet, ad quinque ipsorum quæsita.

Vers. 1. *CÆterùm de quibus mihi scripsistis, bonum fuerit viro mulierem non attingere.*

Vers. 2. *Sed propter fornicationes, suam quisque uxorem habeto, & propriam quæque virum habeto.*

Primum quæsitum, de viris qui in cælibatu aut viduitate degebant, an expediret ipsis uxorem ducere: rationes quærendi erant duæ, metus molestiarum, & metus pollutionis in matrimonio. Quod ad primam rationem attinet, memmerimus Corinthios jam in persecutionis periculo constitutos fuisse, licet jam prosperè agentes, plerique nihil metuerint; Respondet Apostolus, in tali casu constitutis, si nulla matrimonium contrahendi incumbat necessitas, bonum seu commodum esse non ducere uxorem: Sed ubi periculum peccandi ex incontinentia adesset, prospiciendum esse adversùs fornicationis, & peccati, potiùs quam molestiarum periculum; & matrimonium contrahendum.

Vers. 3. *Uxori vir debitam benevolentiam reddito: similiter autem & uxor viro.*

Quod ad scrupulum attinet, ne commercio matrimoniali inquinari conscientiam putaret quisquam, pronunciat non solum torum conjugalem immaculatum esse, sed etiam justo petenti conjugi concedi debere, additis quatuor rationibus.

Debitam]

Debitam] Prima ratio; Quia illa benevolentia debita est ex lege matrimonii.

Vers. 4 *Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor.*

Ratio 2. Quia ex pacto conjugali potestas & jus est marito, in corpus uxoris: & uxori in corpus mariti, ad vitandam scortationem præcipuè.

Vers. 5. *Ne fraudate alter alterum, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus, & rursum simul conveniatis, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*

Ratio 3. Quia alioqui sequeretur injusta fraudatio alterius partis, si commercium denegetur, absque ratione.

Ut vacetis] Hoc dictum limitat exceptione speciali, nisi cum ex consensu utriusque partis constitutum fuerit, ut ad tempus, jejunio & precibus vacarent.

Ne tentet] Ratio 4. Quia post tempus dictum, si negetur postulata benevolentia, periculum est, ne tentet Satanas ad adulterium partem fraudatam, propter ipsius incontinentiam.

Vers. 6. *Hoc autem dico ex concessione, non ex imperio.*

Vers. 7. *Nam velim omnes homines esse ut & ipse sum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita.*

Exponit hanc sententiam suam, de matrimonio contrahendo & conjugali commercio utendo, non esse præceptum universale. quasi juberet omnes matrimonium contrahere, sed concessionem seu permissionem tantùm universalem esse in casu incontinentiæ: simpliciter enim, si per DEI voluntatem fieri posset, Apostolus optaret Corinthiis qui quæstionem movebant, & continentiam & commoda cœlibatus, quæ DEUS, sibi largitus erat; sed quia unicuique non est datum continentiæ donum: concessisse se dicit, quæ concessit.

Vers. 8. *Dico autem cælibibus & viduis bonum esse eis, si sic manserint, ut & ego maneo.*

Vers. 9. *Quod si se non continent, matrimonium contrahant, nam melius est matrimonium contahere quàm uri.*

Hinc

Hinc summam dictorum colligit, ut planè respondeat iis qui in cœlibatu aut viduitate degebant, commodum esse & expedire, ut in eo statu maneant, si continere poterint; sin minus, ut matrimonium contrahant.

Nam melius] Rationem reddit, quia cavendum ipsis erat potiùs à libidinum ardoribus, qui peccato polluunt conscientias, quam à matrimonii molestiis etiam illis molestiis, quæ persecutionis tempore matrimonium sequuntur.

Vers. 10. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt denuntio, non ego, sed Dominus, Uxor à viro ne sese ipsa separato.*

Secundum quæsitum est de divortiis; ejus partes duæ sunt: prima est, de utroque conjuge fideli, an divortium facere Christianis conjugatis sit licitum, extra casum adulterii scilicet? Respondet nefas esse. Ut responsionem confirmet, negat se quicquam novi, seu ex revelatione speciali præcipere, sed præceptum vetus authoritate Domini repetere, qui in matrimonii institutione sanxit, ut conjugati una caro essent, & proinde illicitam esse separationem, aut divortium.

Vers. 11. *Quòd si sese separarit, maneat cælebs, aut viro reconciliator: & vir uxorem ne dimittito.*

Quod si verò uxor, (necessarias causas discedendi, ut periculum vitæ, vel simile quid prætendens) discesserit, jubet eam vel reconciliari marito, vel à matrimonio novo abstinere, & per consequens multò magis à scortatione sibi cavere: Idque præcipit, & in proteruiæ vel impatientiæ pœnam, & in sinceritatis probationem; ne hæc libertas in licentiam trahatur; Interim viro præcipit, ne vel dimittat uxorem, vel discedendi causam ei præbeat.

Vers. 12. *Reliquis autem ego dico, non Dominus, Si quis frater uxorem habet infidelem, quæ libens consentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito:*

Vers. 13. *Et uxor quæ habet virum infidelem, qui libens consentiat ad habitandum cum ea, ne eam dimittito.*

Altera pars quæsiti, quâ quæritur de conjugatis, quorum alter infidelis est, an divortium sit licitum? Ad hanc partem responsurum se dicit, ex specialis revelationis authoritate, Quia in lege à Deo non determinatum erat, quid *Christianis* in illo casu faciendum sit, hoc est, quod dicit, *non Dominus*, videlicet in lege veteri determinavit, *sed ego*, nempe

à Domino

à DOMINO ex speciali revelatione determinabo; primâ responsionis parte, vetat ne dimittatur pars infidelis, si ea manere cupit.

Vers. 14. *Maritus enim infidelis sanctificatus est in uxore; & uxor infidelis sanctificata est in viro: alioqui certè liberi vestri impuri essent: nunc autem sancti sunt.*

Rationes reddit quinque: Ratio prima; Quia infidelis persona sanctificatur, licet non in se, tamen in usum fidelis; conjugis licet non simpliciter, eousque tamen ut conjugium parti fideli, & liberis; procreatis sanctum sit. Ergo ne dimittatur conjunx infidelis manere cupiens.

Alioqui] Ratio 2. Confirmans priorem ab absurdo; Quia alioquî Christianorum liberi, in tali casu, non essent nati sub fœdere; non essent nati Christiani, & CHRISTO sanctitate consecrationis dicati; Cujus contrarium verum est: Ergo ne dimittatur conjunx infidelis manere cupiens.

Vers. 15. *At si infidelis sese separet, separatus esto, non est servituti subjectus, frater aut soror in hujusmodi* rebus: *sed ad pacem vocavit nos Deus.*

Priusquam reliquas rationes addat, alteram responsionis partem proponit; si pars infidelis cohabitare noluerit, & abierit; in hoc casu, pronunciat matrimonium solutum esse, & partem fidelem liberam esse.

Ad pacem] Ratio 3. Probans non dimittendam partem infidelem cohibitare volentem: Quia fideles vocantur ad pacem, cum omnibus colendam. Ergo si pars infidelis æquas pacis conditiones admittit, non dimittenda est.

Vers. 16. *Ecquid enim nosti uxor an sis virum servatura? aut ecquid nosti vir, an sis uxorem servaturus.*

Ratio 4. Quia per cohabitationem, infidelis potest lucrifieri.

Vers. 17. *Sed ut unicuique* donum *partitus est Deus, ut unumquemque vocavit Dominus, ita incedat: & ita in Ecclesiis omnibus constituo.*

Ratio 5. Quia singuli in qualibet conditione, vocatione honesta seu licita, in qua DEUS ipsos providentia sua constituit, manere debent: sicut in omnibus Ecclesiis docebat Apostolus: Ergo etiam in conjugio manendum cum infideli cohabitare volente: Nam cum matrimonium in Ethnicismo contractum fuisset, vocationem alterius ad gratiam JESU CHRISTI,

noluit

noluit Deus fraudi esse parti nondum conversæ. Eadem opera legem ponit Apostolus fidelibus servis, ne jugum excutiant infidelis heri, qui conversum ad fidem servum non cupiebat dimittere.

Vers. 18. *Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat* præputium, *in præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur.*

Vers. 19. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.*

Antecedens illustrat & confirmat inductione, primò, circumcisionis & Incircumcisionis, quarum neutra Christiano curanda erat, sed hoc unicuique spectandum erat tantùm ut in utroque statu, Dei præcepta moralia observarentur.

Vers. 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat.*

Hinc, quia in uno exèmplo inductionis plenitudo facilè apprehendi potuerat, infert generalem thesin, de manendo in eo vitæ statu, in quo Deus unumquemque vocaverat.

Vers. 21. *Servus vocatus es? ne sit tibi curæ: sed si potes etiam liber fieri, potiùs* eo *utere.*

Deinde addit aliud membrum inductionis, de servitute, In qua manendum monet, nisi Deus ad libertatem ostium aperiret.

Vers. 22. *Etenim qui in Domino vocatus est servus, libertus Domini est: similiter & qui liber vocatus est, servus est Christi.*

Rationem reddit: Quia servitus corporalis non diminuit de spirituali Christianorum libertate, a peccati reatu, & ira, nec corporalis libertas eximit à servitio Christi.

Vers. 23, *Pretio empti estis, ne efficite servi hominum.*

Obiter admonet, ut sive liberi sive servi sint corpore; caveant ne ex præcepto, seu voluntate hominum faciant quæ in se illicita sunt, quia illud esset, hominibus servire contra Christum, qui ipsos pretio emerat ut in omnibus, non hominum, sed redemptoris voluntatem facerent.

Vers. 24. *Unusquisque in quo vocatus fuit fratres, in hoc maneat apud Deum.*

Unde ne quis temere à vocatione discederet, denuò inculcat generale præceptum de manendo in præsenti vitæ statu & conditione apud Deum, id est, in obedientia Dei, donec ipsi visum esset ipsorum conditionem mutare.

Vers. 25.

Vers. 25. *De virginibus autem imperium Domini non habeo; sententiam verò meam* hac in re *dico, ut cui Dominus per misericordiam dederit fidum esse.*

Tertium quæsitum; de virginibus maribus & fœminis, matrimonium ne contraherent, an non? Ad quod responsurus præfatur nullum se habere præceptum speciale scilicet, quo vel præcipiatur, vel prohibeatur virginitatis status, sed fideliter daturum se consilium, & sententiam de commodo, ut decebat eum cui DOMINUS pro sua misericordia fidelem esse concesserat.

Vers. 26 *Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem, bonum hoc* inquam *esse homini ita esse.*

Vers. 27. *Alligatus es uxori? ne quære dissolutionem, solutus es ab uxore? ne quære uxorem.*

Responsionis partes sunt tres: *Prima*, In præsenti necessitate, seu persecutionis periculo, sicut conjugatos vetat, ne dimittant uxores suas, ita commodius esse dicit, si cœlibes vitam continuarent in cœlibatu, nempe si donum, ut supra dictum est, continentiæ habuerint.

Vers. 28. *Quòd si etiam duxeris uxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit: sed afflictionem in carne habituri sunt* qui sunt *hujusmodi. ego verò vobis parco.*

Altera pars responsionis in qua docet, matrimonii contractionem non esse peccatum, sed molestiis obnoxiam; de quibus molestiis non vult dissuadere amplius, ne dissuadere videatur à matrimonio plus quam tutum esset.

Vers. 29. *Hoc autem aio, fratres, quoniam opportunum tempus est angustum in posterum: ut & qui habent uxores, sint ut non habentes*

Vers. 30. *Et qui flent, ut non flentes: & qui gaudent, ut non gaudentes: & qui emunt, ut non obtinentes.*

Tertia responsionis pars, in qua præcipit ut sive matrimonium contraxerint, sive non, caveant sibi ne hujus vitæ brevis commodis vel incommodis, voluptatibus vel molestiis multùm moveantur, sed moderatè res prosperas, & adversas ferentes, se ad futuram vitam comparent, parati semper tristiora ferre, & lætiora relinquere, pro DEI voluntate, hoc enim est idem quasi uxorem non habeant, non fleant, &c. Cum conjugio

prudenter utentes, non impediuntur in cursu suo, ad regnum Cœlorum, sed expediti pergunt, per fletum & gaudium, per vitæ hujus commoda & incommoda, negotia omnia, & mutationes omnes.

Vers. 31. *Et qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes: præterit enim species hujus mundi.*

Hujus ratio redditur; Quia ut umbra evanida citò prætereunt & bona & mala hujus vitæ: Idcirco debemus rebus hujus vitæ uti, tanquam in transcursu; ita ut nos in cursu non retardent.

Vers. 32. *Velim autem vos absque solicitudine esse. Qui cælebs est, solicitus est de iis quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino:*

Vers. 33. *At qui duxit uxorem, solicitus est de iis quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori.*

Consilii de virginitate servanda duas dat rationes; Prima ratio, ut eximantur à solicitudine, quam metus persecutionis, & necessitatis præsentis, posset injicere conjugatis: Ratio 2. Quia cælebs vir commodiùs vacare possit rebus divinis, seu exercitiis religionis atendere, & DEO immeditatè placere; Conjugatus verò tenetur, & cogitur ex vocatione, rebus terrenis, & curis œconomicis tempus impendere: & sic uxori in licitis placere; quæ cura licet obedientia esse possit, ubi in DEI timore præstatur, non tamen tam immediata est obedientia, & DEO propinqua, quam illa quæ in exercitiis religionis posita est.

Vers. 34. *Discretæ sunt, ea quæ est uxor, & ea quæ est virgo: quæ est cælebs, solicita est de iis quæ sunt Domini, ut sit sancta cum corpore, tum spiritu: quæ verò nupta est, solicita est de iis quæ sunt mundi, quomodo placitura sit viro,*

Idem discrimen esse indicat, inter statum virginum & nuptarum; Quod virgo possit cum paucioribus avocamentis, & minori difficultate, sacris exercitiis, corpore & animo, quasi sanctior vacare, quia non habet familiam pro qua solicita sit: Hæc *sanctitas* dicitur non ut opponitur peccato, sed ut opponitur *civili* seu communi; quomodo ministerium Euangelii sanctiùs vocari potest, aliquâ vocatione civili: uxor verò, curis œconomicis, & studio placendi marito suo, distrahi solet, nec tam liberè sacris exercitiis vacare potest.

Vers. 35.

Vers. 35. *Hoc autem dico vestro commodo : non ut laqueum vobis injiciam, sed ut decenter & aptè adhæreſcatis Domino, absque ulla distractione.*

Totum hoc consilium exponit Apostolus, quod tendat horsum tantùm, ut convenientiùs & commodius, decenter & apte compositi, sine distractione attendant DEUM in exercitiis religionis, si donum continentiæ habuerint, non ut laqueum injiciat necessitatis, abstinendi à matrimonio, si donum continentiæ non habuerint.

Vers. 36. *Cæterùm si quis sese existimat aliquid indecorum in virginem suam committere, si florem ætatis excedat, & ita debet fieri : quod vult faciat, non peccat : jungantur matrimonio.*

Quartum quæsitum ; de parentum officio, in quorum potestate sunt filiæ nubiles, utrum consultum sit, filias suas virgines nuptum dare an non ? Responsionis duæ sunt partes, Prima ex suppositione triplici : 1. Si quis filiam suam, supra quam expediret, à nubendo se detinuisse suspicetur : 2. Si filia florem ætatis excesserit, id est, annum vicesimum attigerit, & ὑπέρακμος quasi dicas superadulta esse inceperit. 3. Si videat, ad nuptias, animum virginis inclinantem, sequatur voluntatem virginis & suam : jungantur matrimonio filia & gener, quem pater delegerit, non peccat parens in eo.

Vers. 37. *Qui verò perstat firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde suo, ut servet suam virginem, benè facit.*

Altera pars responsionis, ex suppositione etiam triplici : 1. Si parens persuasum habeat se nullâ injuriâ filiam affecisse, à matrimonio eam retinens : 2. Si filia donum continentiæ habeat, & nulla necessitas ab ipsa patris voluntatem movere possit, ut ei maritum quærat, ita ut statuere possit parens de filia, sicut ipsi lubet : 3. Si decrevit filiam suam in cælibatu retinere ; bene inquit, statuit, id est, in filiæ suæ commodum.

Vers. 38 *Itaque qui dat nuptum, benè facit, qui verò non dat nuptum, melius facit.*

Unde concludit in primo casu parentem benè facere, seu ad filiæ utilitatem : in altero verò casu, parentem melius facere, seu magis consulere filiæ suæ commodo ; interim pronunciat neutrum peccare.

Vers. 39. *Uxor alligata est lege quandiu vivit vir ipsius: quòd si obdormierit vir ipsius, libera est ad cui velit nubendum: tantùm in Domino.*

Quæsitum quintum: an secundæ nuptiæ viduarum fœminarum licitæ sint an non? Responsionis duæ sunt partes: 1. Licere ait cum limitatione, modo pio affectu fiant nuptiæ, & cum persona fideli, & cui per DEI legem nubere licet; hoc enim est *in Domino* nubere, ita nubere ut DEI benedictio expectari possit.

Vers. 40. *Sed beatior est si ita maneat, secundùm meam sententiam: videor autem mihi, & ego Spiritum Dei habere.*

Secundò respondet, etiamsi liceat, non tamen expedire plerunque, præsertim in persecutionis periculo, seu necessitate præsenti; quia beatior erit si manserit vidua, id est, tranquilliùs vivet, & molestiis carebit, quas secundæ nuptiæ ipsi essent creaturæ.

Hoc consilium de commoditate, divinum esse modestè insinuans, validissimè asserit, ad commoditatem certissimè facere; plus enim dicitur quam si sine μειωσει hoc dixisset.

Caput octavum.

Articulus sextus de Idolothytis vitandis.

Equitur sextus Epistolæ articulus, de Idolothytis, vitandis, Capitibus 8, 9, 10.

Vers. 1. *Cæterùm de iis quæ idolis immolantur, scimus nos omnes notitiâ esse præditos, Notitia inflat, charitas verò ædificat.*

Disputatio quæ hoc capite continetur constat solutione trium objectionum: unde apparet non licere simpliciter Idolothytis vesci.

Prima objectio; Satis instructi sumus scientiâ, de licito Idolothytorum usu; Ergo de iis licite possumus edere. Respondet, concessione, & correctione, in hunc sensum, etiamsi quis sciat libertatem suam in idolothytis utendis, non sufficit scientia nuda, nisi in usu & praxi cum charitate

tate jungatur: Quia scientia sine charitate inflat, & superbos fratrum despectores sciolos reddit: cum charitate verò conjuncta ædificat, id est, accommodat se in bonum aliorum.

Vers. 2. *Quòd siquis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam novit sicut oportet nosse.*

Vers. 3. *Sed siquis diligit Deum, hic cognitus fuit ab eo.*

Dictum explicat, distinctione scientis cum superbia, & scientis cum charitate DEI & proximi: Ille, qui scientiam habet cum superbia junctam, quia inflatur vana opinione suæ scientiæ, solidè nihil scit: hic verò, qui scientiam cum dilectione junctam habet, sicut à DEO edoctus est, ita à DEO approbatur ut verè sciens.

Vers. 4. *De esu igitur eorum quæ idolis immolantur, scimus idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi unum.*

Secunda objectio; Scimus idolum sive externum sive internum nihil habere divinitatis, quæ ab Idololatris ei inesse putatur, aut in eo repræsentari fingitur: scimus etiam quod non sit DEUS ullus præter unum: Ergo quum à figmentis hominum non possint nobis pollui DEI creaturæ, idolothytis licet vesci.

Vers. 5. *Nam etiamsi sint qui dicantur Dii, & in cælo & in terra (sicut sunt dij multi, & Domini multi.)*

Vers. 6 *Nobis tamen unus est Deus Pater ille, à quo omnia, & nos in ipso: & unus Dominus Iesus Christus: per quem omnia, & nos per ipsum.*

Respondet primò per concessionem & confirmationem antecedentis ab objicientibus positi, Quod etiamsi verbis & opinione hominum sint, & vocentur dii cœlestes & terrestres, & Domini multi, unus tamen est DEUS & Dominus, nempe pater, (quo nomine ducimur ad reliquas personas, Filium videlicet & Spiritum sanctum, qui sunt unus DEUS, principium omnium creaturarum *à quo*, & finis omnium *ad quem*, potissimùm respectu nostri, qui fideles & in illius gloriam consecrati sumus) & unus MEDIATOR IESUS CHRISTUS, idem cum patre DEUS, per quem ut per verbum Patris omnia creata sunt, & nos fideles per eum, scilicet redempti, qui ideo DOMINUS dicitur, & creationis, & redemptionis nomine.

Vers. 7. *Sed non in omnibus est ea cognitio, nonnulli enim cum*

cum conscientia idoli usque ad hoc tempus, ut idolis immolatum edunt: & conscientia eorum, infirma quum sit, inquinatur.

Secundò respondet per limitationem; Negando hanc scientiæ mensuram esse in omnibus conversis, quia aliqui veterem opinionem de Idolis nondum planè deposuerunt, sed reverentiâ quadam Idoli tanguntur, dum Idolothyta edunt, & sic polluuntur conscientiæ infirmæ, dubitantes an recte faciant: idcirco Idolothytis non licet vesci simpliciter.

Vers. 8. *Cæterùm esca nos non commendat Deo: neque enim si edamus, amplius habemus: neque si non edamus, minus habemus.*

Tertia objectio; At ciborum comestio est in indifferentibus, & extra religionem positis, in quibus libertas nobis datur; siquidem DEO non minus placemus edentes, quam non edentes; nam perinde est ad salutem, sive edamus hunc cibum, sive alium: Ergo libertas hìc nobis non est auferenda.

Vers. 9. *Sed videte ne quo istud quod vobis licitum est, impingendi causa fiat infirmis.*

Respondet verum quidem hoc esse, extra casum scandali, peccare tamen eum, qui libertate utitur cum infirmi fratris offendiculo.

Vers. 10 *Etenim si quis viderit te, illa cognitione præditum, in idoleio accumbere, nonne conscientia ipsius qui infirmus est, instruetur ad edendum ea quæ sunt idolis mactata?*

Hoc probat quatuor rationibus: Prima, quia in præsuppositio casu, infirmus animatur, & malè instruitur exemplo edentis in idoleio cum scientia sine charitate, ad polluendum se idolothytorum esu: Ergo non licet simpliciter idolothytis vesci.

Vers. 11. *Et tua ista cognitione frater ille infirmus propter quem Christus est mortuus, peribit?*

Ratio 2. Quia tali facto destruitur is pro quo mortuus est CHRISTUS, quantum scilicet per operis intentionem & procurationem comedentium fieri potest: Ergo, non licet simpliciter idolothytis vesci.

Vers. 12 *Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.*

Ratio 3 Quia tali facto peccatur non in fratres tantùm, quorum conscientia vulneratur, sed etiam adversus CHRISTUM; quia factum tendit eo ut

eo, ut fruſtetur CHRISTUS ſine mortis ſuæ, quatenus ſcilicet quem CHRISTUS redemit ut ſervetur, edens cum ſcandalo operam dat, quantum in ipſo eſt, ut perdatur: Ergo, &c.

Verſ. 13. *Quapropter ſi eſca offendiculo eſt fratri meo, non edam carnes in æternum, ne ſim offendiculo fratri meo.*

Ratio 4. Quia ſatiùs eſt privari libertate edendi carnes in perpetuum, quam edere cum ſcandalo; quod oſtendit Apoſtolus in voti ſui exemplo: Ergo, &c.

Caput nonum.

PErgit de Idolothytis agere; exemplum ſuum proponebat ſub finem ſuperioris capitis: hortatur hoc capite ab exemplo ſuo, ut ſibi temperent in uſu libertatis ſuæ, potiſſimùm in illis quæ gulam ſpectabant, & nominatim in idolothytorum eſu: Argumenti ſumma hæc eſt, Ego Apoſtolus non minus liber quam quiſquam alius, non ſolùm abſtineo à licitis & commodis, ſed etiam me omnium accommodo infirmitatibus, imo meipſum macero continentiâ in bonum Euangelii, ſimiliter ergo & vos facite. *Antecedens habetur, ad verſ.* 23. *conſequens eſt hortatio, ad finem.*

Verſ. 1. *NOnne ſum Apoſtolus? nonne ſum liber? Nònne Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? nonne opus meum vos eſtis in Domino?*

Verſ. 2. *Si aliis non ſum Apoſtolus at certè vobis ſum, nam ſigillum apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.*

Verſ. 3. *Mea defenſio apud eos qui in me inquirunt hæc eſt,*

Antecedens per partes proſequitur; & primum, non poſtremum ſibi deberi locum in libertate Chriſtiana, probat tribus rationibus. 1. Quia Apoſtolus erat: 2. Quia aſpectu DOMINI honoratus, & immediate vocatus erat: 3. Quia in Teſtimonium Apoſtolatus habebat Corinthiorum converſionem, *verſ.* 1. qui fructus, tanquam figillum, Apoſtolatum confirmaret, ſaltem apud Corinthios, *verſ.* 2. & defenſionem Apoſtolo, ſaltem apud Corinthios, ſuppeditaret adverſus eos, qui Apoſtolatum ejus in dubium vocarent, *verſ.* 3.

Verſ. 4.

Vers. 4. *Annon licet nobis edere & bibere?*

Vers. 5. *Annon licet nobis sororem uxorem circumducere, ut & reliquis Apostolis & fratribus Domini, & Cephæ?*

Vers. 6. *An soli mihi & Barnabæ non licet non operari?*

Deinde hanc suam libertatem applicat, Primùm ad esculenta & poculenta, quibus liberè uti poterat, si quisquam, *vers.* 4. Secundò, ad matrimonium contrahendum, ejusque beneficio utendum; quod probat ab exemplo aliorum Apostolorum, *vers.* 5. Tertiò, ad abstinendum à laboribus manuariis; & per consequens, ad stipendium exigendum ab Ecclesiis; quod suum jus probat septem argumentis: Argumentum primum, ab exemplo aliorum Apostolorum, & Ministrorum; Aliis Apostolis licet. Ergo mihi & Barnabæ licet.

Vers. 7. *Quis militat propriis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit?*

Arg. 2. A jure Gentium, in exemplo triplici propositum, militum, vinitorum, & pastorum; Milites, vinitores, & pastores pecudum, aluntur ex fructu laborum, in munere quisque suo. Ergo & nos Ministri Euangelii ali debemus ex fructu laborum nostrorum in Euangelio.

Vers. 8. *Num secundùm hominem hæc dico? nonne etiam Lex hæc dicit?*

Vers. 9. *Nam in Mosis Lege scriptum est, Non obligabis os bovi trituranti, num boves curæ sunt Deo?*

Vers. 10. *An hoc propter nos omnino dicit? propter nos enim hoc scriptum est, nam sub spe debet is qui arat, arare: & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse.*

Arg. 3. A testimonio legis, de pabulo bovi trituranti dando: quod ostendit dictum esse, in gratiam omnium laborantium in aliorum usum, potissimùm in ministerio. Bos triturans alitur ex frumento quod pedibus excutit: Ergo omnes laborantes, arantes, triturantes, & per consequens laborantes in Euangelio, ali debent ex fructu laborum suorum. Nam si qui arat, & triturat sub spe præmii, particeps est sperati præmii, quidni etiam laborantes in Euangelio participes sint fructus laborum suorum?

Vers. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos vestra carnalia messuerimus.*

Arg. 4.

Arg. 4. A regula justitiæ; Si nos ministravimus vobis spiritualia, vicem vix rependitis cum nobis ministratis temporalia.

Vers. 12. *Si alij sui in vos juris sunt compotes*, an *non potiùs nos? atqui non usi sumus jure isto quod nobis licebat: sed omnia tegimus, ne interrumpamus Euangelium Christi.*

Arg. 5. A pari exemplo doctorum, qui Corinthi tum prædicabant, quorum exemplum in jure allegat, sed in facto negat se secutum, ut Euangelii commodum promoveret, Doctores illi vestri vestris sumptibus aluntur. Ergo æquum est ut nos quoque alamur, etiamsi decretum sit jure nostro non uti.

Vers. 13 *An nescitis eos qui sacris operantur*, ea quæ *ex sacrario* sunt *edere? & qui altari assident, cum altari participare.*

Arg. 6. Ab exemplo Levitarum, quibus pro ministerio dabatur alimonia, & sacrificiorum portio: vivebant ex altari Levitæ, Ergo ex Euangelio vivere debemus nos Ministri Euangelii.

Vers. 14. *Ita & Dominus constituit iis qui Euangelium annuntiant? ut ex Euangelio vivant.*

Arg 7. Christus mandatum dedit de sustinendis, ab Ecclesia Euangelii Ministris: Ergo ex Euangelio vivere debemus.

Vers. 15 *Ego tamen nullo istorum jam usus: Neque vero hæc scripsi ut ita fiat in me, nam bonum est mihi mori potiùs quam ut gloriationem meam aliquis inanem reddat.*

Jus suum asseruit; Jam moderationem suam, & abstinentiam à libertatis prædictæ usu proponit, Primùm in stipendii negotio, & simul constans propositum suum de abstinendo in futuro ostendit: à quo proposito, priusquam cum detrimento Euangelii divertatur, inediâ mori malle se dicit; cujus rationem reddit à fine, ut gloriari possit adversus calumniantes, qui dicerent fortè Apostolum stipendii causâ docere.

Vers. 16 *Etenim si euangelizem, non est quòd glorier: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est nisi euangelizem.*

Exponit gloriationem hanc non esse in merâ Euangelii prædicatione, quia ad eam, necessitate officii & mandati, & metu iræ Dei nisi prædicaret, adigebatur.

Vers. 17 *Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo: sin invitus, dispensatio credita est mihi.*

Prædicatio (inquit) mea, si voluntaria fuerit, mercedem habitura est, sin invita verò, à me tamen esset obeunda, propter dispensationem mihi impositam ex DEI mandato, eaque sine gloria voluntariæ meæ prædicationis futura esset, si invitus prædicarem, sicut illis accidit, qui non ex amore DEI, & studio convertendarum animarum, sed turpis lucri vel ambitionis suæ gratia, ministerium exercent.

Vers. 18. *Quæ igitur mihi est merces? ut euangelizando gratuitum constituam Euangelium Christi, ut ne abutar jure meo in Euangelio.*

Nunc verò pro mercede abstinentiæ seu stipendii loco, dicit se habere gloriandi materiam, adversus calumniatores, quod ministraverit Euangelium Corinthiis, sine ipsorum sumptibus; Cui subnectit rationem aliam, ne si stipendium exegisset illic, ubi calumniatores insidias struebant ipsius famæ, quasi lucri causâ prædicasset, tunc abusus fuisset sua libertate.

Vers. 19. *Nam quamvis liber sim ab omnibus, omnibus meipsum servum feci, ut plures lucrifaciam.*

Libertatis suæ moderationem extendit ad totum genus rerum mediarum, in quibus non sibi, sed aliis servivit, ut eos lucrifaceret.

Vers. 20. *Et factus sum Judæis ut Judæus, ut Judæos lucrifacerem: iis qui sub Lege sunt, ut si* essem *sub Lege, ut eos qui sub Lege sunt lucrifacerem.*

Id explicat particulatim in tribus; Primum, Quod Judæis, ceremoniali jugo, (ut illi putabant) ligatis se accommodaverit, ceremonias Mosaicas, pro loco & tempore observans, ut res requirebat, quasi fuisset sub jugo ceremoniarum. Idque faciebat ex sententia Synodi Hierosolymitanæ, quæ Judæis sub jugo natis, ex quibus fuit Apostolus, liberum usum Ceremoniarum, ad tempus relinquebat: Gentibus verò minimè, *Act.* 21. 21. 25.

Vers. 21. *Exlegibus ut exlex,* (non tamen *ut exlex Deo, sed sublex Christo*) *ut lucrifacerem exleges.*

Secundum est, quod gentibus quæ sine illa lege erant, se accommodans à ceremoniis abstinuerit, ut à lege solutus: Legem exponit interim se intelligere non moralem, seu dilectionis, quæ est DEI & CHRISTI perpetua Lex, à qua non potuit solvi, sed Legem ceremonialem,

nialem à qua reipsa solvebatur, ut libere in commodum Euangelii ceremoniis uteretur, vel abstineret.

Vers. 22 *Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos servarem.*

Tertium, Quod dubitantibus de libertate se accommodaverit, abstinens scilicet à licitis, sicut illi abstinebant : Denique in omnibus rebus mediis, se omnibus accommodans, tres ob causas : Prima, ut lucrifaceret quam posset plurimos, vel saltem aliquos.

Vers. 23. *Hoc autem facio propter Euangelium, ut consors ejus fiam.*

Secunda causa, Ut Euangelii doctrina melius audiret apud omnes, per ipsius moderationem. Tertia causa, ut serviens Euangelii commodis, ipse servaretur, particeps factus Euangelii cum aliis credentibus.

Vers. 24. *An ignoratis eos qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed unum accipere præmium? sic currite ut comprehendatis.*

Hactenus exemplum suum proposuit, tanquam antecedens argumenti, sequitur exempli vis, seu consequens, seu conclusio hortatoria, scilicet, ut Corinthii, temperantiæ studeant, & ne ita indulgeant gulæ, ut Idolothyta comedant, cum scandalo : Hunc in finem currendum illis in stadio Christiano ostendit, in quo currentes secundum D E I leges omnes (non unus tantùm ut in ipsorum ludis usu veniebat,) coronandi erant.

Vers. 25. *Porrò quisquis certat, in omnibus est continens. Illi quidem itaque ut corruptibilem coronam accipiant,* sunt continentes : *nos autem, ut incorruptam.*

Et quomodo istud fiat ostendit, nempe, si exemplo certantium in ludis illis nobilibus, (sive cursu, sive pugillatu, &c.) prope Corinthum celebrari solitis, gulæ & voluptatibus non indulserint, sed in omnibus continentes fuerint, omnia tolerantes, quibus corona victrix obtineri posset. In ludis Isthmicis seu Corinthiacis, Cursores & athletæ solebant temperantissimâ victus ratione servatâ, ad certamina se præparare, sicut nunc parantur equi ad currendum : victores in his ludis, lauro vel hedera coronabantur, vel simile aliquod præmium reportabant : Similiter Apostolus vult Christianos, moderatissimè uti rebus hujus seculi, & ab omnibus,

quæ cursum Christianum remorari, pugnamve impedire possent abstinere, idque ut incorruptibilem, id est, æternam coronam, (in Cœlo repositam iis qui bene certaverint, & cursum consummaverint,) assequantur: Argumenta hortationis adjicit tria: Argumentum primum: Quia nobilior corona, quam corruptibilis illa ludentium in gymnasticis illis ludis vobis athletis Christianis expectanda est, Ergo & vos etiam sic currite ut comprehendatis.

Vers. 26. *Ego igitur ita curro, ut non in incertum: ita pugilem ago ut non aerem cædens.*

Vers. 27. *Sed contundo corpus meum, & in servitutem redigo: ne quo modo, quum aliis prædicarim, ipse rejectaneus fiam.*

Arg. 2. Ab exemplo sui ipsius currentis, & pugilem agentis, & adversarium ferientis, certò, & seriò; Ego corpus peccati seu veterem hominem & carnis appetitus seriò contundo ut mactentur, & ut serviat corpus propriè dictum Spiritui meo disciplinæ spiritualis vi cogo. Idem ergo & vos facite. Sic enim Apostolus nutrivit corpus propriè dictum, ut laboribus, vigiliis, & jejuniis in officio ipsum continuerit, ne adversus SPIRITUM lasciviret; corpus verò peccati (quantùm poterat) destruebat.

Ne quo] Arg. 3. A fine, Ego contundo corpus peccati, seu veterem hominem, ne si aliter viverem, quam præcipio aliis vivendum, rejectaneus essem, seu ex numero Sanctorum tanquam hypocrita expungendus essem. Ergo idem vos facite quod ego, & in eundem finem.

Non opponit hic Apostolus Reprobum *electo*, sed *probato*, nam sicut Scriptura vocat reprobum argentum, quod verum & genuinum non est, & probatum quod syncerum: Sic Apostolus reprobum, seu rejectaneum vocat, qui professioni non respondet, qui sincerus non est, vel qui talem se experientiâ non ostendit, qualem esse oportebat. Si fingeremus eum hic *reprobum* absolutè sumere, nihil attendendum nobis esset, præter connexionis necessitatem inter vitam profanam (si præsupponatur perpetuata in finem) & reprobationem; nam quicunque in peccatis moritur reprobus demonstratur. Absurdum enim est, & scriptis Apostoli nostri minime consentaneum, affirmare, quod Apostolus de electione sua dubitaverit, vel mutabile existimaverit decretum electionis suæ: Contra enim quia persuasum habebat, se & electum & regenitum fuisse, persuasionis suæ documentum, & demonstrationem dare statuebat in vitæ sanctitate, studiosè

dioſè cavens ne malè vivendo, vel hypocriſeos ſigna in ſe oſtenderet; nedum reprobationis.

Caput decimum.

HActenus *de Idolothytis ex conceſſione, quaſi eſſent indifferentia, diſputavit: Hoc Capite, Idolothytorum uſum duplicem ſtatuit, alterum publicum in Idoleio, & ſimpliciter illicitum, ad* verſ. 23. *Alterum privatum in privatis ædibus, quem extra caſum ſcandali, licitum facit, ſed in caſu ſcandali, illicitum pronunciat, & ab eo dehortatur, ad finem. Quod ad publicum illum idolothytorum eſum in idoleio, ab eo diſſuadet, quinque argumentis.*

Verſ. 1. *NOlim autem vos ignorare fratres, Patres noſtros omnes ſub illa nube fuiſſe, & omnes per mare tranſiviſſe.*

Verſ. 2. *Et omnes in Moſen baptizatos eſſe, nube & mari.*

Argumentum primum: Periculum eſt ne incidatis in ea peccata & pœnas, in quæ inciderunt Iſraelitæ, ſi Idolothyta concupiſcere & Idololatricis conviviis intereſſe pergatis. Ergo Idolothytis, in Idoleio non eſt veſcendum.

Ut paritas exempli Iſraelitarum appareat; oſtendit privilegia paria habuiſſe eos nobiſcum: quia Iſraelitæ patres fuerunt noſtri? non Judæorum tantùm, ſed etiam Chriſtianorum inter Gentes, ſcilicet in veræ religionis profeſſione, & propagatione ad nos ipſorum poſteros: nam quemadmodum Patres ſolent dici, qui antiquis temporibus, cum certa aliqua ad nos propagandæ religionis relatione, vixerunt: ſic Iſraelitas vocat patres noſtros, quia præceſſerunt in ejuſdem religionis, in ejuſdem fœderis, & in Sacramentorum analogorum participatione. Nam ſub nube & mari, quæ capitibus ipſorum immineb nt, ambulantes, quaſi nobiſcum baptizabantur in Moſis doctrinam, & profeſſionem externam ſalutis, per Meſſiam obtinendæ.

Verſ. 3 *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe.*

Verſ. 4. *Et omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe Bibebant enim ex ſequente ſpirituali Petra: Petra verò illa erat Chriſtus.*

Verſ. 3

Vers. 5. *Sed pleroſque illorum non habuit gratos Deus: proſtratæ ſunt enim in deſerto.*

Eâdem etiam quaſi cœna DOMINI nobiſcum participabant, edentes manna & bibentes de petra, ſeu aquis ex petra fluentibus, quæ ſequebantur caſtra Iſraelitarum (quæ dicuntur ſpiritualis cibus, & potus, quia ſignificationem ſpiritualem habebant, eandem CHRISTI gratiam figurantia, quam cœna DOMINI) & tamen, quia DEO diſplicebant multi ex iis Iſraelitis perierunt in deſerto.

Vers. 6. *Hæc autem typi noſtri fuerunt, ut ne concupiſcamus res malas, ſicut illi concupiverunt.*

Deinde, peccata enumerat propter quæ plagas & mortem illis in exemplum poſteritatis inflixit DEUS: à quibus peccatis Apoſtolus dehortatur Corinthios, ne etiam pereant; & primò in genere hortatur, ne concupiſcant res malas, ſicut illi, id eſt, ne indulgeant carnalibus ſuis cupiditatibus, ſicut veteres illi Iſraelitæ, qui cupiditatibus ſuis abripiebantur extra metas à DEO poſitas.

Vers. 7. *Ne igitur idololatræ fiatis ſicut quidam eorum, ut ſcriptum eſt, Sedit populus ad edendum ac bibendum: & ſurrexerunt ad ludendum.*

Vers. 8. *Neque ſcortemur, ſicut quidam eorum ſcortati ſunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.*

Vers. 9 *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentarunt, & à ſerpentibus perierunt.*

Vers. 10. *Neque murmurate, ſicut etiam quidam eorum murmurarunt, & perierunt à diſperditore.*

2. In ſpecie monet, ne ſint Idololatræ, vel ſcortatores, vel tentatores CHRISTI (periculum facientes de CHRISTI veritate, & juſtitia, idque modis illicitis) vel murmuratores adverſus DEI providentiam, ſicut de Iſraelitis teſtatur Scriptura. Hujus dehortationis ſenſus hic eſt; Ne interſitis conviviis Idolatricis, in honorem Idoli cujuſvis agitatis, ne idem patiamini quod Iſraelitæ, in honorem vituli aurei ſacrificantes, quibus gulæ & luſui indulgere, pro religione erat, *verſ* 7. Ne abripiamini ſtudio placendi Idololatris, ut in eorum gratiam, miſceamini cum iis, in conviviis Idololatricis, ne etiam tradat vos DEUS cupiditatibus cordium veſtrorum, ut cum animarum pollutione, fœdetis

deris etiam corpora vestra fornicationibus, & adulteriis, & sic pereatis cum Israelitis illis, *vers.* 8. Ne tentetis CHRISTUM, abutentes ejus cognitione, & libertatem Christianam prætexentes vestris cupiditatibus, quod nihil est aliud, quam CHRISTUM ad certamen provocare: Sicut Israelitæ in deserto, provocarunt Angelum fœderis, seu CHRISTUM, qui iis præibat in deserto, & a serpentibus perierunt, *vers.* 9. Denique ne murmuretis, quod non liceat vobis per religionem Christianam, amicorum vestrorum Idololatricis conviviis in Idoleio interesse, ne cum Israelitis murmurantibus pereatis, *vers.* 10.

Vers. 11. *Hæc autem omnia typicè evenerunt eis: scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt.*

Vers. 12. *Itaque qui* sibi *videtur stare, videat ne cadat.*

Horum exemplorum usum, postquam ostendit pertinere ad omnes viventes, reliquosque qui victuri erant, indicat periculum incidendi in eadem peccata, & easdem pœnas, si idololatricis conviviis sese immiscuerint; Vellicans interim inanem confidentiam eorum, qui non metuebant periculum, sed Idolothytis, in idoleio, securè vescebantur.

Vers. 13. *Tentatio vos non cepit, nisi humana: fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari supra* id *quod potestis, sed unà cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis sufferre.*

Occurrit objectioni, à metu malorum, quæ ipsis imminebant, ab Idololatris concivibus suis, si tantopere ab eorum consortio abhorrerent, ut nollent ipsorum conviviis religiosis publicis interesse. Respondet tentationem illam non alius generis esse, quam quæ ordinaria sit hominibus, à qua poterint sibi exitum sperare, propter DEI fidelitatem qui non permittet, ut supra modum tententur, qui studeant se ab impuritate conservare, maximè in casu confessionis; sed cum tentatione, liberationis modum à periculo, vel à peccato saltem ostendere solet, ne succumbant. Ex præcedentibus, à vers. 1. sequitur: Ergo Idolothytis non vescendum in idoleio.

Vers. 14 *Quapropter dilecti mihi, fugite ab idololatria.*

Arg. 2. Dehortationis ab Idolothytis in idoleio. Idololatria conjuncta est cum publico idolothytorum esu, à qua idololatria fugere debetis: Ergo, Idolothytis in Idoleio non vescendum.

Vers. 15. *Ut intelligentibus* hæc *dico: judicate vos quod ajo.*

Hoc

Hoc argumentum confirmaturus, appellat auditores, seu lectores prudentes, & jubet ut perpendant & argumentum jam dictum, & argumenti confirmationem, quam subjicit, additis quinque rationibus, quibus probat hunc publicum Idolothytorum esum Idololatriæ reatu obstringere.

Vers. 16. *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?*

Prima ratio: A pari exemplo Christianorum, cujus forma hæc est: Participatio elementorum in cœna DOMINI, est professio communionis nostræ cum CHRISTO, & reliquis Christianis, in vera religione: Ergo, participatio Idolothytorum, in convivio diaboli unà cum Idololatris, est professio communionis cum diabolo, & Idololatris, in Idololatria, seu falsa ipsorum religione.

Acuit autem hanc rationem, & reliquas, interrogatione frequenti; Poculum Eucharisticum, inquit, an non est symbolum, tessera efficax, & realis professio, salvificæ communionis, quam in sanguine CHRISTI, pro nobis effuso habemus? Item facer ille panis, quem in cœtu nostro frangimus, an non est obsignatio, & realis professio communionis, quam omnes, in corpore CHRISTI, pro nobis crucifixo, habemus? Ergo sequitur à pari, participationem sacrificii in convivio Idololatrico, & diabolico, non minus esse obsignationem, & realem professionem, (in se, & ex intentione operis) communionis cum Idololatris, & Idolo, cui sacrificium oblatum erat.

Vers. 17. *Quoniam unus est panis, unum corpus,* nos illi *multi sumus: nam omnes ex uno illo pane participamus.*

Explicat hanc rationem, in hunc sensum: Sicut nos Christiani licet multi, vi tamen sacramentaliter obsignatæ societatis in eodem cultu, coalescimus quasi in unum panem, id est, in unum corpus mysticum hoc ipso, quod ex uno sacramentali pane, seu Sacramento communicamus: Sic communicantes cum Idololatris, in Idololatrici sacrificii participatione, vi societatis in eodem cultu obsignatæ per convivium Idololatricum in Idoleio, coalescunt in unum corpus mysticum cum illis, hoc ipso, quod ex uno sacrificio sacramentali, una cum illis communicant.

Vers. 18.

Vers. 18. *Videtis Israelem* qui est *secundùm carnem: nònne qui edunt victimas, consortes sunt altaris?*

Ratio 2. Ab exemplo Israelitarum pari; Israelitæ edentes de victimis testabantur hoc facto, se altaris & religionis Judaicæ professores, & participes esse: Ergo, qui idolorum victimas in idololatrico convivio comedunt, testantur se in idololatria communicare cum Idololatris.

Vers. 19 *Quid ergo dico? idolum aliquid esse, aut quod idolis immolatum est, aliquid esse?*

Vers. 20. *Imò* illud dico, *quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo: nolim autem vos dæmoniis consociari.*

Ratio 3. Per solutionem objectionis propositæ; Etiamsi idolum nihil habeat divinitatis, ut supra dictum est, nec idolothytum quicquam sit de cultu DEI, quem opinatur, & intendit forsan Idololatra; ex natura tamen operis, sacrificium idololatricum est DIABOLORUM cultus, 2 *Cor* 11. 15. Ergo participatio Idolothyti crassissima est idololatria, à qua abstinere debetis.

Vers. 21. *Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.*

Arg. 3. Dehortationis ab idolothytis in idoleio: Participatio sacramentalis convivii Idolorum, seu DÆMONIORUM, non potest consistere cum participatione legitima & salutari, Cænæ Dominicæ, quia hoc esset duobus Dominis, DEO & DÆMONI servitium offerre, simul & utriusque servitium publicè profiteri: Ergo, non vescendum Idolothytis, in Idoleio.

Vers. 22. *An provocamus ad æmulationem Dominum? num validiores eo sumus?*

Arg. 4. Dehortationis ab Idolothytis; Provocatur ad zelotypiam DEUS, si quis Christianum se profitetur, & de sacris DÆMONIORUM publicè participat. Ergo non vescendum Idolothytis.

Validiores] Arg. 5. Quod pergere in hoc peccato, tam manifesto, sit DEO bellum indicere, & experiri an quis illo fortior sit: Ideoque nisi quis insaniendo putet, se DEO fortiorem esse, abstinendum est ab Idolothytis in Idoleio.

Secunda Pars.

Vers. 23. *Omnia mihi licent, at non omnia conferunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.*

Altera parte Capitis, ut deveniat ad privatum usum Idolothytorum, proponit generalem doctrinam, de rebus mediis, quæ hæc est: Omnia (indifferentia scilicet) licita sunt, nisi cum non expedit iis uti, vel cum non ædificant.

Vers. 24. *Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est.*

Quod non liceant cum non expediunt, non ædificant, seu ædificationi obsunt, rationem reddit per modum præcepti, quia in usu libertatis nostræ, potius alienæ saluti, quam nostræ temporali utilitati studendum.

Vers. 25. *Quicquid in macello venditur, edite, nihil discriminantes propter conscientiam.*

Præmissâ generali doctrinâ, respondet de Idolothytis, Extra usum religiosum, (ut cum exempli causâ in macello venduntur,) sine hæsitatione conscientiæ, posse quemquam iis vesci. Solebant enim vænales in macello prostare carnes sacrificatæ, quarum pretium ad sacerdotes redibat.

Vers. 26. *Domini enim est terra & plenitudo ejus.*

Ratio est, quia in illo communi statu, sunt Dei creaturæ, in usum fidelium sanctificatæ, & in liberum usum concessæ, à Domino Cœli & Terræ, *&c.*

Vers. 27. *Quod si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil discriminantes propter conscientiam.*

Similiter, si invitetur aliquis fidelis ab infideli aliquo ad convivium in privatis ædibus, sine scrupulo edere posse Christianum dicit, de quovis cibo proposito.

Vers. 28. *At si quis vobis dixerit, Hoc idolis mactatum est ne edite, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam, Domini enim est terra & plenitudo ejus.*

Excipit in casu scandali, si vel infidelis, vel infirmus frater significaverit, istum cibum Idolis esse immolatum, in quo casu abstinere jubet, & rationes addit septem.

Ratio

Ratio prima, Ne si edas post admonitionem, lædatur infirmus frater qui admonuit, vel ne confirmetur in Idololatria infidelis, si forte admonuit.

Domini] Ratio 2. DEUS alios etiam sanctificavit cibos præter illum, in quo periculum est scandali, & quia DOMINUS terræ, non concessit potestatem, utendi indifferenter creaturis suis, cum alicujus scandalo. Ergo in hoc casu non edendum.

Vers. 29 *Conscientiam autem dico non tuam, sed illius alterius cur enim libertas mea damnatur ab alia conscientia?*

Ratio 3. Si quis edat cum scandalo, Christiana libertas edendi condemnabitur ab alius conscientia, tanquam profana licentia: Ergo, non edendum in hoc casu.

Vers. 30. *Quod si ego per gratiam* cibum *participo, cur* in eo *ut blasphemus accusor, pro quo ego gratias ago?*

Ratio 4. Peccaretur in DEI gratiam, si quis abuteretur DEI dono, (quivis autem cibus DEI donum est, sicut in gratiarum actione ante vel post cibum agnoscitur) ita ut occasionem inde præberet, malè de seipso loquendi, quasi alterius animæ rationem nullam haberet: Ergo, non edendum in hoc casu.

Vers. 31. *Sive igitur editis, sive bibitis sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Ratio 5. Per modum præcepti proposita: In omnibus actionibus, & idcirco etiam in edendo, & bibendo, studendum est ut DEUS glorificetur, quod non fit quando cum scandalo comeditur: Ergo, *&c.*

Vers. 32. *Estote sine offendiculo, & Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei*

Ratio 6. Nulli est ponendum scandalum, sive profiteatur religionem veram sive non: Ergo in casu scandali, non edendum.

Vers. 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipsius utilitatem sed multorum, ut salventur.*

Ratio 7. Omnes tenentur Apostoli exemplum imitari in omnibus rebus mediis, serviendo non temporali emolumento suo, sed aliorum saluti æternæ: Ergo sicut ille, in tali casu nolebat edere, sic tenentur omnes non edere hunc vel illum cibum in casu scandali.

Caput undecimum.

Articulus septimus de ordine & decoro.

Epistolæ articulus septimus, de decoro, & ordine, in publicis Ecclesiæ conventibus, observando.

Capitis partes duæ sunt: 1. De decenti habitu virorum & mulierum, in sacris peragendis, ad vers. 17. Altera, de recta Cœnæ Dominicæ administratione, ad finem.

Vers. 1 *Imitatores mei fiatis, sicut & ego Christi.*

Vers. 2. *Laudo verò vos, fratres, quòd omnia mea meministis & sicut tradidi vobis traditiones retinetis.*

Quod ad primam attinet, præmittit præceptum de imitatione sui, quousque ipse fuerit imitator CHRISTI, simulque commendat Corinthios, Quod aliquousque Doctrinam, & præcepta, partim scripto, partim voce vivâ ipsis tradita, de religione rebusque quæ religionem spectabant observarint hucusque saltem, ut laudem mereantur aliquam.

Vers. 3. *Velim autem vos nosse Christum esse omnis viri caput: caput autem mulieris, virum caput verò Christi, Deum.*

Deinde substernit sequenti admonitioni theorema, de ordine divinitus sancito in Ecclesiæ corpore mystico, nempe quod CHRISTUS proximè subordinetur DEO quâ est θεανθρωπος, mediator & caput Ecclesiæ; & quod CHRISTO dignitate proximè succedat vir: viro verò mulier: quæ quantùm ad sexus honorem attinet, viro ut capiti, seu supereminenti subordinatur, unde intelligerent ordinem in conventibus Ecclesiæ necessariò observandum.

Vers. 4 *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, dedecorat caput suum.*

Hunc ordinem non satis observasse apparet Corinthios; Quia Ethnicorum more mulieres in publico cœtu, vela deponebant, viri velo se operiebant, Caput & faciem obtegentes, (Ubi orare & prophetare dicuntur, quicunque publicè conveniebant, & conspirabant, ad publicum hunc DEI cultum promovendum.) Hoc indecorum reprehendit, in viris pariter

ris pariter & fœminis, nunc virum, nunc fœminam arguens indecori, novem argumentis.

Dedecorat] Argumentum primum; Velamen viri, alienum est à dignitate virilis sexus, & contra dignitatem CHRISTI, quam repræsentare debet vir: Indecorum ergo.

Vers. 5. *Omnis verò mulier orans aut prophetans non velato capite, dedecorat caput suum: nam* id *unum ac idem est ac si rasa esset.*

Vers. 6. *Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur: quòd si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.*

Arg. 2. Velamen deponere indignum est sexu fœmineo, & contra dignitatem cum capitis sui naturalis, tum metaphorici, nempe viri, cui subjectionem, propter sexus masculini honorem debet; cujus rationem reddit, quia sine velo esse fœminam, non minùs turpe erat, quam tonderi: Indecori hic arguitur ergo fœmina, quod corrigendum est.

Vers. 7. *Vir enim non debet velare caput, quum* is *imago sit & gloria Dei: at mulier, gloria viri est.*

Arg. 3. Vir cum sit imago DEI, & excellentiæ ipsius glorioſæ repræsentatio, respectu fœminæ, cui ut caput statuitur, viriliter se gerendo, gloriam DEO exhibere debet: Ergo indecorum hoc, in velaminis usu ei cavendum.

Mulier] Arg. 4. Fœmina est gloria sexus virilis, seu imago dignitatis viri, in qua, ut in speculo, viri, in cujus bonum condita est, excellentia conspicitur; cui, subjectionem profiteri debet, per sui velationem: Ergo cum secus apud vos faciat fœmina, indecori arguitur. Nihil hoc impedit, quo minùs fœmina sit in DEI gloriam, & ad ejus imaginem, unà cum viro condita respectu animæ, & status spiritualis.

Vers. 8 *Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro.*

Arg. 5. Vir est principium materiale fœminæ, quia ex viri costa facta est: hanc ergo originis prærogativam decet marem & fœminam, in dicti decori observatione, testari. Ergo indecori rei estis, qui secus facitis.

Vers. 9. *Neque enim conditus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.*

Arg. 6

Arg. 6, Quum vir rationem habeat finis, fœmina vero destinati ad finem: hanc excellentiæ differentiam, convenit, decori observatione exprimi: Ergo cum non observatur, meritò reprehendendi estis.

Vers. 10. *Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite, propter Angelos.*

Arg. 7. Etiam propter Angelos inspectores, & testes decori & indecori in Ecclesia, licet hominis aspectum negligeretis, deceret tamen fœminas sexus sui subjectionem, & virilis sexus potestatem, capitis velatione tanquam signo testari: Ergo indecorum admittitur cum contra fit.

Vers. 11. *Attamen neque vir absque muliere, neque mulier absque viro, in Domino.*

Vers. 12. *Sicut enim mulier ex viro* est, *ita & vir per mulierem: omnia verò ex Deo.*

Hanc comparationem viri & fœminæ, ne longiùs trahatur ad fœminæ contemptum, triplici respectu fœminam viro æquat; primo, respectu CHRISTI DOMINI, seu ratione status gratiæ in CHRISTO; Vir & fœmina pares sunt, eodemque pretio empti, Christique DOMINI servitio destinati pariter: Secundò, ratione mutuæ originis, nam sicut in creatione mulier *ex* viro est, sic ordinariâ post creationem propagatione, vir *per* mulierem est, Tertiò, ratione causæ efficientis primæ & principalis, id est DEI, qui condidit marem & fœminam & omnia alia, pares sunt viri & fœminæ.

Vers. 13. *Apud vosipsos judicate*: num *decorum est mulierem non velatam Deum orare?*

Vers. 14. *An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit?*

Vers. 15. *Contrà, mulieri comatam esse, decori sit? Nam comá pro velamine data est ei.*

Arg. 8. Sensus communis & ipsa natura, seu naturalis inclinatio (sic vocat morem jam firmatum, & naturæ congruentem ratione decori,) dictat indecorum esse, fœminam non velatam orare, aut virum comatum seu intonsis capillis incedere, decorum verò esse si contra. Ergo decorum non observatur cum secus faciùs. Coma fœminæ dari dicitur pro velamine, quia eo fine datur, ut norit caput sibi obnubendum esse.

Vers. 16

Vers. 16. *Quod si quis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.*

Arg. 9. Si quis argumentis his fortè non cederet, sed rixaretur, ipsorum defensionibus rixosis & contentiosis, Apostolus opponit Judæorum, & ecclesiarum reliquarum consuetudinem jam receptam & firmatam: Aliæ ecclesiæ non habent hanc consuetudinem, ut mulieres interlint publicis cœtibus, non velato capite, viri verò velato. Ergo consuetudo vestra, cum à naturali, tum ab ecclesiarum consuetudine, & decoro firmato decedens, indecora est.

Secunda Pars.

Vers. 17. *Hoc verò* ita *denuntio ut vos non laudem, quod* videlicet *non cum emolumento, sed cum detrimento convenitis.*

Altera pars capitis; de recta Cœnæ Dominicæ administratione, in qua non laudat sed vituperat Corinthios, primum in genere, quod conventus celebrando, proficiant non in melius sed in pejùs potiùs.

Vers. 18. *Primùm enim quum convenitis in ecclesia, audio dissidia inter vos esse: & aliquatenus credo.*

Secundò specialiter magis; Quod modo, ad fovenda schismata, composito conveniant, sicut audiebat, & aliquam partem credebat etiam.

Vers. 19. *Oportet enim etiam hæreses inter vos* esse, *ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.*

Rationem reddit, cur credat schismata inter eos fuisse, nempe, Quia propter diaboli & hominum malitiam, justo Dei judicio oriuntur non schismata tantum, in studiis & affectibus: sed hæreses etiam seu sectæ, quæ & oportet esse, & eo consilio à Deo permittuntur, ut probati & sinceri Christiani, id quod rectum est in partium contentione tenentes, dignoscantur, & ad majorem Dei gloriam, veræque religionis in puritate conservationem toti, mundo sinceri esse manifestentur.

Vers. 20. *Quum igitur convenitis eodem loci,* hoc *non est Dominicam cœnam edere:*

Tertiò, Vituperat specialissimè, quod sacram Cœnam ita profanent, ac si Domini Cœna non esset; cum enim eodem loci conveniebant, in cœtu Sanctorum ita se irreligiosè gerebant, ac si Cœnam religiosam non celebrarent.

Vers 21. *Nam unusquisque propriam cœnam præoccupat in vescendo: & hic quidem esurit, ille vero ebrius est.*

Hoc demonstrat quatuor notatis in Dominicæ Cœnæ apud eos celebratione, vitiis. Primum est, Unusquisque cum factione sua, exclusis reliquis Ecclesiæ membris, schismaticè sacram Cœnam capiebat. Secundum, Sacramento Cœnæ Dominicæ propriam cœnam, seu communes suas epulas, quæ agapæ dicebantur, admiscebant. Tertium, Pauperiores excludebant, qui famelici relinquebantur interim, dum ditiores cœnarent. Quartum, Epulando ad ebrietatem usque potabant.

Vers. 22. *Enimvero num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis & pudefacitis eos qui non habent? Quid vobis dicam? laudabo vos? in hoc non laudo.*

Idcirco reprehendit morem illum publicè convivandi in Ecclesia per ἀγαπας quæ dicebantur, & quasi indignum publico conventu, ad privatas ædes relegandum censet, addita objurgatione quod hoc suo facto reverendum cœtum sanctorum vilem haberent, & contemptui exponerent vacantes commessationi, ubi incumbendum erat tantùm religioni: nec non, quia in epulis illis suis, pauperiores qui sumptus ejusmodi facere non poterant pudefaciebant: quæ omnia vituperio digna ostendit.

Vers 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, Dominum Iesum* videlicet *ea nocte qua proditus est, accepisse panem.*

Vers. 24. *Et gratiis actis fregisse ac dixisse, Accipite, edite: hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei commemorationem.*

Hos errores ut corrigat, primo repetit sacramenti institutionem, ad *vers.* 27. deinde hortatur, & instruit ad legitimum sacramenti usum, ad finem.

Quod ad institutionem Cœnæ, in ejus recitatione ostenditur quomodò Iesus Christus jam moriturus, testamentario jure, fœdus gratiæ (per suam mediationem, cum Deo & Ecclesia initum) obsignaverit: quo & glorioſa memoria mortis suæ celebraretur in mundo, ad secundum suum adventum, & simul fidelibus daretur, & datum judicialiter confirmaretur jus in personam suam, & personæ passiones, & passionum beneficia, fructus, & vitalem virtutem suam, ab ipso moriente, resurgente & exaltato promanantem, ad Fidelium sanctificationem & vitam

vitam æternam: idque per symbola convivii sacri, & sacræ cum DEO & inter se, communionis. In quem finem CHRISTUS in mensa cum Discipulis sedens, post agni paschalis comestionem: Primò, sumptum in manibus panem, & gratiis actis sanctificatum, fregit & exhibuit discipulis, jubens, ut acciperent & ederent: deinde pronunciavit panem acceptum & comestum esse corpus suum sacramentali modo repræsentatum, ut pro redemptione nostra traditum, & judiciali modo nobis applicatum; & denique imperavit, ut discipuli seu fideles omnes hoc factum imitarentur in ecclesia, in commemorationem sui, qui redemptionis pretium persolverat per corporis sui passionem.

Vers. 25 *Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicendo, Hoc poculum, est Novum illud pactum, per meum sanguinem: hoc facite quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem.*

Quod ad alteram partem Cœnæ: In eadem mensa, post Cœnam scilicet Paschalem, & Panem distributum, CHRISTUS sumptum poculum cum vino, & gratiis actis sanctificatum, dedit Discipulis bibendum: deinde de poculo pronunciavit, Poculum sumptum & bibitum esse fœdus illud gratiæ novum, inter DEUM & Ecclesiam, per sanguinem suum sancitum sacramentaliter utrinque, id est, ut à parte DEI dantis ratum, sic & à parte fidelis accipientis confirmatum, & judicialiter applicatum simul, & obsignatum. Denique imperavit, ut Discipuli hoc factum imitarentur frequentius in Ecclesia, in commemorationem sui, qui pretium redemptionis Ecclesiæ persolverat, per sanguinis sui effusionem.

Vers. 26 *Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, usque quò venerit.*

Utque ex duobus elementis, Pane & Vino, unam fieri debere Cœnam, sæpius in Ecclesia repetendam, agnoscamus, Apostolus perpetuari vult in Ecclesia, per hujus Sacramenti frequentem repetitionem, publicam mortis DOMINI commemorationem; & propterea, quod CHRISTUS corpore præsens non sit futurus in Ecclesia, ante ultimum judicium, per hoc sacramentum vult ut memoria redemptionis Ecclesiæ, per ejus mortem, subinde recolatur & celebretur, donec è Cœlis adveniat in novissimo illo die.

Vers. 27. *Itaque quisquis ederit panem hunc, vel biberit poculum hoc Domini indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini.*

Post institutionem repetitam Apostolus hortatur, & instituit Corinthios ad rectum Sacramenti usum, sex modis: Primò, Ostenso periculo reatus quo tenentur profanantes hoc Sacramentum: nam quicunque absque præparatione & reverentia, secus quam dignum est, tanta mysteria tractat, Sacramento abutitur, contemnit CHRISTUM, & sceleris eorum qui CHRISTUM interfecerunt, affinis evadit.

Vers. 28 *Exploret autem quisque seipsum, & ita de pane illo edat, & de illo poculo bibat.*

Secundò, Ostensâ facilitate præparationis, ut dignè communicet unusquisque: Tantum (inquit) se examinet quisque, ut peccati sui & miseriæ magnitudine perspectâ, quanta sibi sit necessitas remedii per CHRISTUM, videat, & quâ fide, quo sanctitatis proposito, accedere teneatur ad CHRISTI communionem is qui sine CHRISTO millies perditus est, consideret, & ubi se probaverit, sic edat & bibat in sacro Convivio: hoc est, sic sibi applicet rem significatam, cum signi participatione, sicut se eâ opus habere animadvertit.

Vers. 29. *Nam qui edit & bibit indignè, ipse sibi judicium edit & bibit, non discernens corpus Domini.*

Tertiò, Ostensâ pœnâ indignæ manducationis: Quod, qui sine probatione sui participat externo sacramento, indignè edendo & bibendo, attrahat sibi judicium, seu pœnas temporales, & æternas, nisi resipiscat, quia non *discernit* sacrum hoc Convivium, & rem significatam, à vulgari cœna, sed ad DOMINI mensam non aliter quam ad communem aliquam, accedit.

Vers. 30 *Propterea inter vos multi* sunt *ægroti & valetudinarij & dormiunt multi.*

Quartò, Positis ob oculos exemplis temporalis iræ DEI, in morbis, plagis & morte jam inflictis in multos Corinthios, propter Sacramenti profanationem.

Vers. 31 *Etenim si ipsi nos dijudicaremus, non judicaremur.*

Hanc judiciorum temporalium inflictionem, à rigore purgat. Primò, ab æquitate, quod DEUS non judicantes se ipsos seu resipiscentes, sed securè in admisso peccato jacentes, justè puniat, quod non esset facturus si resipiscentes seipsos judicarent.

Vers. 32. *Sed dum judicamur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.*

Deinde

Deinde, quod inflictio plagarum sit paterna castigatio, quâ fideles ad resipiscentiam ducantur, ne cum mundo pereant.

Vers. 33. *Itaque, fratres mei, quum convenitis ad vescendum, alius alium expectate.*

Quintò, Apostolus Corinthios ad rectè utendum Cœnâ dirigit, dato præcepto ad vitandum schisma, ut alii alios expectent, & simul sacra Cœna participent; non seorsim singuli cœnent, quia DOMINI cœna est communis actio Ecclesiæ, in Cœtu publico, convivali modo celebranda.

Vers. 34. *Quòd siquis esurit, domi edat: ne ad condemnationem conveniatis. Reliqua verò, quum venero, constituam.*

Sextò, Vetando convivandi illum morem, in publico per ἀγαπας ante sacram synaxin & jubendo, ut si opus fuerit, comedant domi ad famem sedandam, repetito periculo profanationis Cœnæ, & judicii divini subiturí. Tandem quia impossibile erat, omnia quæ ad particularem aliquam Ecclesiam spectant, perspicere aut præscribere, nisi præsens fuisset, reliqua, de ordine specialiter in Ecclesia illâ observando, curaturum se pollicetur, ubi venerit.

Caput duodecimum.

Articulus octavus, de Usu donorum spiritualium.

OCtavus Epistolæ articulus de Spiritualibus donis, eorumque recto usu, tribus proximè sequentibus capitibus.

De donis Spiritualibus alii superbiebant, & alios præ se contemnebant, alii aliis ampliorem donorum mensuram invidebant; donis abutebantur plerique non ad mutuam ædificationem, sed ad discordiam: Scopus Apostoli est, abusus hos corrigere, ab iis dehortari, ad rectum usum hortari, idque argumentis sedecim: quorum alia evidentius concludunt unum, alia aliud scopi membrum, omnia verò prudentem usum donorum urgent.

Vers. 1. *Porro de spiritualibus* donis, *fratres, nolim vos in ignorantia versari:*

Abusum omnem comprehendit Apostolus, unâ ignoratione seu imprudentia; rectum verò usum, contrariâ prudentiâ. Thesis confirmanda ergo ab Apostolo proposita est hæc, Non debetis in ignoratione versari, vel imprudenter vos gerere in negotio spiritualium donorum, sed prudenter.

Vers. 2. *Scitis vos Gentes fuisse, qui ad idola illa muta, prout rapi contigissèt abripiebamini.*

Argumentum primum, A comparatione pristini & præsentis status, in hunc sensum: Non ita pridem, destituti omnibus Spiritus sancti donis, pro libitu Diaboli, impuri illius spiritus abripiebamini, ut reliquæ Gentes, in crassissimum mutorum simulachrorum cultum, seu in Idololatriam. Ergo nunc conversi, & spiritualibus donis ornati, prudenter versari debetis, attendentes, ne à malo Spiritu rapiamini, ad non minus noxia vitia, in donorum spiritualium abusu.

Vers. 3 *Quapropter notum vobis facio, nullum per Spiritum Dei loquentem, dicere Iesum anathema: & neminem posse dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum.*

Arg. 2. Quam certò blasphemantes Christum, destituuntur ipsius Spiritu; tam certò omnes vos, qui fide sincera profitemini Iesum Christum Dominum vestrum, Spiritum Sanctum habetis, seu Spiritus Sancti salvificum & potissimum donum, absque quo non possetis eum sincera fide profiteri: Ergo de aliis donis Spiritualibus, quæ non comitantur salutem necessariò, non debetis alii aliis invidere.

Vers. 4. *Distinctiones autem donorum sunt, sed idem Spiritus:*

Arg. 3. Licet sint diversa dona, omnia tamen fluunt ab eodem fonte, & uno Spiritu sancto: Ergo in usu horum donorum debetis prudenter versari, & amicè conspirare.

Vers. 5. *Et distinctiones ministeriorum sunt sed idem Dominus:*

Arg. 4. Functiones, administrationes, & officia ecclesiastica sunt plura, sed idem Dominus, cui omnes servire debetis: Ergo prudenter debetis versari, & opus unius Domini promovere.

Vers. 6.

Vers. 6. *Et distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus, agens omnia in omnibus.*

Arg. 5. Diversæ sunt operationes, diversa opera, producta à diversis hominibus ut instrumentis, sed idem DEUS est operans illa opera in diversis illis instrumentis: Ergo nulla de his debet esse discordia: *Dona* ascripsit Spiritui sancto, qui dona & ordinaria & extraordinaria, secundum necessitatem ecclesiæ distribuit, *vers.* 4. *functiones* & officia ascripsit CHRISTO, qui in domo suâ DOMINUS, ministeria quæ vult constituit, quos vult ad officia vocat, & in functionibus vocatos ut vult adhibet, *v.* 5. *Operationes* verò, seu excercitia donorum cujusvis generis, ascribit hoc versu DEO Patri, qui ut est primum omnium principium, ita intimè in omnibus operatur: nec ideo hæc distinguit Apostolus, quasi dona, officia, & operationes, sic sint unius personæ, ut non sint omnium personarum, sed quod nos opus habeamus, ut per hujusmodi distinctionem donorum, officiorum, & operationum, quæ ad idem opus producendum concurrunt, ad distinctionem personarum & unitatem essentiæ faciliùs apprehendendam manu ducamur, utque æqualitatem personarum sacrosanctæ Trinitatis, earumque in donis officiis & donorum excercitiis unitatem observaremus, & observantes, concorditer in bonum ecclesiæ, & gloriam DEI, omnes conspiraremus.

Vers. 7. *Unicuique verò datur declaratio Spiritus ad utilitatem.*

Arg. 6. Spiritualia dona, seu manifestationes Spiritus, in quibus scilicet Spiritus manifestatu, dantur in unum finem, scilicet in bonum, & ædificationem totius Ecclesiæ: Ergo discordia de iis esse non debet.

Vers. 8. *Nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij vero sermo cognitionis per eundem spiritum:*

Hoc ostendit enumerando novem genera donorum, quæ omnia tendunt in bonum Ecclesiæ: Primum, donum, Sapientiæ verbum datur uni, quo possit doctrinam sanam ad auditores opportunè applicare, quod pastoris donum est: Secundum, Alii datur verbum cognitionis, quod doctoris donum est, quo possit sensum Scripturæ, & generalem doctrinam proponere perspicuè, licet donum commodè applicandi non habeat.

Vers. 9. *Alteri vero fides, per eundem Spiritum: alij vero donum sanationum per eundem Spiritum:*

Vers. 10. *Alij vero operatio virtutum, alij vero prophetia, alij vero discretio spirituum, alteri vero genera linguarum: alij vero interpretatio linguarum.*

Donum

Donum 3. Est fides, quæ miraculorum insigniorum & plurium scilicet dicitur,& capite sequenti vocatur *omnis fides*: 4. Est donum sanandi morbos, quod erat unum tantum genus miraculorum, ut reliqua sequentia. 5. Donum edendi signa, & potenter compescendi Dæmones, & Ecclesiæ hostes, cujus exemplum habetur *Act.* 13. 11. 6. Donum prædicendi futura, & revelandi secreta: 7. Donum discernendi impostoras à veris Spiritus donis: 8. Donum loquendi variis linguis: 9. Donum intelligendi varias linguas, seu interpretandi, sine dono loquendi illis linguis. Nam ut patebit infra aliqui loquebantur linguis qui non poterant interpretari, & contra: sic enim visum est Deo dona distribuere.

Vers. 11 *Sed omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis sicut vult.*

Arg. 7. Ad prudentem donorum usum: Hæc diversitas donorum, & distributio eorum, est secundum arbitrium Dei facta: Ergo in ejus voluntate est acquiescendum, iisque sine discordia utendum.

Vers. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia vero illa membra corporis quod unicum est, multa sunt, sed unum sunt corpus: ita & Christus.*

Arg. 8. Christus mysticus, seu Christus cum Ecclesia est unum corpus, ex pluribus membris, iisque instructis varietate donorum, constans: Ergo sicut in corpore humano, sic in corpore mystico, concordia debet esse in donorum usu.

Vers. 13 *Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus & Judæi, & Græci, & servi, & liberi: & omnes potati sumus in unum Spiritum.*

Arg. 9. Sacramento Baptismi & Cœnæ Dominicæ omnes Fideles connectuntur, seu omnium Fidelium coalitio in unam Ecclesiam, & unius vitæ participationem obsignatur in Sacramentis, in unum corpus & unum Spiritum: Ergo non debetis propter diversitatem donorum, à vobis invicem diffidere.

Vers. 14. *Etenim corpus non est unum membrum, sed multa.*

Vers. 15 *Si dicat pes, Quia non sum manus, non sum ex corpore: num propterea non est ex corpore.*

Vers. 16. *Etsi dicat auris, Quia non sum oculus, non sum ex corpore: num propterea non est ex corpore:*

Arg. 10.

Arg. 10. Cum ratio corporis requirat necessariò pluralitatem membrorum, & per consequens diversitatem, sequetur infima officia in minimis donis tam esse de corpore, quam excellentissima officia & dona: Et quod si se excluderent, non minus stolide facerent, quam si pes manum se negans, vel auris se oculum negans, propterea concluderet se non esse de corpore. Ergo propter diversitatem donorum, non debet esse inter vos dissensio.

Vers. 17 *Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus.*

Vers. 18. *Nunc autem Deus collocavit membra, singula sigillatim in corpore sicut voluit.*

Vers. 19 *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?*

Vers. 20. *Nunc verò multa quidem membra sunt, unum verò corpus.*

Arg. 11. Sicut si totum corpus esset unum membrum, sequerentur tria incommoda: Primò, excluderentur reliqua membra, & sensus nobiliores, *vers.* 17. Secundò, mutatio fieret contra Dei sapientem dispensationem, qui aliter de multiplicitate membrorum statuit, *vers.* 18. Tertiò, Mutatio fieret contra corporis organici naturam: nam corpus ipsum organicum tolleretur, *vers.* 19. Quia Deus corpus organicum fecit unum, ex pluralitate membrorum, *vers.* 20. Sic in functionibus Ecclesiasticis, si una esset functio, sequerentur tria incommoda. 1. tollerentur reliquæ functiones: 2. everteretur Dei dispensatio: 3. Ecclesia ipsa organica destrueretur, quæ nunc ex variis officiis, in unum corpus coagmentatis constitit: Colenda ergo concordia.

Vers. 21. *Non potest autem oculus dicere manui, Non est mihi opus te: aut rursum caput pedibus, Non est mihi vobis opus.*

Vers. 22. *Imò multo potius, quæ videntur membra corporis infirmissima esse, necessaria sunt.*

Arg. 12. Sicut in corpore Physico, membra superiora & excellentiora, non possunt inferioribus carere, inferiora autem & debiliora sunt maximè necessaria, ideoque inter se amicitiam colunt: sic in functionibus Ecclesiasticis se res habet: Idcirco concorditer conspirare debent.

Vers. 23. *Et quæ putamus* membra *corporis maximè esse inhonesta,*

honesta, iis honorem ampliorem circumponimus: & quæ sunt in nobis indecora, copiosiorem decorem habent.

Vers. 24. *Nam quæ sunt in nobis decora,* iis decore *non est opus: sed Deus simul temperavit corpus, ei cui deerat, copiosiore tributo honore.*

Arg. 13. Sicut in corpore Physico, ut fiat concordia, honorantur maximè quæ infirmiora sunt membra, & necessaria ex DEI voluntate: sic debet fieri, in functionibus Ecclesiasticis. Ergo in Diaconis potiùs quam Pastoribus eligendis, curandum ut cæteris paribus, lautioris fortunæ homines, qui infimum hoc officium ornent, eligantur.

Vers. 25. *Ut ne sit dissidium in corpore, sed membra idem curent alia pro aliis.*

Arg. 14. Sicut rueret ex schismate corpus Physicum, si membra inter se contenderent, & se mutuò non curarent: sic in functionibus Ecclesiasticis; concordia ergo colenda.

Vers. 26. *Itaque sive patitur unum membrum, simul dolent omnia membra: sive honore afficitur unum membrum, simul gaudent omnia membra.*

Vers. 27. *Vos autem estis corpus* CHRISTI, *& membra ex parte.*

Arg. 15. Sicut inter membra corporis superiora & inferiora, συμπαθεία est in dolore & gaudio, ita inter Ecclesiæ Gubernatores, seu Ministros Ecclesiasticos esse debet: Ergo & summa concordia: Rationem reddit, quia vos, inquit, estis corpus CHRISTI & membra speciatim: id est; qui ut membra toti corpori Ecclesiæ & vobis invicem consentire debetis; Et hic habetur apodosis communis totius similitudinis, à corpore sumptæ à versu 12. usque ad 27.

Vers. 28. *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, deinde* constituit *potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.*

Jam recensèt ordine ministros Ecclesiæ, quantùm ad æmulationem & invidiam inter Corinthios compescendam sufficiebat: Apostolorum & Pauli nominatim authoritas, ab argutulis & disertis, apud Corinthios (ut ex

(ut ex secunda Epistola liquet) Doctoribus, labefactabatur. Idcirco Apostolorum dignitatem primo loco asserit, & Apostolos primùm à DEO constitutos, quia illi omnibus ecclesiis fundamentum jaciunt. De Euangelistis & Prophetis extraordinariis, vel non erat inter illos quæstio, vel assertâ dignitate ministrorum Euangelii extra ordinem, in officii Apostolici vindicatione, etiam de authoritate & dignitate Euangelistarum & prophetarum extraordinariorum (quorum ministerium erat ex æquo omnibus Ecclesiis commune, & Apostolorum usibus adjunctum) satis constabat.

Secundo loco statuit Prophetas, quo nomine, ut posteà patebit *Cap.* 14. intelligit Pastores, qui doctrinam ad usum pro concione applicabant, quorum donum erat sermo sapientiæ, *supra vers.* 8. Tertio loco nominat Doctores, qui licet eloquentia & prudentia ad applicandam doctrinam, in omnes usus Ecclesiæ, non pollebant, habebant tamen sermonem Scientiæ, ut possent generalem doctrinam ad captum Ecclesiæ applicare. Hæ sunt functiones, quæ in Verbo & Doctrina occupantur, ideoque insigniores. Quarto loco ponit eos, qui in primitiva Ecclesia, ad confirmationem fidei auditorum, donabantur potestate miraculorum multa genera, & signa seu portenta, edendi in amplissima mensura. Quinto loco ponit eos qui morbos miraculosè sanare poterant, in quibus donum miraculorum coarctabatur magis, & ad hanc unam speciem restringebatur. Post hæc sexto loco dona & officia ordinaria nominat, nempe opitulationes, seu functiones Diaconorum, quorum opera, de stipendiis Ministrorum & Sanctorum necessitatibus prospiciebatur, & Ecclesiæ publicæ facultates dispensabantur, quod officium licet infimum videri possit, in honore non parvo videtur fuisse tamen, & viris non infimis impositum, sed viris, & spectatæ fidei, & potentioribus, seu lautioris fortunæ, secundum *vers.* 22, 23, 24. Idque propter necessarium ejus usum, quia absque functionis hujus opitulatione, opus Ministerii multum impediretur; nisi enim opitulationes seu Diaconi sint, qui stipendii colligendi curam in se suscipiant, ut Ministri liberius operi DOMINI vacare possint, necesse est ut Ministri cum Levitis, *Nehem.* 13. quibus portio designata non dabatur, ad agrum & negotia sua fugiant, vel secularibus negotiis, immo & contentionibus forensibus de stipendio debito impliciti, perdant laborandi in DOMINI vinea zelum; vel laborum suorum fructum. Post hos (nisi forte quia de his officiis inferioribus, non erat contentio, de ordine am-

plius non est solicitus Apostolus, nominat gubernationes seu presbyteros gubernantes, qui mores Populi observant, & disciplinæ præsides cum pastoribus & doctoribus in Senatu Ecclesiastico scandalis tollendis invigilant: Ultimo loco ponit donum linguarum, scilicet solitarium, quo quis vel loquebatur quæ interpretari non poterat, idiomate populo cognito, vel interpretari poterat, loqui verò ignota linguâ non poterat: quod donum, quia admirationem præ aliis donis excitabat, videtur affectatum fuisse à Corinthiis aliis, & materiam fuisse gloriationis aliis.

Vers. 29. *Num omnes, Apostoli? num omnes, Prophetæ? num omnes, doctores? num omnes* sunt *potestates?*

Vers. 30. *Num omnes donum habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?*

Quibus omnibus recitatis, vellicat & sugillat acriter æmulationem & invidiam inferiorum, quasi vellent omnes, dona eminentissima, & functiones excellentiores habere, quod à ratione alienissimum erat, prout interrogationes, repetitæ ad pungendas ipsorum conscientias ostendunt.

Vers. 31. *Sed ambite dona potiora. Et porrò iter ad excellentiam vobis indicabo.*

Arg. 16. Suasionis, ne sit æmultatio prava de donis: æmulatio melius collocari posset, ambiendo dona excellentissima, nempe salvifica, seu quæ salutem comitari solent, quale donum est imprimis Charitas Christiana; per quam fides salvifica efficax est (de qua dicturum se pollicetur:) Ergo æmulatio prava de donis & officiis Ecclesiasticis, seu spiritualibus cavenda est.

Caput

Iam illam excellentiorem, de qua versu *ultimo superioris Capitis dixit, ostendit esse viam Charitatis, & probat Charitatis donum dignissimum esse, quod supra omnia alia affectent, argumentis quatuor.*

Vers. 1. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut symbalum tinniens.*

Argumentum primum. Dona quæ vos ambitis nihil sunt sine Charitate; quinque autem dona enumerat, quibus Charitatem præfert: Primum, Donum linguarum in summo gradu, (quale esset, si quis omnibus linguis loqui posset, aut qualis esset Angelorum loquendi ratio, si linguis loquerentur) quod sine Charitate ad salutem nihil faceret, plus quam inutilis sonus.

Vers. 2. *Et si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam: & si habeam totam fidem, adeò ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.*

Donum secundum, est donum Prophetiæ in summo gradu cum scientia & sapientia conjunctum, quod ad salutem Prophetæ sine Charitate nihil faceret: Donum 3. est fidei miraculosæ in summo gradu, ad operandum quæ maximè impossibilia sunt, quod si daretur, etiam nihil esset sine Charitate.

Vers. 3. *Et si insumam alendis egenis omnes facultates meas, & si tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam,* hoc *nihil* mihi *prodest.*

Donum 4. Est liberalitas in pauperes summa, quæ fingi potest: Donum 5. fortitudo Martyrij maxima, quantam quis imaginari poterit, quæ omnia sine charitate, nihil prodessent ad salutem: Ergo charitas donum est dignissimum quod affectetis.

Vers. 4. *Charitas patiens est, comis est: Charitas non invidet: charitas non agit perperam, non inflatur.*

Arg. 2. A proprietatibus seu effectis Charitatis eximiis, qualia quindecim enumerat: 1. Charitas patiens est: 2. Et benigne agit: 3. Non invidiosa est: 4. Non est proterva: 5. Non inflatur arroganti opinione bonorum suorum.

Vers. 5. *Non agit indecore, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.*

6. Neque dehonestat se neque proximum, indecorè agendo: 7. Non injuste studet suis privatis commodis, sed in aliorum bonum oculos intentos tenet: 8. Non irritatur ut malum malo rependat: 9. Non est injuste suspicax.

Vers. 6. *Non gaudet injustitia, gratulatur autem veritati:*

Vers. 7. *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

10. Non lætatur cum fit injustitia: 11. Lætatur successibus aliorum bonis: 12. Fortiter perfert labores & difficultates in officio fungendo: 13. Optima quæque de omnibus credit, quantum patitur veritas: 14. Optima quæque sperat de omnium emendatione, quantum patitur prudentia. 15. Omnes aliorum infirmitates tolerat: Ergo charitas donum dignissimum est quod affectetis.

Vers. 8. *Charitas nunquam excidit: & prophetiæ verò abolebuntur: & linguæ cessabunt: & cognitio abolebitur.*

Arg. 3. Charitas nunquam excidit: Ergo excellentissima est & dignissima quam affectetis: Hanc proprietatem illustrat comparatione cum aliis donis: primò cum prophetia & linguis; quæ, quia non erit earum usus in vita sequenti, ut media, amplius non necessaria cessabunt: 2. Charitatem cum ipsa cognitione comparat, & præfert eam cognitioni, quia cognitio abolenda est, ea scilicet mediata, seu ratio cognoscendi, qualis nunc habetur per libros, per auditionem, meditationem, &c. Ergo, Charitas excellentissimum donum est quod affectetis.

Vers. 9. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus:* Quod probat, Quia cognitio jam est ex parte & imperfecta, non tantùm respectu mensuræ, sic enim etiam charitas est imperfecta, sed potissimùm ratione modi cognoscendi, per media scilicet, quod genus cognoscendi quia mediatum est, imperfectum est.

Vers. 10 *Postquam autem advenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.*

Hic modus cognoscendi, mediatè scilicet, planè abolebitur, cum venerit cognitionis modus perfectus, nempe immediatus: Charitas autem licet quo ad mensuram imperfecta sit, quo ad modum diligendi

tamen

tamen perfecta est, nam immediate fertur in DEUM, & idcirco hic modus diligendi nunquam abolebitur, sed augebitur potiùs.

Vers. 11. *Quum essem infans, ut infans loquebar, ut infans cogitabam, ut infans sentiebam: postquam autem factus sum vir, abolevi quæ infantis erant.*

Ostendit præsentem cognitionis modum abolendum esse, per similitudinem abolitionis ludicrorum & puerilium, cum adoleverit aliquis in virum.

Vers. 12. *Cernimus enim nunc per speculum, & per ænigma: tunc autem coram* cernemus: *nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout edoctus fuero.*

Aliâ similitudine idem ostendit, comparans præsentem cognoscendi modum, cognitioni per speculum & ænigma, qui modus mediatus est, cognitionem verò futuram, cognitioni per aspectum immediatum, quo aliquis cognoscit intuitivè, quia in vita futura mens nostra à DEO immediatè illustrabitur, & nos immediatè videbimus seu cognoscemus DEUM.

Vers. 13. *Nunc verò manet fides, spes, charitas, tria hæc: maxima autem harum, charitas.*

Arg. 4. Charitas fide & spe (quæ gratiæ sunt salvificæ, & dona μεταμιλητα) excellentior est: Ergo dignissima: Quia charitas nunquam excidet, sed manebit etiam in vita futura, cum fides & spes jam functæ officio cessabunt: interim meminerimus aliis respectibus, fidem potiorem esse charitate, quia fides est causa dilectionis: *Gal.* 5. 6. Fide justificamur & pacem habemus erga DEUM, *Rom.* 5. 1. Et per fidem habitat CHRISTUS in cordibus nostris, qui charitatem in nobis operatur: *Ephes.* 3. 17. Sed Apostolus concordiam, & Ecclesiæ ædificationem respiciens, charitatem Jure extollit, quantum ad propositum suum attinet: sciebat etiam neminem ampliandæ charitati Christianæ studere posse, quin simul studeat augendæ fidei, quæ dilectionis causa est.

Caput

Caput decimumquartum.

Pergit, de donis spiritualibus, & eorum recto Usu agere.

Capitis duæ sunt partes: In priori præfert donum prophetiæ dono linguarum, ad vers. 26. *In altera præcepta dat de εὐταξία observanda in Cœtibus Ecclesiasticis, ad finem.*

Vers. 1. *Sectamini charitatem, ambite autem spiritualia, magis tamen ut prophetetis.*

Probavit superiori Capite Charitatem donum esse excellentissimum; Initio hujus capitis infert pro conclusione hortationem, ut eam affectent, & omnia tum dona tum officia spiritualia, in honore habeant: Sed quia dono linguarum superbiebant aliqui, & plerique præ hoc dono, pastorale donum despiciebant, donum verò linguarum admirabantur nimium, Idcirco confert hæc inter se dona, & donum Prophetiæ seu exhortationis probat præstantius esse dono linguarum, ab interpretationis dono segregatum: Rationes reddit tredecim.

Vers. 2. *Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo, nullus enim audit, spiritu verò loquitur mysteria.*

Vers. 3. *Qui autem prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem.*

Prima ratio, Qui linguâ loquitur ignotâ, etiamsi ex dono Spiritus loquatur mysteria Dei, tamen sine fructu loquitur, quia à solo Deo intelligitur, & non ab hominibus: Propheta verò seu Pastor cognita linguâ loquens, docet, hortatur, consolatur auditores, & sic cum fructu loquitur: Ergo præstantior est prophetia dono linguarum.

Vers. 4. *Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: qui verò prophetat, Ecclesiam ædificat.*

Ratio 2. Qui linguâ ignota loquitur, nullum ædificat præter seipsum, Propheta verò totam Ecclesiam seu Cœtum: præstantior Ergo prophetia.

Vers. 5.

Vers. 5. *Velim autem omnes vos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis, major enim est qui prophetat quàm qui loquitur linguis nisi si interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.*

Ut rectius intelligatur, ostendit se non derogare linguis, licet prophetam præferat loquenti linguâ ignotâ.

Vers. 6. *Nunc verò, fratres, si veniam ad vos linguis loquens, quid vos juvabo, nisi vobis loquar aut per revelationem, aut per cognitionem, aut per prophetiam, aut per doctrinam.*

Ratio 3. A suo exemplo: Etiam ipsius Apostoli ministerium non esset ipsis profuturum, nisi per prophetiam extraordinariam, ex revelatione vel ex cognitione ordinariâ, lingua cognita ipsis loqueretur, vel *prophetando* seu hortando ut pastor, vel *docendo* ut doctor: Ergo inferius est donum linguarum dono prophetiæ.

Vers. 7. *At qui inanima quæ sonum edunt, sive tibia sit, sive cithara, nisi distinctionem tonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur aut cithara.*

Vers. 8. *Etenim si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?*

Vers. 9. *Ita & vos nisi per linguam benè significantem sermonem ediderit is, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aerem loquentes.*

Ratio 4. Sicut tuba aut instrumentum aliud quodvis sive tactile, sive flatile, inconditè sonans, inutilem & ingratum sonum edit, sic etiam lingua, non intellecta nihil præter sonum incertum & inutilem reddit: Prophetæ vero cognita lingua loquuntur in prophetia sua: Ergo inferius est donum linguarum, dono prophetiæ.

Vers. 10. *Tot, prout inciderit, genera vocum sunt in mundo, & nihil est mutum*

Ratio 5. Brutorum voces plurimæ sunt, quarum nulla adeò inarticulata est, quin certam animalis speciem audientibus repræsentet: Turpe est ergo ita prostituere donum Spiritus, ut non plus prosit, sed & minoris æstimetur, quam brutus aliquis balatus: Non sic in prophetia: Ergo inferius est donum linguarum dono prophetiæ.

Vers. 11.

Vers. 11. *Nisi igitur sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus: & qui loquitur, apud me barbarus* fuerit.

Ratio 6. Quia loqui non intellecta, doctorem & auditores sibi invicem reddit ut barbaros, qui se mutuò non intelligunt: Ergo.

Vers. 12. *Ita & vos quandoquidem Spiritus ambitis, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut excellatis.*

Vers. 13. *Quapropter qui loquitur lingua, precetur ut interpretetur.*

Ex prædictis infert hortationem, ut prophetiæ donum ad Ecclesiæ bonum ambiant, In eumque finem, ut qui donum linguæ incognitæ habet, precetur, ut etiam habeat donum interpretandi illam linguam.

Vers. 14. *Nam si precer lingua, Spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa.*

Ratio 7. Si Deum alloquatur quisquam publicè precando linguâ ignotâ perperam facit, quia licet ipse orans intelligat, audientibus tamen & non intelligentibus infructuosus erit precantis intellectus; & multò magis perperam facit, qui publice homines alloquitur linguâ non intellectâ: Ergo inferius est donum linguarum dono prophetiæ.

Vers. 15 *Quid est igitur? precabor Spiritu, sed precabor etiam intelligentia: Psallam Spiritu, sed psallam etiam intelligentia:*

Hinc hortationem deducit, Quia ex his qui linguarum exoticarum dono instruebantur, alii miraculosè differendi de mysteriis divinis facultate pollebant, alii facultate precandi valebant, alii linguis illis exoticis psallebant, alii denique gratiarum actiones concipiebant, & diversa erant hæc dona & ad diversa; omnia hæc ita exerceri jubet, ut ab audientibus intelligantur: nam si oret quis Spiritu seu ex Spiritus dono, quid proderit Ecclesiæ, nisi oret etiam intelligentia, id est ita ut auditores intelligant.

Vers. 16. *Quandòquidem si benedixeris Spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas nescit.*

Hoc confirmat & addit rationem octavam ab incommodo: Quia quando aliquis per donum Spiritus benedicit, illi qui privatorum locum occupant in Ecclesia, id est, reliqui auditores in cœtu non poterunt sua vota conjungere aut comprecari, vel Amen dicere, nisi cognita linguâ loquatur.

loquatur, non ſic in prophetia res ſe habet, ubi omnia, linguâ cognitâ proferuntur: Ergo, &c.

Verſ. 17. *Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alius non ædificatur.*

Cauſam reddit, Quia auditores in Eccleſia non intelligunt, nec ædificantur, etiam ſi id quod dicitur, excellentiſſimum ſit.

Verſ. 18. *Gratias ago Deomeo, quòd magis quàm vos omnes linguis loquar.*

Verſ. 19. *Sed in Eccleſia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios inſtituam, quam decem millia verborum linguâ.*

Ratio 9. Ab exemplo ſuo, qui dono linguarum erat inſtructiſſimus, & tamen malebat pauciſſima verba proloqui, quæ intelligerentur ab auditoribus, quam plurima in lingua populo incognita. Ergo præſtantior eſt prophetia dono linguarum.

Verſ. 20. *Fratres, ne eſtote pueri intelligentia: ſed malitia pueri, intelligentia verò adulti eſtote.*

Ratio 10. Præcepto veſtita: Quod hic abuſus doni linguarum exoticarum ſine utilitate audientium, ſit puerilis & ſtolida oſtentatio, quum deceat eos pueros quidem agere, reſpectu innocentiæ, non verò cognitionis.

Verſ. 21. *In Lege ſcriptum eſt, Propterea per diverſæ linguæ* homines, *& alia labra loquar populo huic: & ita quoque me non audient, dicit Dominus.*

Verſ. 22. *Linguæ igitur ſunt ſignum, non iis qui credunt, ſed infidelibus: prophetia verò non infidelibus, ſed credentibus.*

Ratio 11. Ex *Iſaiæ* 28. 11. & *Jer.* 5. 15. Quia loqui linguis non intellectis in Eccleſia, pro comminatione pœnæ infidelitatis à DEO ponitur, prophetia vero fidelibus ædificandis inſervit: faceſſant igitur ex Eccleſia linguæ non intellectæ, & præferatur prophetia.

Verſ. 23. *Itaque ſi eòdem convenerit tota Eccleſia, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem idiotæ vel infideles, nonne dicent vos furere?*

Ratio 12. A ſcandalo vitando: Infideles, vel privatæ conditionis

professores, alienabuntur à fide, dicentque & præconem & populum insanire, siteratur tempus publico cultui dicatum in sermonis incognitæ auditione: Ergo inferius est donum linguarum dono prophetiæ.

Vers. 24 *Sed si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiam, aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.*

Vers. 25. *Et ita occulta cordis ejus manifesta fiunt, atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, renuntians Deum verè in vobis esse.*

Ratio 13. A speciali fructu, qui sequuturus erat, si missis linguis exoticis, omnes Prophetæ scilicet (nam Fideles omnes in Ecclesia esse Prophetas negavit, *Cap.* 12. *vers.* 29.) prophetaverint, id est, Prophetarum oracula, & doctrinam in ædificationem populi proposuerint; In hoc casu enim, si infidelis aliquis ingrediens, vel privatus Christianus ex auditoribus unus, audiat prophetantes, arguitur peccati, & condemnatur ex sententia Legis ab omnibus prophetantibus, & latentia in corde ipsius peccata ipsi aperiuntur, quæ ubi videt auditor, & simul Dei gratiam, in Euangelio patefactam à Prophetis observat; procidit in faciem, Deum adorat, & seriò testimonium dat de Dei præsentia cum Prophetis in Ecclesia: Ergo præstantior est Prophetia dono linguarum.

Secunda Pars.

Vers. 26. *Quid igitur est, fratres? quoties convenitis quisque vestrûm canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.*

Altera pars Capitis, in qua præcepta dat de ἐυταξία, septem: Primum est, ut si Spiritus suggesserit alicui ex Prophetis piam aliquam cantionem ad Dei laudem, vel doctrinam aliquam, vel linguæ exoticæ expressionem in usum Ecclesiæ, vel revelationem rei futuræ, aut mysterii non prius observati, vel interpretationem linguæ exoticæ, vel Scripturæ; præcipit ut exercitium horum omnium disponatur ad Ecclesiæ ædificationem, ut omnes abeant ex conventu auctiores quam accesserant.

Vers. 27. *Sive lingua quis loquitur*, fiat *per binos, aut ad plurimum ternos, & vicissim: unus autem interpretetur.*

Vers. 28. *Quod si non sit interpres, taceat in Ecclesia* qui loquitur lingua, *sibiipsi verò loquatur & Deo.*

Præceptum

Præceptum 2. Ut ex iis qui linguarum dono instructi erant, in uno conventu non loquantur plures quam duo aut tres, idque ordine, alius post alium, & non nisi adesset interpres aliquis, qui exponeret dicta: alioqui silendum erat illis in Ecclesia.

Vers. 29. *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & alii dijudicent.*

Præceptum 3. Ut Prophetæ ordinarii, id est, Pastores loquantur in uno conventu, duo vel tres, de quorum doctrina reliqui Prophetæ judicent examinantes eam ad regulam Verbi.

Vers. 30. *Quod si quid alii patefactum fuerit assidenti, prior taceat.*

Præceptum 4. Si (ut illis temporibus usu venire poterat) aliquis alius Propheta Spiritu afflatus, extra ordinem audiri cupiebat, jubet ut prior taceat, ut tempus alteri concedatur, ad loquendum.

Vers. 31. *Potestis enim sigillatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant.*

Rationes præcepti subjungit quinque: 1. Quia in tali casu plures, imo omnes Prophetæ audiri poterant (non hîc intelligit promiscuè Fideles, sed Prophetas, & quidem Spiritu extra ordinem afflatos) in quo casu omnes audiendi erant, ordine tamen servato.

Ut omnes] Ratio 2. Quia sic promoveri poterit cognitio, & consolatio Ecclesiæ, & ipsorum etiam Prophetarum, si plures per vices audiantur.

Vers. 32. *Et Spiritus prophetarum Prophetis subjiciuntur.*

Ratio 3. Quia Spiritus prophetarum examinandi & dijudicandi sunt à reliquis prophetis, qui de auditis postea ferre poterant sententiam, utrum quis tempestivè alterum interpellaverit, & an verbo DEI consentaneum fuerit, quod ab eo prolatum est, ideoque non erat periculum si prior loquens cederet modestè interpellanti, & sic plures ordine loquerentur. Cum Prophetis defert judicium de Spiritu, seu doctrina quam Propheta à Spiritu profert, non excludit homines spirituales, id est, reliquos Ecclesiæ gubernatores, qui in spiritualibus cognoscendis ac dijudicandis eruditi sunt, quales debent esse omnes in Senatu Ecclesiastico: his enim, *vers.* 37. unà cum Prophetis, seu Verbi Ministris præcipit, ut pro Ecclesiastica suâ autoritate agnoscant, & defendant istam doctrinam

in Ecclesia sua, ut secundùm eam de immorigeris judicent & statuant.

Vers. 33. *Non enim est seditionis* author *Deus, sed pacis, ut in omnibus Ecclesiis sanctorum.*

Ratio 4. Quia alioqui oriretur tumultus, dum plures scilicet loquerentur, qui DEO odiosus est: Ordine ergo alius post alium in Casu prædicto, loquatur. *Vt in*] *Ratio* 5. Quia sic usu receptum est in omnibus Sanctorum Ecclesiis, & idcirco sic inter ipsos fieri debet, ut alius post alium ordine loquatur.

Vers. 34. *Mulieres vestræ in conventibus sileant: nec enim permissum est eis ut loquantur, sed imperatur ut subditæ sint, sicut & Lex dicit.*

Præceptum 5. Quo prohibet ne mulieres loquantur in Ecclesia, *hoc est*, doceant publicè vel quæstiones agitent, quia subjectio naturalis sexus fœminei Verbo DEI sancita, *Genes.* 3. 16. illud exigit.

Vers. 35. *Quod siquid discere volunt, domi suos viros interrogent, nam turpe est mulieribus in conventu loqui.*

Ut occurrat objectioni, domi jubet eas discere privatim à maritis suis, vel aliunde, quod publicè scisciari voluissent, additâ aliâ ratione præcepti, quod sit indecorum mulierem loqui in Ecclesia.

Vers. 36. *An à vobis sermo Dei profectus est: an ad vos solos devenit?*

Quia ægrè laturos sciebat sciolos, se cancellis horum præceptorum concludi, cohibet respondaturos quatuor modis: 1. Ostendendo, quod isti qui his præceptis se non subjiciunt, ita se gerant, quasi se Apostolis æquarent, à quibus prodiit CHRISTI voluntas in mundum: 2. Quod ita se gerant quasi soli sint Christiani, ad quos missi sint Apostoli, & ad quos solos judicium de ordine & decoro pertineat.

Vers. 37. *Siquis videtur Propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, esse Domini mandata.*

Tertiò affirmando hæc præcepta esse DOMINI, & jubendo, ut non solùm illi qui in Ecclesia verè Prophetæ sunt, vel verè spirituales, id est, qui tales sunt, & officio & merito, agnoscant ea divina esse, sed etiam ut qui propter officium & dona quædam Spiritus, sibi videntur esse Prophetæ, vel spirituales, seu eruditi in spiritualibus discernendis, vel qui pro talibus habentur

habentur in Ecclesia, propter præfecturam suam in rebus spiritualibus curandis, agroscant secundùm officii sui rationem scilicet, hæc præcepta pro Divinis, & per consequens, ut in contemptores horum præceptorum, judicium Ecclesiasticum exerceant, ut in eos qui DEO sunt rebelles. Quod autem nomine spiritualium insigniebantur Ecclesiasticæ disciplinæ præfecti patet, *Galat. 6. 1.* & *1 Cor. 12. 1.* ubi Ecclesiastica omnia officia & dona, nomine spiritualium comprehendit.

Vers. 38, *Qui verò ignarus est, ignarus esto.*

Quartò, Contemnendo judicium affectatæ ignorantiæ, & post præceptum jam datum Ecclesiæ Gubernatoribus, ut illi agnoscant hæc præcepta Divina, relegando ignaros, & contemptores horum præceptorum, ad Disciplinæ Moderatores; ut secundum judicium Apostoli, & Ecclesiæ suæ judicantis secundùm regulam Apostoli, suo periculo ignorent, vel contemnant hæc præcepta.

Vers. 39. *Itaque fratres, hoc ambite, ut prophetetis, & loqui linguis ne prohibete.*

Præceptum 6. Usum ostendens superioris doctrinæ: ut omni ratione foveant, & ambiant donum Prophetiæ, sed citra contemptum aut neglectum linguarum.

Vers. 40. *Omnia verò decenter & ordine fiant.*

Præceptum 7. Ut decorum observetur in personis ad publicum conventum Ecclesiæ accedentibus, & in rebus ad publicum cultum necessariis: ut omnia cum gravitate, & modestia, sine superstitione, & sordibus peragantur; & partes cultus Divini inter se ita ordinentur, & temporibus suis disponantur, ut DEI gloriæ, & ædificationi Ecclesiæ inserviant maximè.

Caput decimumquintum.

Articulus nonus de Resurrectione.

Nonus Epistolæ articulus, de Resurrectionis doctrinæ confirmanda, quam aliqui inter ipsos in dubium vocabant.

Capitis tres sunt partes. In prima confirmat Corinthios in fide Euangelii, & nominatim articuli de Resurrectione Christi, ad vers. 12. *In secunda, confirmat resurrectionis corporum nostrorum doctrinam, ad* vers. 35. *In tertia refutat objectiones adversus hanc fidem, ut fideles confirmati constantiores sint, ad finem.*

Vers.

Vers. 1. *Ecce porrò vobis declaro, fratres, Euangelium quod euangelizavi vobis, & quod accepistis, in quo etiam statis.*

Quod ad primam attinet, Quia per resurrectionis negationem Euangelium totum subverti sciebat, primo confirmat Corinthios in fide Euangelii in genere, tacitè monens, ne ab illo deficiant, adhibitis quinque argumentis: Argumentum primum. Ego vobis Euangelium constanter prædicavi: Ergo firmiter tenete meam doctrinam.

Accepistis] Arg. 2. Vos per fidem veritatem jam recepistis: Tenete ergo eam.

In quo statis] Arg. 3, Tenuistis hanc doctrinam hactenus, & etiamnum eam profitemini: Tenete ergo.

Vers. 2. *Per quod etiam, si retinetis quo sermone vobis euangelizaverim, servamini: nisi si frustrà credidistis.*

Arg. 4. Per hoc Euangelium salutem estis consequuturi, nisi fides vestra fuerit hypocritica: Tenete ergo

Vers. 3 *Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundùm Scripturas:*

Vers 4. *Et sepultum fuisse, & excitatum tertio die, secundùm Scripturas:*

Arg. 5. Confirmans etiam præcedens: Quia quod prædicatum est, & à vobis creditum de CHRISTI morte & resurrectione, *&c.* Divinitus revelatum est: Tenete ergo.

Christum] Deinde specialiter confirmat ipsorum fidem: Primo, de morte CHRISTI pro peccatis nostris, quia secundum Scripturas prædicatur & creditur: 2. De sepultura CHRISTI, quia etiam secundum Scripturas creditur; & denique de resurrectione CHRISTI confirmat ipsorum fidem octuplici Testimonio: Primum testimonium est Scripturarum.

Vers. 5. *Et visum fuisse Cephæ, deinde duodecim illis.*

Vers. 6. *Postea visus est amplius quam quingentis fratribus semel, ex quibus plerique manent usque adhuc, quidam autem obdormierunt.*

Vers. 7. *Postea visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus.*

2. Testimonium

2. Testimonium est Petri Apostoli qui redivivum CHRISTUM viderat.
3. Testimonium est duodecim Apostolorum simul congregatorum.
4. Testimonium est quingentorum Fratrum, quorum multi tum vivebant.
5. Testimonium est Jacobi.
6. Testimonium est Apostolorum omnium, qui secunda vicè omnes simul CHRISTUM redivivum viderunt.

Vers. 8. *Ultimo verò omnium, velut abortivo visus est etiam mihi.*

Vers. 9. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quòd persequutus sum Ecclesiam DEI.*

Vers. 10. *Sed gratia Dei sum id quod sum: & gratia ejus erga me non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum* est.

7. Est ipsius Pauli Testimonium, quod etiamsi ab aliquibus elevari posse videbat, propterea quod post CHRISTI obitum, & abitum in Cœlum, subitò quasi fœtus abortivus ipse extrusus esset in lucem Euangelii, simul etiam, quod propter vitam præcedentem in naturæ statu, minimus Apostolorum censeri merito posset: gratiæ tamen in se collatæ respectu, ostendit suum Testimonium comparari posse cum Testimonio reliquorum: quia gratia DEI tantò clarius erga ipsum quam erga alios Apostolos manifestabatur, quanto ipsius conversio, reliquorum Apostolorum conversione mirabilior fuit, & quanto gratia DEI, operatione in ipso, & per ipsum, & ipsius amplissimos labores in Euangelio testatior, & illustrior erat illâ, quæ in aliis Apostolis se exeruit, effectorum respectu: Hujus excellentiæ laudem totam, in solidum tribuit DEI gratiæ, sibi verò nullam gloriæ partem.

Vers. 11. *Et ego igitur & illi ita prædicamus, & ita credidistis.*

Testimonium 8. Est consensus Pauli & reliquorum Apostolorum in prædicatione resurrectionis CHRISTI, quibus omnibus testimoniis, suam fidem pro Sigillo appenderant Corinthii.

Secunda

Secunda Pars.

Vers. 12. *Quòd si Christus prædicatur ex mortuis excitatus esse, quomodo dicunt quidam inter vos non esse resurrectionem mortuorum?*

Secunda pars Capitis, in qua probat doctrinam resurrectionis ipsis prius traditam, veram esse, & dogma negantium resurrectionem esse falsum. Thesis proponitur hoc versu: argumenta ad probationem affert 15. quorum septem priora ducuntur ab absurdo septuplici.

Vers. 13. *Nam si resurrectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus.*

Primum argumentum, & absurdum primum; Ex ipsorum dogmate sequitur CHRISTUM non resurrexisse, Falsum ergo est: nam inter CHRISTUM caput & fideles qui membra sunt, ea est connexio, ut negata resurrectione horum, negetur etiam illius resurrectio, & contra.

Vers. 14. *Quòd si Christus non est excitatus, inanis videlicet est prædicatio nostra, inanis autem est etiam fides vestra.*

2. Absurdum & Arg. 2. per consequens, Sequitur prædicationem Apostolorum inanem esse, ex ipsorum dogmate: falsum est ergo.

Vana] Absurdum 3. & Arg. 3. sequeretur (inquit) fidem vestram inanem esse, Ergo falsum est dogma: nisi enim CHRISTUS resurrexisset, neque justitia, neque vita æterna, neque ulla alia resurrectionis CHRISTI effecta, expectanda essent.

Vers. 15. *Reperimur autem etiam falsi testes Dei, quoniam de Deo testificati sumus, eum excitasse Christum; quem non excitavit, si videlicet mortui non excitantur.*

Absurdum 4. & Arg. 4. Sequeretur nos falsum testimonium dixisse, non tantùm de CHRISTO, sed etiam de DEO suscitatore CHRISTI, qui suscitator CHRISTI non est, si resurrectio non est. Ergo falsum est eorum dogma.

Vers. 16. *Nam si mortui non excitantur, Christus quoque non est excitatus.*

Ratio est, Quia si doctrina resurrectionis nostræ falsa est, etiam & doctrina de resurrectione CHRISTI falsa est, nec consistere potest.

Vers. 17. *Quòd si Christus non est excitatus, inanis est fides vestra: adhuc estis in peccatis vestris.*

Absurdum

Absurdum 5. & Arg. 5. Sequeretur etiam ex eorum dogmate, præter fidei vestræ vanitatem vos adhuc in peccatis jacere, sine redemptione, falsum est ergo: nam nisi redemptus resurrexerit, redemptio nulla est, nec tolluntur peccata.

Vers. 18. *Nempe & qui obdormierunt in Christo perierunt.*

Absurdum 6. & Arg. 6 Sequeretur ex eorum dogmate qui negant resurrectionem Sanctos demortuos periisse: Ergo falsum est.

Vers. 19 *Si in hac solùm vita speramus in Christum, miserrimi omnium hominum sumus.*

Absurdum 7. & Arg. 7. Sequeretur ex eorum dogmate Christianos esse omnium hominum miserrimos: Quia non tantùm in vita futura, per hunc errorem præciditur illis spes beatitudinis, sed etiam in vita præsenti, quia seipsos volentes religionis causa, stolidissimè plurimis incommodis objiciunt & commoditatibus privant, si resurrectio futura non esset: falsum ergo & absurdum est dogma negantium resurrectionem.

Vers. 20 *Nunc autem Christus excitatus est ex mortuis: & primitiæ eorum qui obdormierunt factus est.*

Arg. 8. Ut primitiæ pignora sunt & arrha messis futuræ, ita CHRISTI resurrectio pignus & arrha est resurrectionis sanctorum demortuorum omnium.

Vers. 21. *Quia enim per hominem mors, per hominem quoque resurrectio mortuorum.*

Arg. 9. Quia non minus convenit DEI bonitati & sapientiæ, filios gratiæ omnes restituere à morte per CHRISTUM hominem, quam convenit justitiæ & sapientiæ ejus, per hominem Adamum, mortem intromittere in omnes filios naturæ, & contra, sicut per Adamum mors fuit, sic per CHRISTUM resurrectio à mortuis futura est: Vera ergo nostra doctrina de resurrectione.

Vers. 22. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur,*

Arg. 10. Quia sicut in Adamo mortui sunt omnes ejus posteri, Primo, judicialiter & tandem facto, Ita in CHRISTO omnes ipsius filii seu liberi, id est, fideles, judicialiter resurrexerunt, & tandem facto resurgent: Par enim ratio est sententiæ judicis, & executionis sententiæ utrobique.

Vers. 23. *Unusquisque autem suo ordine: primitiæ Christus, postea qui sunt Christi in adventu ipsius.*

Arg. 11. Quo etiam occurrit quæstioni: Cur CHRISTO suscitato, mortui illi qui sunt CHRISTI, nondum resurrexerint: responsio est & argumentum undecimum, oportere ordinem à DEO constitutum observari, id est, ut primum CHRISTUS instar primitiarum resurgeret, & postea messis Christianorum per CHRISTUM, in secundo ejus adventu: CHRISTUS (ut primitiæ) resurrexit primus, Ergo ejus membra, id est, omnes fideles (ut messis reliqua) resurgent.

Vers. 24. *Deinde erit finis, quum tradiderit regnum Deo ac Patri: quum aboleverit omne imperium, & omnem potentiam & virtutem.*

Hoc argumentum declarat, ostendendo ex instituto DEI, duo connexa esse tempore cum fine mundi, Traditionem regni scilicet à FILIO, in manus PATRIS, & Abolitionem omnis imperii, potentiæ & virtutis adversariæ: Cujus loci hic est sensus, Postquam CHRISTUS prostraverit, & evacuaverit omnes adversarias potestates, ut DIABOLUM, mundum, reliquasque, cujuscunque demum ordinis fuerint, etiam eas potestates abolebit, eousque ut ipsius membris non poterint quicquam mali inferre, omnibus in infernum detrusis scilicet: deinde Ecclesiam omnibus numeris absolutam, quæ dicitur CHRISTI regnum à PATRE ipsi datum, præsentabit CHRISTUS, & in manus quasi tradet PATRI: Tertiò, regnandi modum, per media quæ jam adhibet in Ecclesia colligenda, & gubernanda deponet, quasi jam perfunctus officio MEDIATORIS: Quartò, Peractis omnibus quæ Ipsi peragenda commissa erant à PATRE, commissum etiam sibi regnum, in omnia quæ in mundo sunt, ad Redemptionis opus peragendum, Regnum (inquam) mediatorium tradet, & resignabit DEO suo, secundùm humanitatem, & PATRI suo, secundùm Divinitatem, non ut desinat immediatè regere, sed ut cesset, mediatè, & sic regere ut prius: non ut desinat cum PATRE regnare, sed ut cesset tanquam deputatus à PATRE regnare, cum hostibus conflictari, aut laboriosam, seu tumultuosam provinciam in colligenda Ecclesia ampliùs administrare; alioquin enim regni ejus non est finis, imò verò glorioſior erit quam nunc est, regnandi ratio, cum devictis adversariis, sine Ministerio Angelorum vel Hominum, unà cum Patre & Spiritu, luce, dilectione, vita, & virtute suâ immediate implebit, & gubernabit omnes suos.

Vers. 25.

Vers. 25. *Nam oportet eum regnare usque quo omnes inimicos subjecerit pedibus ejus.*

Vers. 26 *Ultimus autem hostis aboletur mors.*

Arg. 12. Confirmans sensum datum, oportet CHRISTUM regnare, donec aboleat omnes hostes suos, & mortem ut hostem ultimum. Ergo abolebit mortem, & per consequens erit resurrectio.

Vers. 27. *Nam omnia subjecit sub pedes ejus. Quum autem dicit omnia esse ei subjecta, palam est* hoc dici *excepto eo qui subjecit ei omnia.*

Ne quis cavilletur in voce *Omnia*, excipit DEUM è numero *Omnium* subjiciendorum CHRISTO, quia DEUS est qui reliqua omnia, præter seipsum, CHRISTO subjicit.

Vers. 28 *Postquam verò subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subjicietur ei qui subjecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus.*

Quod porro illustrat, Quia tradito & deposito regno CHRISTI meditatorio, ut jam dictum, ipse FILIUS est subjiciendus DEO, qui subjecit Ipsi omnia, ut DEUS sit omnia in omnibus, id est, CHRISTUS qua Homo, depositâ legatione Mediatoriâ, manifestabit plenissimè omnia quæ per se, ut hominem, facta sunt, DEI potentiâ, authoritate, & nomine facta esse, seque qua Homo est, Patre minorem esse, & cum corpore suo, seu Ecclesia in æternum adunatum, PATRI subjectum esse; ut mediatione, & mediis, & instrumentis, & adjumentis quæ nunc adhibentur remotis, DEUS Triunus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, immediate omnibus Sanctorum necessitatibus subveniat, & virtute sit *omnia media* in omnibus Sanctis, omninoque omnium mediorum, instrumentorum, & adjumentorum necessitatem plenissimè præsentiâ suâ immediatâ, in perpetuum, ab omnibus Sanctis depellat: quorum omnium vicem plus quam supplebit; & ipse erit, virtute & effectu, plus quam omnia illa, & quæcunque desiderari possunt alia ad felicitatem felicissimam, in omnibus Sanctis.

Vers. 29. *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non excitantur, & cur baptizantur pro mortuis?*

Arg. 13. Ad probandam resurrectionem futuram, in hunc sensum: Nisi resurrectio futura sit mortuorum, quem fructum reportabunt illi qui afflictionibus persecutionis merguntur, pro mortuis aliquibus, *id est*, pro

Christo, & Sanctis demortuis, quorum resurrectionem defendentes Christi resurrectionem jam factam, & Sanctorum omnium futuram profitentur & defendunt. (Ita enim Verbum *Babtizari* sumitur; *Marc.* 10. 38. & Præpositio *pro*, *Act.* 9. 16) absurdum autem est Martyrium patientes pro defensione resurrectionis mortuorum, frustrari spe suâ: Ergo erit resurrectio.

Vers. 30. *Et cur nos periclitamur omni momento?*

Arg. 14. Confirmans sensum præcedentis argumenti: Si absurdum non videtur operam ludere alios Martyres, absurdum existimabunt saltem omnes Christiani, nos Apostolos etiam operam ludere, qui prædicantes & sperantes resurrectionem mortuorum, in continuis vitæ periculis versamur: Ergo resurrectio erit.

Vers. 31. *Indies morior, per gloriationem nostram, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro.*

Hoc argumentum confirmat suæ experientiæ testimonio, seriò affirmans, quam certò gloriabantur ille, & Corinthii in Christo, tam certò se indies aliam atque aliam quasi mortem obire pro Euangelio, in nova capitis pericula indies conjectum.

Vers. 32. *Si secundùm hominem adversus bestias pugnavi Epheſi, quæ mihi utilitas, ſi mortui non excitantur? Edamus & bibamus? cras enim morimur.*

Vers. 33. *Ne errate: Mores bonos commercia corrumpunt mala.*

In specie profert exemplum periculi notabilis, in pugna cum bestiis Ephesi, in simplici sensu, & sicut homines accipiunt hanc phrasin ordinariò; damnare enim ad bestias usitatum erat mortis genus, quo etiam affectos fuisse Christianos constat ex historiis: hoc periculum adiisse Apostolum quid opus fuisset? quid juvisset, nisi resurrectio speranda & defendenda fuisset?

Comedamus] Arg. 15. Si mortui non resurgunt, optima esset gulosa Epicureorum religio, *edamus, bibamus, cras moriemur*, sicut aliqui inter ipsos porci jam grunnire incipiebant: At hoc absurdum. Ergo mortui resurgent. Vice assumptionis vetat: 1. Ne attendant putidis ejusmodi loquutionibus, quæ ipsos possent, vel falsa doctrinâ, vel vitiosis moribus inficere.

Vers. 34. *Evigilate justè, & ne peccate: quidam enim Deum non norunt, ad pudorem vobis* incutiendum *loquor*

Deinde

Deinde insinuando authores hujus erroris & fautores inter eos, stertere in ignorantiâ DEI, & in intemperantia cum corporali tum spirituali, hujus mundi voluptatibus inebriatos, idcirco hortatur ut justè expergiscantur, id est, ut qui ad rem suam satis attenti erant, & sibi placebant in acumine suo, excutiant socordiam, ingeniumque ad res bonas, & sanctas convertant potiùs, interim ut pudendum omnibus objiciens quod ferrent atheos illos erroris hujus doctores.

Vers. 35. *At dicet aliquis, quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt?*

Tertia pars capitis, in qua solvit tres objectiones adversariorum: Prima, Videtur impossibile ut resurgant mortui: quomodo enim fiet? Objectio 2. Describere nemo poterit quali corpore sint resurrecturi: Objectio 3. *vers* 51. Quid fiet viventibus in adventu DOMINI, illi enim quia non morientur, non poterunt resurgere?

Vers 36. *Demens, quod tu seminas, non vivificit, nisi mortuum fuerit.*

Ad primam objectionem: Respondet, non esse impossibilem resurrectionem mortuorum, quia semen quotannis moritur, & quasi resurgit.

Vers. 37. *Et quod seminas, non corpus orturum seminas, sed nudum granum, prout inciderit, tritici aut alicujus ex reliquis granis.*

Vers. 38. *Sed Deus ei dat corpus ut voluit, & singulis seminibus suum corpus.*

Ad secundam objectionem, Respondet, corpora substantiâ eadem, sed qualitate diversa resurrectura: id confirmat quatuor modis: Primùm exemplo granorum, sicut granum nudum, aridum, durum, *&c.* suscitatur in substantiâ, & specie idem, sed qualitatibus diversum, sic etiam corpora substantiâ eadem, sed qualitatibus diversissima resurgent.

Vers. 39. *Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò piscium, alia vero volucrium.*

Secundò, A pari exemplo carnium: Sicut DEUS potest producere, & quotidie producit non tantùm diversa semina, sed etiam, carnes diversas specie, nam omnis caro non est ejusdem speciei, sic carnem eandem ejusdem hominis potest resuscitare, & qualitates ejus mutare.

Vers. 40. *Et sunt corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia verò terrestrium.*

Vers. 41.

Vers. 41. *Alia gloria Solis, & alia gloria Lunæ, & alia gloria Stellarum, stella enim à stella differt in gloria.*

Vers. 42. *Ita & resurrectio mortuorum*: seminatur *corpus corruptioni obnoxium, excitatur incorruptibile*:

Vers. 43. *Seminatur ignominiosum, excitatur gloriosum*: *seminatur infirmum, excitatur potens.*

Vers. 44. *Seminatur corpus animale, excitatur corpus spirituale*: *est corpus animale, & est corpus spirituale.*

Tertiò, Apari stellarum & corporum terrestrium differentia: Sicut DEUS Cœlestia corpora Cœlesti, & terrestria terrestri gloriâ formata ornavit, & Cœlestia corpora à se invicem gloriâ differentia constituit, ut in sole, luna, & stellis est videre; sic etiam in resurrectione corpus, resurgens gloriâ differet à corpore cadente, sicut incorruptibile à corruptibili, decorum à fœdo, potens ab infirmo, & spirituale ab animali; *animale* corpus dicitur quod ab anima, animantium more, per media ciborum, elementorum, *&c.* vegetatur; *spirituale* verò corpus, quod retinens animam, à Spiritu DEI sustentatur sine mediis, sicut Angeli.

Vers. 45. *Ita etiam scriptum est, Factus est prior homo Adam anima vivens: posterior autem Adam factus est Spiritus vivificus.*

Ultimam hanc differentiam corporis animalis & spiritualis repetitam explicat, & probat, (quia phrasis durior videri posset,) ducendo nos ad primum Adamum, ut ad origenem primi status in corpore animali, & ad CHRISTUM, secundum Adamum, ut ad originem secundi status in corpore spirituali, & comparat hos duos tripliciter: Prima comparatio, est in statu oppositio corporis animalis & spiritualis: Primus Adam factus est in animam viventem, non vivificantem, quæ vitam quidem haberet, sed sustentatam ut in aliis animantibus, cibo, potu, *&c.* Non vero quæ vitam continuaret corpori sine alimentis; Sed CHRISTUS ultimus Adam factus est in Spiritum vivificantem, qui virtutem posset sus, per Spiritum suum communicare, ut sine alimentis corporis, animæ cum corpore unio felicissima conservari possit.

Vers. 46. *At spirituale non est prius*: *sed animale, deinde spirituale.*

Secunda comparatio in ordine; Primus Adam tempore præcessit in naturali seu animali statu corporis; Secundus Adam posterior fuit in spirituali,

tuali statu corporis: imperfectior enim status debuit præcedere, sic enim solet DEUS progredi ad perfectissima. Non dicit quod simpliciter Adam sit prior CHRISTO, sed quod animalis status primi Adami, sit tempore prior in Adamo, in CHRISTO & in nobis. Spiritualis verò status qui est à CHRISTO, posterior est.

Vers. 47. *Primus homo è terra, pulvereus: secundus homo, ipse Dominus è cælo.*

Tertia comparatio in ordine & dignitate personæ: *Primus homo*, merus homo, de terra terrenus est, cujus corpus de terra ortum, & in terram resolutum est, & subtractis alimentis necessariò resolvendum erat, unde nobis nihil aliud præter terrenam vitam communicari poterat; *secundus Adam* verò, & homo est & Deus de cœlo, qui licet corpus de terra habeat, quia tamen etiam Deus est de Cœlo, eoque nomine cœlestis dicitur, sicut corpus suum (alioqui natura sua terrenum & in pulverem resolubile) potuit conservare, ne videret corruptionem, & sicut ex sepulchro suscitatum, Immortale seu Cœleste, terrenorum subsidiorum minimè indigum, & omni ex parte glorioſum reddidit: Sic similiter etiam corpora nostra poterit talia reddere.

Vers. 48. *Qualis pulvereus, tales & qui pulverei, & qualis ille cælestis, tales & cælestes.*

Ex his probat futuram mutationem qualitatum corporis, à terrenis qualitatibus ad Cœlestes; ab animalibus ad spirituales, quatuor argumentis.

Argumentum primum, Qualis erat terrenus Adam, princeps generis nostri, secundùm carnalem propagationem, tales nos ex terreno natos esse oportet, nempe mortales: Ergo qualis Adam Cœlestis, (princeps noster secundùm regenerationem & glorificationem,) post resurrectionem est, nempe spiritualis, glorioſus, incorruptibilis, immortalis, tales nos ab eo regenitos post resurrectionem esse oportet.

Vers. 49. *Et sicut gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem Cælestis.*

Arg. 2. De certitudine quod hoc sit futurum: Quam certò gestavimus imaginem primi Adami, in substantiæ qualitatibus, conformes ei facti animo, & corpore tam certo imaginem geremus secundi Adami, in substantiæ qualitatibus glorioſis.

Vers. 50.

Vers. 50. *Hoc autem dico, fratres, carnem & sanguinem non posse regni Dei hæreditatem consequi, neque corruptionem consequi incorruptæ naturæ hæreditatem*,

Arg. 3. Promissiones de nostris corporibus glorificandis, seu de nobis in regnum DEI glorioſum introducendis, compleri oportet. At caro & sanguis, hoc est, corpora nostra, ut nunc sunt corruptibilia, regnum DEI ingredi, seu in regnum glorioſum introduci non possunt, nisi aptata ad Cœlestem illum statum: Ergo corpora nostra mutatis qualitatibus aptabuntur, ut in regnum gloriæ ingrediantur.

Corruptio] Hanc rationem confirmans addit Arg. 4. Corruptio seu corruptibile non poterit hæreditate consequi, & possidere incorruptibilitatem: Ergo necesse est ut corpora in qualitatibus mutentur à corruptibilitate ad incorruptibilitatem:

Vers. 51. *Ecce, mysterium vobis dico, Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur.*

Objectio 3. Quid fiet viventibus in adventu DOMINI? Quomodo resurgent, qui non morientur, sed vivi comperientur à Judice in ejus adventu? Respondet aperiendo mysterium: nempe non omnes morituros, nec omnes resurrecturos, sed excipiendos esse eos, qui superstites sunt futuri in adventu DOMINI, qui mutabuntur omnes in statum immortalem perpetuò duraturum, vel in gloria, vel in cruciatibus, quæ mutatio futura est vice mortis & resurrectionis.

Vers. 52. *Momento & ictu oculi, ad ultimam tubam (canet enim tuba) & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur.*

Modum ostendit, quod mutatio hæc futura sit in ictu, vel in ictu oculi, hoc est, momento, omnibus vivis & mortuis horrendo classico citatis ad DEI judicium.

Vers. 53. *Oportet enim hoc corruptioni obnoxium induere incorruptam naturam, & mortale hoc induere immortalitatem*,

Hujus mutationis duas reddit rationes: Prima, Quia oportet mortalitatem absorberi ab immortalitate, & mortale corpus induere immortalitatem: Ergo mutabuntur qui vivi comperientur in adventu DOMINI.

Vers. 54.

Vers. 54. *Quum autem hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptam naturam, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet illud quod scriptum est, Absorpta est mors ad victoriam.*

Vers. 55. *Ubi tua, O mors, victoria? ubi tuus, O sepulchrum, stimulus?*

Ratio 2. Quia oportet impleri vaticinium Prophetæ *Hoseæ*, *Cap.* 13. *vers.* 14. qui plenam victoriam de morte & sepulchro reportandam prædixit: Ergo mutationem patientur vivi in adventu DOMINI, quæ vicem mortis supplebit.

Vers. 56. *Stimulus verò mortis est peccatum: vis autem peccati, Lex.*

Ut hæc victoria major appareat, insinuat victoriam reportandam esse etiam de peccato & Lege, absque quibus nihil posset in nos sepulchrum, nihil mors; nam nisi Legi satisfiat, manet peccatum, manet ira, manet mors. Postquam autem Legi est satisfactum pro nobis, tollitur ira & peccatum, quo solo ut aculeo armatur mors, ad lethalem punctionem nobis infligendam: exarmata autem mors, triumphatur & aboletur.

Vers. 57. *Sed Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Hujus victoriæ duplicem usum ostendit: primus est, ut gratiæ agantur DEO, qui per CHRISTUM concessit nobis victoriam in mortem, peccatum, & Legem, imò verò CHRISTI victoriam imputavit nobis, & fecit nostram, nam pro nobis mortuus est, & pro nobis per resurrectionem, victoriam de morte consequutus est, ut nos victores redderet.

Vers. 58 *Itaque, fratres mei dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.*

Alter usus hujus doctrinæ est, ut sub spe præmii gratuitò donandi, in die resurrectionis, constantes perseveremus in fide Euangelii, & gnaviter incumbamus fructibus fidei ferendis, quia in resurrectione retribuet nobis DOMINUS, quod apud homines deperditum est, videlicet operum bonorum præmium.

Caput decimumsextum.

Ultimi Capitis tres sunt partes: in prima continetur ultimus Epistolæ articulus, de collecta in usum pauperum Judæorum faciendâ, ad versum 5. In secunda habetur Conclusio, continens res magna ex parte familiares, ad vers. 19. In tertia salutationes Sanctorum commemorantur, ad finem.

Vers. 1. *PORRO de collecta in Sanctos, quemadmodum constitui Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.*

Quod ad collectam attinet; fames prædicta ab Agabo, *Act.* 11. 28. & simul persecutio, urgebant Ecclesias in Judæa degentes, quapropter hortati sunt Apostoli qui Hierosolymis agebant, Paulum & Barnabam, ut collectam fieri curarent inter gentes, ad necessitates pauperum Judæorum sublevandas, *Galat.* 2. 20. de hac collecta hîc agit, jubens, ut Die Dominico, quo Christiani omnes vacabant à laboribus, & publicè conveniebant ad DEI cultum, in ærarium publicum singuli per se conferrent, absque pompa, pro uniuscujusque facultate.

Rationes suasionis sunt sex: Prima ratio ab exemplo aliarum Ecclesiarum, nominatim earum quæ erant in Galatia, quibus idem officium incumbebat, eademque præcepta data sunt.

Vers. 2. *Primo quoque die hebdomadis unusquisque vestrûm apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate lucrifecerit; ne cum venero, tunc collectæ fiant.*

Ratio 2. Quia nihil requiritur quod ipsis sit grave vel iniquum, sed ut singulis septimanis semel, tempore & loco ad rem opportuno, quisque conferat pro suæ prosperitatis (quam à DEO obtinuerit) mensura; facilis autem erat ratio qua collecta fieret publicè diebus Dominicis, & tamen singuli apud se, id est, nemine de summa conscio, eleemosynam seponerent, nempe si judicaverimus imitatos esse exemplum veteris Ecclesiæ in collectis faciendis, posita cista perforata in aditu domus, in qua ad DEI cultum conveniebant.

Ne cum venero] Ratio 3. Quia ipse ad eos venturus erat, cogniturus de ipsorum obedientia: Hîc etiam habetur ratio 4. Ne si rem neglexerint, vel distulerint, imparati inveniantur, cum Apostolus venerit, & tempore minus idoneo collectam faciant, majori cum difficultate & dispendio.

Vers. 3

Vers. 3. *Postquam autem accessero, quoscunque probaveritis per Epistolas, hos mittam, ut perferant beneficentiam vestram in Hierusalem.*

Ratio 5. Objectioni occurrens, quia ne metus sit de collectâ rectè impendendâ, Ecce deferendam Hierosolymas, collectam committam solis probatis viris, à vobisipsis eligendis, quos ego unà vobiscum mittam cum Epistolis.

Vers. 4 *Quòd si res digna fuerit ut, & ipse proficiscar, mecum proficiscentur.*

Ratio 6. Quia res hæc adeo mihi est cordi, ut paratus sim non modo legatos vestros per Epistolam commendare Ecclesiis quæ sunt in Judæa, sed si operæ pretium futurum fuerit, etiam cum iis quibus negotium commiseritis, proficisci ipse statui.

Secunda Pars.

Vers. 5. *Veniam autem ad vos quum Macedoniam transiero. (Macedoniam enim pertransibo.)*

Vers. 6. *Apud vos autem fortasse permanebo, aut etiam hybernabo: ut vos me prosequamini quocunque proficiscar.*

Vers. 7. *Nolo enim vos nunc in transcursu videre: sed spero temporis aliquantum mansurum* me *apud vos, si Dominus permiserit.*

Secunda pars Capitis est Epilogus Epistolæ, continens magna ex parte res familiares, quæ etiam ad Corinthiorum ædificationem spectabant: Articuli hujus conclusionis sunt sex; Primus articulus de ipsius ad eos adventu, cujus spem facit, *vers.* 5. & suæ apud eos commorationis, in amicitiæ mutuæ confirmandæ, & ipsorum consolationis occasionem, si voluerit Deus, *vers.* 6, 7.

Vers. 8. *Permanebo autem Ephesi, usque ad Pentecosten.*

Vers. 9. *Nam ostium mihi apertum est magnum, & efficax, & adversarii multi.*

Cur differat adventum, & Ephesi porrò subsistere cogitet, usque ad Festi Judaici tempus, quod in eum usque diem observabant Judaizantes, rationes reddit duas: 1. Quia Deus apertum ostium magnum, seu occasionem amplam & paratam, multos lucrifaciendi, seu ad Euangelium convertendi obtulerat, & laboribus ipsius perspicuè benedicebat,

quod vocat *ostium efficax*: Altera ratio, quia propter adversariorum turbam ipsius præsentia maximè requirebatur, & Satan ipso absente multùm nocuisset.

Vers. 10. *Quòd si venerit Timotheus, videte ut tutò sit apud vos: opus enim Domini operatur, ut & ego.*

Vers. 11. *Ne quis igitur illum pro nihilo habeat: sed prosequimini eum cum pace, ut veniat ad me: expecto enim eum cum fratribus.*

Articulus 2. In quo studiosè commendat ipsis Timotheum, si ad ipsos veniet, tanquam chariſſimum filium suum, (qui filius dicitur Apostoli, quia in Euangelio prædicando insistebat vestigiis Apostoli, DEO sanctè serviens, sicut Ille) ut eum ab injuriis tutarentur, honorificè tractarent, deducerent revertentem, custodirent à periculis in via, ut ad se salvus reverteretur.

Vers. 12. *Porrò de Apollo fratre multum precatus sum eum, ut iret ad vos cum fratribus: sed omnino non fuit ei voluntas nunc venire: venturus est autem cum tempus opportunum habuerit.*

Articulus 3. In quo ne ægrius ferrent Corinthii, quod Apostolus dum ipse veniret, non miserit Apollo Euangelistam, hominem ipsis familiarem, qui rigaverat plantationem Apostoli inter ipsos, purgat se, quod per se non steterit, quominus venerit, sed spem facit interim ipsius adventus, cum occasio opportuna oblata fuerit.

Vers. 13. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, estote fortes.*

Vers. 14. *Omnia vestra cum charitate fiant.*

Articulus 4. In quo hortatur ad officia Christianorum militum quinq; 1. Ut etiamsi neque ipse, neque Apollo venturus fuerit, interea perpetuas excubias agant, ne Satan socordes, vel terrenis curis inebriatos, incautos opprimat: 2. Ut in fide constantes sint, doctrinæ veritatem firmiter tenentes, & CHRISTO per fidem agglutinati: 3 Ut se viros præstent in omni certamine adversus adversarios fidei & salutis suæ: 4. Ut in DEI virtute animi robur colligant, ne fracti malis unquam succumbant: 5. Ut rerum omnium cum Ecclesiasticarum, tum civilium, inter se moderatricem statuant charitatem, publicæ utilitati in omnibus servientes.

Vers. 15. *Precor autem vos, fratres, nostis familiam Stephanæ esse primi-*

esse primitias Achaiæ, & sese in ministerium sanctis addixisse:

Vers. 16. *Ut & vos subjiciamini talibus, & omnibus operam suam conferentibus & laborantibus.*

Articulus 5. In quo commendat illis Stephanam cum familia ejus, quæ in Diaconatus munere exequendo ipsum adjuvabat, ut in honore habeant ipsum & familiam ipsius: Primò, Quia inter primos nomina dederant CHRISTO: 2. Quia ultro suum servitium obtulerant Ecclesiæ Corinthiacæ in Diaconatu, idque ordine observato, qui in Diaconis constituendis requirebatur, sicut verbi vis insinuat: rogat igitur Apostolus, ut his subjecti, honorem debitum, seu convenientem ipsorum ministeriis exhibeant: Subjectionem hìc non tam politicam, respectu muneris, quam moralem intelligit, qua reverentes & obsequentes nos præbemus iis, qui virtute præstant; interim non excludimus subjectionem quæ muneris causa debetur diaconis, qui una cum reliquis presbyteris res Ecclesiasticas administrant, in quibus rebus Stephanas cum familia sua serviebat.

Vers. 17. *Gaudeo verò de adventu Stephanæ Fortunati & Achaici, quoniam absentiam vestram hi suppleverunt.*

Vers. 18. *Refecerunt enim spiritum meum ac vestrum. Agnoscite itaque qui sunt hujusmodi.*

Articulus 6. In quo laudat missionem trium fratrum à Corinthiis ad se, quia vices Corinthiorum in ipsius visitatione suppleverant; *Refocillasse* dicuntur *Spiritum* & Apostoli & Corinthiorum, quia sicut gratum fecerant Corinthiis qui eos miserant, sic & Apostolo etiam ad quem missi sunt, quapropter æstimari vult tantò pluris & hos, & similes ipsorum.

Tertia Pars.

Vers. 19. *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ, Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla, cum Ecclesia quæ est domi ipsorum.*

Vers. 20. *Salutant vos fratres omnes. Salutate alij alios osculo sancto.*

Tertia pars capitis, in qua post salutatos Corinthios: 1. Nomine Ephesiorum & reliquarum Ecclesiarum in Asia: 2. Nomine Priscillæ & Aquilæ & familæ ipsorum, versu 19. 3. Nomine fratrum comitum suorum, qui in ipsius consortio degebant. Jubet, prout orientalibus mos erat, ut se invicem salutantes osculo, sicut nos dextrarum conjunctione,

sine

sine dolo aut dissimulatione, sanctè id præstent, & reliqua mutuæ dilectionis signa.

Vers. 21. *Salutatio manu mea Pauli,*

Deinde Epistolam hanc ab amanuensi descriptam, cum salutatione sua, manu propria obsignat, ut genuina cognoscatur; Quia enim ipsius temporibus fictæ erant Epistolæ Apostolorum nomine, 2 *Thess.* 2. 1. Idcirco opus erat ut signo aliquo, Ecclesiis manifesto, discernerentur.

Vers. 22 *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema maran-atha.*

In Epistolæ clausula, osoribus & inimicis CHRISTI occultis, & apertis, maledicit Apostolica authoritate, idque usitatis extremæ execrationis vocibus; hac enim solenni formulâ, *Maranatha*, id est, DOMINUS venit, Ecclesia testata est se omnibus officii sui partibus erga virum ejusmodi perfunctam esse: Deinceps ab eo de communi consilio abstinere, eumque DEI judicio extremo, seu adventui DOMINI, ut deploratæ inter homines spei, permittere; Interim Apostolus his verbis non excommunicat hypocritas ab externa societate Ecclesiæ, sed minatur extremum exitium, nisi resipiscant.

Vers 23 *Gratia Domini Iesu Christi sit vobiscum.*
Vers. 24. *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu. Amen.*

Denique post Apostolicam benedictionem, pro authoritate sua Corinthiorum Ecclesiæ applicatam, specialem amorem suum erga eos significat, ut apud se statuere possent, omnia quæ in hac Epistola descripta sunt, sive in ipsorum reprehensionem, sive exhortationem, à dilectione profecta esse.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA
Epistolæ *Pauli* Posterioris, ad *Corinthios*,

Summarium.

NON caruerat prior Epistola suo fructu apud Corinthios plerosque, sed erant tamen aliqui, præsertim vaniloqui Doctores, qui perstiterunt in sua contumacia, & Apostoli authoritatem non tantùm ipsi contempserunt, sed etiam publicè ausi sunt se cum illo comparare, & seipsos illi præferre, Apostolique dignitatem cum detrimento Euangelii, apud populum quantum poterant imminuere. Hos ut compesceret, & omnia in Corinthiorum Ecclesia melius constituta inveniret in suo adventu, scripsit hanc secundam Epistolam, quæ tota ferè apologetica est.

Præter exordium & epilogum, Epistolæ tres sunt partes: In prima, postquam removit scandalum crucis sibi impositæ, & suspicionem alienati sui animi à Corinthiis, Cap. 1. & 2. defendit ministerium suum, Cap. 2. & Cap. 3. Suamque in Ministerio constantiam & fidelitatem probat, Cap. 4. & Cap. 5. additâ hortatione ut Ministerii sui fructus ferant, Cap. 6. deque sua in ipsos benevolentia sibi persuadeant, Cap. 7.

In secunda parte Epistolæ hortatur, ut collectam faciant in usum afflictorum, fratrum Judæorum, Cap. 8. & 9.

In tertia parte authoritatem suam vendicat, à contemptu & aspersionibus falsorum doctorum, qui ut Apostolus vilesceret, apud Corinthios laborabant, Cap. 10. & sanctè adversus eos gloriatur, Cap. 11. & 12. Suamque authoritatem formidabilem, simul & amabilem Corinthiis studet reddere, Cap. 13.

Caput Primum.

CApitis *duæ sunt partes præter inscriptionem Epistolæ: In priori removet scandalum crucis & afflictionum, quibus non ita pridem premebatur, ad* vers. 12. *In secunda parte, removet suspicionem alienati sui animi à Corinthiis, ad finem.*

Inscriptio

Inscriptio Epistolæ quæ vicem supplet exordii, vers. 1. & 2. *parandis Corinthiorum animis ad rectè accipiendum quæ scribebat, inservit, quinque in eum finem insinuatis rationibus.*

Vers. 1. *PAulus Apostolus Iesu Christi per Dei voluntatem, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, unà cum sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia:*

Ratio prima: Quia Paulus author Epistolæ, erat Apostolus Iesu Christi, & summæ in Ecclesia authoritatis: Ratio 2. Quia non assumpsit hunc sibi honorem (sicut falsi aliqui fratres mentiebantur se esse servos Christi, cum à Deo non essent missi) sed speciali Dei voluntate consequutus erat hunc honorem. Ratio 3. Quia Timotheum secum testem vocaverat adversus eos, nisi hanc Dei veritatem à se scriptam admitterent. Ratio 4. Quia quod scripturus erat, non ad Ecclesiam Corinthiacam tantùm, sed ad omnes Ecclesias & Sanctos in reliqua Achaia pertinebat, nempe assertam hanc quam scripturus erat veritatem cognoscere.

Vers. 2. *Gratia sit vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Ratio 5. In salutatione, seu benedictione Apostolicâ, comprehensa: Quia Paulus author Epistolæ, dignitatem Ecclesiæ Corinthiacæ, nolebat imminui quovis modo, etiamsi corruptissimos sciret homines, in illius Ecclesiæ societate, non latere tantùm, sed etiam apertè se ipsius Apostoli inimicos prodere: sed Ecclesiam quæ erat Corinthi pro vera Ecclesia constanter habebat, cui pro authoritate sua, Euangelii benedictionem applicare, eique omnia bona comprecari non dubitabat. Idcirco ea quæ scribebat, cum ea animi submissione & benevolentia qua par erat, accipere tenebantur.

Prima Pars.

Vers. 3. *Benedictus Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater inquam ille misericordiarum: & Deus omnis consolationis Author:*

Prima pars Capitis, in qua probat Apostolus Corinthios non debere ipsum, crucis vel miseriarum nomine despicere, idque argumentis duodecim.

Argumentum

Argumentum primum, In mediis afflictionibus compertum habeo DEUM Patrem maximè misericordem, & consolatione omnigenâ abundantissimum, adeo ut causam potiùs habeam benedicendi DEO, quam quærendi de calamitatibus, à DEO immissis. Ergo afflictionum nomine non debetis offendi, vel me despicere.

Vers. 4 *Consolans nos in omni oppressione nostra, ut possimus positos in quavis oppressione consolari, ea ipsa consolatione qua nos ipsos Deus consolatur.*

Arg. 2. Per hanc in afflictionibus experientiam, aptior redditus sum ad consolationem ministrandam aliis afflictis: Ergo non debetis in me offendi, *&c.*

Vers. 5. *Nam sicut abundant perpessiones Christi in nobis, ita per Christum abundat etiam, consolatio nostra.*

Arg. 3. Afflictiones sunt Martyrii pars, & pro Euangelio, seu CHRISTO cum honore mihi inflictæ, ita ut CHRISTI afflictiones dici possint, participativè: Nam quæ Martyribus infliguntur, CHRISTUS sibi imputat, ut *Act. 9. Saul, Saul, cur me persequeris?* Ergo, *&c.*

Nospsos] Arg. 4. CHRISTUS testimonium tulit (ex tempestiva & superabundanti mensura consolationis in meipsum, collatâ in afflictionibus,) ærumnas, quas perpetior, propter Euangelii defensionem inflictas esse mihi: Ergo non debetis, *&c.*

Vers. 6. *Sive autem premimur, id fit pro vestra consolatione ac salute, quæ efficitur in tolerantia earundem perpessionum, quibus & nos afficimur: sive consolationem accipimus, id fit pro vestra consolatione ac salute: & spes nostra firma est de vobis:*

Arg. 5. Illæ afflictiones, & similiter consolationes tendebant ad utilitatem Corinthiorum, qui in fide confirmari, & variis modis ædificari ad salutem, & nominatim consolationem capere, per experientiam Apostoli poterant: Ergo non debebant in Apostoli cruce offendi.

Quæ agit vel efficaciter producit.] Arg. 6. Quia salus Corinthiorum efficaciter promovenda erat, per ejusdem generis afflictionum tolerantiam, per quas afflictiones, ut per viam, ad gratis datam salutem, ipsis contendendum erat: Ergo tenebantur Corinthii Apostolum propter afflictiones, quas patiebatur minimè despicere.

Et spes] Arg. 7, Spes certa est de vobis quod neque sitis nos despe-

cturi, neque afflictiones quas perpetiemini male laturi; Tenemini ergo, nostram de vobis spem non frustrare.

Vers. 7. *Quòd sciamus vos sicut socii estis perpessionum, ita etiam socios fore consolationis.*

Arg. 8. Novi vos & consortes factos esse nostarum afflictionum per sympathiam, & consortes futuros consolationum nostrarum: Ergo tenemini, nos ob afflictiones quas perpetimur minimè despicere.

Vers. 8. *Non enim volumus vos ignorare fratres, de oppressione nostra quæ nobis evenit in Asia, nos summè gravatos fuisse suprà vires, adeò ut prorsus animi penderemus etiam quòd ad vitam,*

Vers. 9 *Sed ipsi apud nos decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobisipsis, sed in Deo qui mortuos excitat:*

Vers. 10. *Quique ex tanta morte liberavit, & liberat, in quo speramus nos adhuc etiam liberatum iri:*

Arg. 9. A speciali exemplo & nupera sua experientia in Asia, Tantùm abest, ut me pudeat afflictionum mearum, ut cupiam earum magnitudinem ab omnibus intelligi, & meam etiam in illis infirmitatem, ut Deus magis glorificetur: Ergo non debetis me ob afflictiones despicere. Afflictionis magnitudinem, & suam infirmitatem manifestat in eo, quod in Ephesino tumultu, de quo *Act.* 19. 23. vel simili aliquo periculo, inops fuerit consilii, quomodo vitæ periculum evaderet, ut qui intus, & in animo suo certam mortem expectabat.

Ne confideremus] Arg. 10. Didici ex hac experientia & similibus, mihi ipsi diffidere, & Deo soli inniti, qui ex præsentissima morte eripere potest morientes, & mortuos etiam excitare, in quem etiam finem, Deus me in periculum conjecit: Ergo non debetis meam afflictionem despicere.

Speramus] Arg. 11. Experientiâ hac nuperâ, & similibus, excitavit in me Deus firmam spem, de liberatione mea in tempore futuro, etiam si in novas calamitates inciderem: Ergo ob præteritas afflictiones non debetis me despicere.

Vers. 11. *Vobis etiam unà pro nobis operam conferentibus ad deprecandum, ut donum ex multis personis in nos collatum, per multos celebretur gratiarum actione pro nobis.*

Arg. 12.

Arg. 12. Quia cognitio periculi & liberationis excitatura erat Corinthios inter alios ad precandum pro ipso, & sic ad impetrandum à Deo ipsius liberationem in futuro, & per consequens etiam ad gratiarum actionem ampliorem, per multos Deo reddendam: Quibus argumentis consideratis non poterant Corinthii Paulum ob afflictiones quas passus erat, contemnere, saltem non debebant in eo offendi.

Secunda Pars.

Vers. 12. *Nam gloriatio nostra hæc est, testimonium videlicet conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo, potissimùm autem apud vos.*

Secunda pars Capitis, in qua suspicionem alienati sui à Corinthiis animi (quam excitasse, & frivolis argumentis fovisse videntur ipsius adversarii pseudapostoli) removet, & probat non debere eos suspicari morum ipsius mutationem, aut animum ab ipsis alieniorem, idque sex argumentis, post quæ solvit objectiones quæ contrà afferebantur ab adversariis, duas vel tres.

Argumentum primum, In quo simul reddit rationem, cur ipsius salus debeat omnibus esse commendata, & simul probat se eundem manere quem Corinthii experti erant, tot mensium probatione, quot ipse inter eos commoratus erat; In simplicitate & synceritate sancta, constanter ita me gessi, ut qui Deo & conscientiæ meæ, & omnium hominum me probaverim. Ergo non est quod suspicemini morum meorum, aut affectus erga vos mutationem.

Non cum] Arg. 2. Confirmans superius. Fons conversationis meæ erat gratia Dei, quæ sibi similis & constans est, & non vertipellis illa prudentia, quâ carnales homines suorum commodorum causâ simulant erga alios studium, quo planè destituuntur. Ergo non suspicandum vobis est de meorum morum, aut affectus erga vos mutatione.

Vers. 13. *Non enim alia scribimus vobis quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis. Spero autem vos etiam ad extremum agnituros:*

Confirmat quod dixit, & simul addit Argumentum tertium: Quia facta ipsius scriptis & dictis respondebant (in quo taxare videtur adversarios qui aliter se gerebant, ut etiam in superiori argumento) quod

probat testimonio ipsorum Corinthiorum, qui licet susurris adversariorum aliquantulum turbarentur, agnoscebant tamen ipsius sinceritatem & constantiam, & porro postea erant agnituri, ut sperabat: Non ergo suspicandum siniſtrè quicquam de morum ipsius mutatione.

Vers. 14 *Sicut & aliquatenus agnovistis nos gloriationem vestram esse, quemadmodum & vos nostra estis, in diem Domini Iesu.*

Arg. 4. Quia aliqua ex parte (etiamsi non ea confidentia contra Pseudapostolos qua decuit) gloriabantur Corinthii se ab Apostolo conversos fuisse, & Apostolus gloriabatur de iis, ut de Apostolatus sui fructu, & gloriaturum porro se sperabat in die Judicii: Ergo nulla causa suspicionis de alienatione animi ipsius ab iis.

Vers. 15. *Itaque hac fiducia prius volui ad vos venire, ut secundam gratiam haberetis:*

Vers. 16. *Et per vos transire in Macedoniam, & rursum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.*

Arg. 5. Quia ipsi propositum firmum stabat proficiscendi ad Corinthios in mutuæ benevolentiæ fiducia, ut conversionis primum beneficium cumularet, confirmatione fidei, tanquam secundo beneficio; & ut indicia benevolentiæ ipsorum erga se ab iis, in officiis quæ enumerat, etiam acciperet ad dilectionis mutuæ incrementum: Non ergo suspicandum, &c.

Vers. 17. *Hoc igitur quum deliberarem, nunquid levitate sum usus? aut num quæ delibero, secundùm carnem delibero, ut sit apud me Etiam & Non?*

Arg. 6. Per solutionem objectionis propositum: Adventum meum ad vos distuli diutius quam voluissem, non ex levitate animi in vos mutati, sed ut posteà patebit, ex dilectione erga vos, ut vobis parcerem, quos censuris Ecclesiasticis castigare oportuisset, si ad vos prius veniissem. Non ergo suspicandum est, alienatum meum à vobis animum esse. Objectio proponitur iis terminis quibus adversarii ipsum calumniabantur, quasi vanum, & levem, instar irregenitorum & carnalium loquentem, & promittentem quæ non statuerat præstare, sicut qui leviter promittunt, & leviter mutant consilium, cujus neque dictis, (& per consequens)

Iquens) neque doctrinæ constiterit certitudo aliqua, & cui idcirco fides non erat adhibenda.

Vers. 18. *Imò fidelis Deus* novit *sermonem nostrum apud vos non fuisse Etiam & Non.*

Respondet objectioni, & quia plus cavet ne doctrinæ imputetur quicquam, quam ne ipsius famæ derogetur, respondet primum de doctrina, & confirmat ejus veritatem quinque rationibus: Ratio prima: Quia cum doctrina ipsius fuerit DEI verbum, veram fuisse necesse erat: quia DEUS verus & fidelis est, cujus dictata solùm apud eos docebat, non vero modò affirmans, modò negans idem, sicut qui sibi non constant, modo *etiam*, modo *non*. Idcirco de veritate doctrinæ, non erat illis dubitandum.

Vers. 19. *Nam Dei filius Iesus Christus, qui inter vos per nos prædicatus est, id est, per me & Sylvanum ac Timotheum, non fuit Etiam & Non, sed fuit Etiam in ipso.*

Ratio 2. Nihil aliud continebat mea doctrina, & collegarum meorum quam unum IESUM CHRISTUM, qui est DEI filius immutabilis, & æterna semper sibi constans veritas. Ergo de doctrina mea non est dubitandum.

Vers. 20. *Quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt Etiam, & in ipso sunt Amen, ad Dei gloriam per nos.*

Ratio 3. Confirmans superiorem. Omnes DEI promissiones in CHRISTO & per CHRISTUM sunt ratæ, immutabiles, & completa: partim quatenus est Filius DEI, per quem omnia facta sunt: partim quatenus est Mediator διαθηκης, qui promissam redemptionem nostri complevit, & merito suo impetravit, ut bona promissa præstentur nobis, & reipsa nobis applicat. Ergo prædicatio nostra quæ nihil aliud continet, necessario firma est, nec de ea dubitandum.

Ad Dei gloriam] Ratio 4. Sicut promissiones DEI sunt *etiam* & *Amen* in CHRISTO, id est, ratæ & completæ reipsâ; sic ut *etiam* & *Amen*, id est ratæ & completæ esse agnoscantur, & prædicentur per nos, vel à nobis, ad gloriam DEI facit, qui non nisi in CHRISTO promissiones suas compleri vult: Ergo tam firma est prædicatio nostra, quam certa est DEI glorificandi ratio in CHRISTO, nec de ea dubitandum.

Vers. 21.

Vers. 21. *Porrò qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos,* Deus est.

Vers. 25. *Qui etiam obsignavit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.*

Ratio 5. DEUS author est hujus fidei nostræ in CHRISTUM, confirmans & nostram Apostolorum prædicationem, & vestram Corinthiorum, (quotquot synceri estis) fidem, partim communicando Spiritus dona varia, quasi unctionem à CHRISTO, partim sigillum suum quasi nostræ fidei vicissim intus appendendo, dum certos reddit de Evangelii veritate, & gaudium excitat ineffabile & glorioſum, quod est quasi arrha futuræ felicitatis: Ergo prædicatio nostra firma est, nec de ea dubitandum est.

His omnibus argumentis pensitatis, nulla ratione suspicari poterant Corinthii quod prædicationi Apostoli tot modis divinitus confirmatæ, quicquam fallitatis aut incertitudinis subesse potuerit, atque ita occurrit objectioni, quatenus ad doctrinæ veritatem labefactandam tendebat.

Vers. 23. *Ego verò testem Deum invoco in animam meam, me* idcirco *nondum venisse Corinthum, ut vobis parcam.*

Jam solvit objectionem, quatenus ipsius æstimationem & mores attingebat, causam veram cur non venerit ad eos reddendo, nimirum ut dato resipiscentiæ spatio, Corinthiis parceret, id est cohiberet se à severiori ipsorum tractatione, quam præsens exercere coactus fuisset; & dictum juramento confirmat, quia sic rei gravitas exigebat, non ergo levitate morum distulerat promissum suum ad eos adventum.

Vers. 24. *Non quòd dominemur vestræ fidei, sed* quòd *administri simus gaudij vestri, nam fide statis.*

Hinc oritur alia objectio: Ergo te ut Dominum fidei nostræ ostentas, quasi punire posses quando vis? Respondet negando dominium, & affirmando ministerii potestatem, eamque ad bonum Ecclesiæ accommodandam, ut tempestivis censuris, pro CHRISTI voluntate adhibitis, resipiscentes, tandem gauderent. Negati dominii in fidem ipsorum, rationem reddit, quia fides est vinculum conjunctionis cum CHRISTO, per quam fidem, in gratia DEI, in jure & titulo ad CHRISTUM, in possessione præsentium, & in spe futurorum bonorum stamus, idcirco fides non admittit.

admittit Dominum ullum præter DEUM, homines vero admittit duntaxat, ut Ministros DEI.

Caput Secundum.

Capitis duæ sunt partes: in prima pergit apologiam texere, de constanti voluntate sua erga Corinthios, ad versum 14. *In altera inchoat apologiam pro ministerio suo, ad finem.*

In prima, superioribus argumentis ad probandum animum suum à Corinthiis minimè alienatum, addit indicia benevolentiæ suæ in eos, octo.

Vers. 1. *HOc autem mihi faciendum judicavi; ne rursus ad vos cum tristitia veniam.*

Indicium primum, Quod causa mutati consilii, de adventu suo ad eos fuerit, ne tristitiam afferret Corinthiis, in adventu suo coactus severius ipsorum mores castigare, quos emendatos cupiebat prius quam veniret.

Vers. 2. *Nam si ego tristitia vos afficiam, quis est qui exhilaret me, nisi ipse qui tristitia afficitur ex me.*

Indicium 2. Quod tanta fuerit ipsi cum Corinthiis sympathia, ut nequiret nisi ipsis hilaribus gaudere, nec temperare sibi à tristitia, quamdiu quisquam inter eos per eum contristatus maneret.

Vers. 3. *Et hoc ipsum vobis scripsi, ne, quum venero, tristitiam capiam ex iis de quibus oportebat me gaudere: confisus de vobis omnibus, meum gaudium, omnium vestrum* gaudium *esse.*

Indicium 3. Quod ipsa scriptio, non tantùm superioris Epistolæ, sed etiam hujus secundæ Epistolæ, eo fine suscepta fuerit, ne si veniset ad eos, & impænitentes comperisset præter tristitiam de ipsorum peccato, coactus fuisset accersere sibi novam tristitiam, quam necessaria severitas illis, & sibi ipsi esset creatura.

Confisus] Indicium 4. Quod persuasum habuerit, gaudium suum ipsis etiam Corinthiis gaudii materiam fuisse, & ipsorum gaudia sibi & illis communia esse.

Vers.

Vers. 4. *Nam ex multa oppressione & anxietate cordis, scripsi vobis per multas lacrhymas: non ut tristitia afficiamini, sed ut cognoscatis charitatem quam habeo abundantissimam erga vos.*

Indicium 5. Quod superior Epistola, quæ necessario asperior erat, non sine lachrymis ab ipso exarata fuerit, & eo quidem fine, ut testatam faceret suam erga eos propensissimam voluntatem, non ut eos tristitia afficeret.

Vers. 5. *Quòd si quis tristitiam attulit, non mihi tristitiam attulit, sed quadantenus (ne illum aggravem) vobis omnibus.*

Indicium 6. Benevoli sui animi erga Corinthios, Quod Apostolus nihili fecerit tristitiam quam incestuosus ipsi creaverat, præ mærore illo quem accersiverat omnibus Corinthiis; Addit (*Ex parte*) quia tristitia hæc jam conversa erat in gaudium, per resipiscentiam incestuosi, idcirco mitigandi causa se addidisse dicit (*ex parte*) propter incestuosum jam resipiscentem, ne ei jam in se gravato, onus adjiceret, si peccatum nimis aggravaret

Vers. 6. *Sufficit istiusmodi homini ista objurgatio à pluribus profecta.*

Indicium 7. Quod jam paratus sit incestuosum pœnitentem, in gratiam recipere, & sic documentum lenitatis suæ, & mansuetudinis dare, ut appareat priorem severitatem non nisi à dilectione, & studio utilitatis Ecclesiæ Corinthiacæ provenisse. In quem finem hujus incestuosi castigationem, authoritate multorum (id est, Ecclesiæ gubernatorum, conscia & consentiente Ecclesiâ) inflictam, & hactenus incumbentem, postquam jam constabat eum resipuisse sufficere pronunciat.

Vers. 7. *Ut è contrario potius vos* ei *condonetis*, eumque *consolemini*, *ne quo modo redundante tristitia absorbeatur* vir *hujusmodi.*

Ut lenitatem suam erga incestuosum pœnitentem demonstret, suadet ut ab Ecclesia Corinthiaca rursum in gratiam recipiatur, additis sex rationibus.

Ratio prima, Quia tenentur resipiscenti ignoscere offensam, eumque consolari, non minus quam impœnitentem tenebantur excommunicare.

Ne quo] Ratio 2. Quia alioqui periculum erat, ne nimia tristitia absorberetur, nisi jam resipiscentem in gratiam reciperent.

Vers. 8.

Vers. 8. *Quapropter precor vos ut ratam faciatis in illum charitatem.*

Ratio 3. Quia (sic potissimùm rogati ab Apostolo) testatum facere suum erga eum amorem tenentur, ostendendo scilicet se excommunicasse hominem illum, non ut perderent, sed ut per resipiscentiam salvum eum facerent.

Vers. 9 *Nam in hunc finem etiam scripsi, ut cognoscerem probationem vestri*, id est, *an ad omnia obedientes sitis.*

Ratio 4. Quia hoc modo se in omnibus Apostoli dicto obedientes demonstraturi erant, sicut prius in excommunicando, sic etiam nunc, eum ab excommunicationis vinculo solvendo, in quo obedientiam ipsorum probabat Apostolus.

Vers. 10. *Cui verò condonatis, & ego* condono; *nam & ego siquid condonavi, cui condonavi, propter vos id feci, in conspectu Christi, ut ne superemur à Satana.*

Vers. 11. *Non enim illius machinationes ignoramus.*

Ratio 5. Quia Apostolus in gratiam Corinthiorum veniam illi concesserat, & cuivis condonaturus erat; Æquum ergo erat ut illi propter Apostolum huic ignoscerent.

Superemur] Ratio 6. Ne per Satanæ astutiam damnum pateretur Ecclesia, nisi ei jam resipiscenti ignoscerent, nimia enim severitate in desperationem, vel in secessionem ab Ecclesia adduci possent peccatores, per Satanam, cujus artes & doli ad nocendum, non latent Ecclesiam.

Vers. 12 *Porrò quum venissem Troadem ad prædicandum Evangelium Christi, etiamsi ostium mihi apertum erat per Dominum, non habui relaxationem in spiritu meo: eo quòd non invenissem Titum fratem meum:*

Vers. 13 *Sed quum illis valedixissem, abii in Macedoniam.*

Indicium 8. Constantis benevolentiæ suæ in Corinthios, Quod nusquam quiescere potuerit etiam magna spe promovendi Euangelii oblata, ut in Troade, donec ex Tito quem Corinthum miserat de ipsorum rebus cognovisset, cujus conveniendi causa profectus est in Macedoniam, ut certior de rebus Corinthiorum per eum fieret, & an maturum esset adhuc veniendi ad Corinthios tempus, disceret: Quibus omnibus indiciis

propensæ suæ in Corinthios voluntatis, consideratis, Apostolus sibi persuadet remotum iri suspicionem alienati ab iis animi sui.

Secunda Pars.

Vers. 14. *Deo autem gratia, qui facit ut semper triumphemus in Christo: & odorem notitiæ suæ manifestum facit per nos omni in loco.*

Secunda pars Capitis, in qua suum Ministerium, defendit, & commendabile probat, quinque argumentis, obiter insinuans se non fuisse otiosum, sed in opere DOMINI cum fructu occupatum, dum ab eis abesset.

Argumentum primum, Quia ipsius Ministerio CHRISTUS, & ipse in CHRISTO, de hostibus triumphabat, eripiendo ex potestate Satanæ plurimos, eosque adducendo ad fidem Euangelii.

Odorem] Arg. 2. Quia per ipsius Ministerium quicunque tandem fuerit successus, suavitas Euangelii, & efficacia manifestata est ubique locorum, dum CHRISTI cognitio vitam vitalem spirabat, qua vivificati sunt peccatores, & ad DEUM conversi.

Vers. 15. *Nam Christi bona fragrantia sumus Deo in iis qui servantur, & in iis qui pereunt:*

Vers. 16. *His quidem, odor mortis ad mortem: illis verò, odor vitæ ad vitam: & ad hæc quis idoneus?*

Occupando objectionem, quod multis fæterent Apostoli, simul & ipsorum prædicatio, respondet & addit Arg. 3. Quod tamen ipsi Apostoli, cum ipsorum Ministerio, DEO accepti fuerint, & per CHRISTUM gratum odorem DEO obtulerint, non minùs in convictione & perditione reproborum, quibus Euangelium per accidens odor erat mortis, quam in credentium & salvatorum fide & salute, quibus Euangelium erat & natura sua, & effectu proprio, odor vitalis ad salutem.

Quis par] Arg. 4. Quia cum pauci essent idonei & sufficientes Ministri, (ut interrogatio ostendit) quorum Ministerium secundet & acceptet DEUS, ipse erat in numero eorum qui ad hæc quæ dicta sunt, idonei facti sunt; tacitè perstringens Pseudapostolos, qui non erant idonei Ministri ad peccatorum conversionem, quantumvis se Apostolis præferebant.

Vers. 17

Vers. 17. *Non enim, ut plerique, caupónamur sermonem Dei, sed ut ex sinceritate, sed ut ex Deo, in conspectu Dei, de Christo, loquimur*

Confirmat proximum argumentum, apertiùs notans adversarios suos & æmulos, simulque addit Arg. 5. à dissimilitudine sui, & multorum prædicatorum: illi si non admiscebant falsam doctrinam, veræ tamen doctrinæ admiscebant affectus suos, ambitioni & avaritiæ suæ inservientes, & in hominum gratiam doctrinam flectentes: Apostolus verò 1. *In sinceritate*, id est, neque falsam doctrinam, neque pravos affectus admiscens: 2. *Ex Deo*, id est, cum fiducia & authoritate, cognoscens unde veniat: 3. In conspectu DEI, id est, testem adhibens DEUM, & DEI gloriam intuens. 4. In CHRISTO, id est; in CHRISTI virtute, & virtutis ipsius agnitione, loquebatur: Ex quibus sequitur commendabile fuisse ipsius Ministerium, & minimè contemnendum.

Caput Tertium.

Pergit Ministerium suum adversus obtrectatores defendere.

Partes Capitis sunt duæ. In prima probat Ministerium suum commendabile esse, quinque Argumentis, ad vers. 6. In secunda illustrat & confirmat ultimum argumentum, comparatione Ministerii Legalis seu Fœderis Operum, & Euangelici, seu Fœderis Gratiæ.

Vers. 1. *INcipimus rursus nosipsos commendare? num egemus, ut nonnulli, commendatitiis epistolis apud vos, aut à vobis commendatitiis?*

Argumentum primum commendationis Ministerii sui, continens etiam purgationem sui ab inanis gloriæ desiderio.

Adeo perspecta est omnibus Ecclesiis Ministerii mei efficacia, ut opus non habeam à quoquam, vel à vobis, vel ab aliis, ullis literis commendatitiis, neque hæc dico quod inani gloriæ studeam, sed ut in vestrum bonum, Ministerium meum adversus inimicos meos defendam: Ergo commendabile est meum Ministerium.

Vers. 2. *Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus:*

Arg. 2. Quia vestra conversio, O Corinthii, ad fidei professionem, per Ministerium meum, sufficit in conscientia mea & vestra, pro Epistola commendatitia, quæ apud omnes intelligitur & agnoscitur.

Vers. 3. *Dum palàm fit vos esse epistolam Christi subministratam à nobis, inscriptam non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis.*

Arg. 3. Per confirmationem prioris. Quia meum Ministerium fuit efficax, non tantum ut vos adduceret ad professionem fidei, sed etiam ad vestri regenerationem salutiferam, per Spiritus CHRISTI specialem operationem, hoc est quod dicit eos esse Epistolam, quam ipse CHRISTUS, per ejus Ministerium exaravit, scribendo voluntatem suam in ipsorum cordibus, per Spiritum sanctum, multo excellentiori ratione quam scribi solet aliquid atramento, in carta vel tabulis lapideis.

Vers. 4 *Fiduciam autem hujusmodi habemus per Christum apud Deum:*

Vers. 4. *Non quòd idonei simus ex nobismetipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobismetipsis, sed quòd idonei sumus:* id *ex Deo est:*

Arg. 4. Quia ipse, ut fidelem servum decet, hanc gloriandi fiduciam totam acceptam refert non sibi, sed DOMINO suo, JESU CHRISTO, in DEI conspectu.

Quod argumentum illustrat, partim confitendo suam impotentiam naturalem etiam ad cogitandum bonum, seu ad minima initia boni operis, nedum ad convertendum Corinthios, partim agnoscendo gratiam DEI, ut fontem sufficientiæ suæ, quod aptus sit, ad tantam gratiam aliis impertiendam.

Vers. 6. *Qui etiam fecit ut idonei essemus ministri novi Testamenti, non literæ, sed Spiritus, nam litera occidit, Spiritus autem vivificat.*

Arg. 5. Quia ipsius Ministerium est Ministerium novi fœderis, non legis seu fœderis operum. Hoc argumentum confirmat septuplici utriusque Ministerii comparatione.

Secunda

Secunda Pars.

Non literæ] Comparatio prima : Miniſterium legis, ſeu fœderis operum eſt literæ tantum ſcriptæ, vel voce prolatæ, ſine efficacia, ſine omni ſpirituali virtute ad præſtandum quod jubet : Miniſterium verò Euangelii, ſeu fœderis gratiæ per CHRISTUM, eſt Miniſterium Spiritus, quia ſecundum & per illud miniſtratur Spiritus ſanctus, quo vivificatur auditor, & viribus donatur ad amplectendum id quod proponitur.

Occidit] Comparatio ſecunda, confirmans priorem. Miniſterium legis operum, ſeu literæ ſcriptæ, convincit de peccato tantùm, & occidit peccatorem, pronunciando in eum ſententiam mortis. Miniſterium vero Euangelii, ſeu Gratiæ in novo fœdere, oſtendit liberationem à peccato, abſolvit peccatorem, & ſic ei affert vitam.

Verſ. 7. *Quòd ſi mortis miniſterium literis informatum in ſaxis, fuit glorioſum, adeò ut non poſſent intueri filij Iſrael in faciem Moſis, propter gloriam vultus ejus, quæ abolenda erat*,

Verſ. 8. *Quî non potius miniſterium Spiritus erit glorioſum?*

Lapidibus] Comparatio 3. Lex operum miniſtrans tantùm mortem, (nam ſecundum hoc fœdus nemo juſtitiam vel vitam conſequitur) in lapidibus inſculpebatur, ad ſignificandum quod per ipſam cor non emolliatur, non renovetur : ſed mortuum maneat : Euangelium verò gratiæ in carneis tabulis cordis ſcribitur, hoc eſt in cordibus vi Spiritus ſancti, vivificatis & emollitis, ita imprimitur, ut virtus divinæ gratiæ, in omnibus cordis expreſſionibus diſcerni poſſit.

Glorioſum] Comparatio 4. Miniſterium fœderis operum, quod eſt Miniſterium mortis in omnes qui peccarunt, glorioſum quidem erat, ut in Moſe apparuit, (nam etiam in puniendis peccatis glorioſa eſt juſtitia) ſed Miniſterium novi fœderis, quod eſt Miniſterium Spiritus vivificantis, magis eſt glorioſum, nam ùt in Moſe legis maledictionem in peccatores pronunciante, ſplendebat gloria corporalis : in CHRISTI vero facie peccatores ex gratia liberantis, ſplendet O quanta gloria ſpiritualis!

Verſ. 9. *Nam ſi miniſterium condemnationis* fuit *glorioſum, multo magis miniſterium juſtitiæ abundat gloria*,

Comparatio

Comparatio 4. Legis seu Veteris Fœderis Operum Ministerium, est Ministerium condemnationis ob peccatum, & propterea glorioſum quidem: sed Ministerium Euangelii, seu Novi Fœderis, est Ministerium justitiæ CHRISTI, & absolutionis à peccato, & propterea tantò glorioſius, quantò absolutio & justitia, superant condemnationem & peccatum. Quoniam ex Fœdere Operum omnes arguimur peccati, omnes condemnamur, & morti obnoxii reddimur, idcirco ejus Ministerium vocatur Ministerium peccati, condemnationis, & mortis.

Vers. 10. *Etenim quod glorificatum fuit, ne glorificatum quidem fuit hac in parte,* id est, *quod ad superantem gloriam attinet.*

Comparatio 5. Ministerium Legis, licet glorioſum fuerit, tam longè superatur à gloria Ministerii Euangelii seu Gratiæ, ut glorioſum non mereatur dici, sed evanescat prorsus in comparatione, sicut gloria stellarum absorbetur apparente Sole: Euangelii verò Ministerium simpliciter & excellenter est glorioſum.

Vers. 11. *Nam si quod aboletur, fuit glorioſum, multo magis est glorioſum id quod manet.*

Comparatio 6. Ministerium Fœderis Operum, respectu Ceremoniarum annexarum, gloriam temporalis dispensationis tantùm habebat, quia tantisper duraturum erat, dum homines in Ecclesiæ infantia convicti peccatorum, & impotentiæ suæ ad seipsos liberandum, ad CHRISTUM confugere docerentur, & quasi pædagogi manu ducerentur, quæ ratio docendi Ecclesiam jam adultam, & sub splendore Euangelii revelati degentem, tollitur ut inutilis: Ministerium verò Novi Fœderis gloriam habet permanentem, in glorioſum CHRISTI adventum usque.

Vers. 12. *Itaque quum ejusmodi spem habeamus, multa in loquendo evidentia utimur: Nec sumus sicut Moses qui imponebat velamen faciei suæ, ne intuerentur filij Israel in finem ejus quod aboletur:*

Comparatio 7. Ministerium Novi Fœderis planum & perspicuum est, ita ut ejus Ministri, planè & confidenter possint prædicare viam salutis, habentes CHRISTUM jam revelatum, qui venturus olim sperabatur: Ministerium vero legis, ut in typo Mosaicæ ministrationis apparebat, obscurum erat, & typis involutum.

Imponebat] Hanc comparationem persequitur ad finem Capitis, posteriorem

riorem ejus partem illustrans, ad versum ultimum, in hunc sensum. Moses Minister Legis aversus à Tabernaculo, ab Altari, ab Arca, & Propitiatorio, facie velata alloquens populum significabat, & typicè referebat Legalis Fœderis Operum, ejusque Ministerii à CHRISTO separati naturam, & figurabat etiam cæcitatem populi sub Legali Fœdere, quia CHRISTUM non cernebant finem esse legis, & Ceremoniarum temporalium jam abolitarum.

Vers. 14. *Itaque occaluerunt mentes illorum, nam usque ad* diem *hodiernum, in lectione Veteris Testamenti manet non retectum velamen illud, quod per Christum tollitur:*

Vers. 15. *Sed ad hunc usque diem quum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est:*

Observat Apostolus quod cœcitas etiam nunc cernatur in Judæis, qui dum Vetus Testamentum legunt, nihil præter velum Ceremoniarum vident, quia velum Ignorantiæ & Infidelitatis manet super mentes eorum, quod velum, per typum veli externi faciem Mosis obtegentis repræsentatum, in CHRISTO aufertur ab omnibus fidelibus, qui in CHRISTO sunt; nam justitia, vita, virtus, & omnis denique gratia & gloria, in lucem profertur, & fidelibus communicatur in CHRISTO: verùm super corda incredulorum Judæorum, hoc velum manet huc usque.

Vers. 16. *Postquam autem conversum fuerit ad Dominum, tolletur velamen.*

Spem facit conversionis Judæorum, quando per DEI gratiam cor Israelitarum, vel Mosis doctrina jam velata convertetur ab iis ad DEUM, id est, referetur secundum suam typicam significationem ad CHRISTUM, qui finis est Legis: tum velum Ignorantiæ, & obscuritatis Ceremoniarum auferetur ab iis, sicut ablatum est velum à facie Mosis, quando introiit ad DEUM inter cherubinos sedentem; ut perspicuè Dominum DEUM suum, & Salvatorem videant CHRISTUM, eumque verum esse Legis totius finem agnoscant.

Vers. 17. *Dominus verò Spiritus ille est: ubi autem Spiritus ille Domini illic libertas.*

Hujus ratio redditur, quia: 1. CHRISTUS est Spiritus, seu anima Ceremoniarum omnium, utpote res spiritualis per illas significata: 2. CHRISTUS est etiam Spiritus seu anima Legis Moralis, quia est

Legis

Legis complementum, in quo solo perfecta Legis justitia reperitur: 3. CHRISTUS est Spiritus, quia vivificat credentes in novam obedientiam, & vitam æternam, eosque à peccato & miseria liberat: nam cum dicitur, *Ubi Spiritus Christi Domini est, seu ubi Christus est, ibi libertas*, intelligenda est libertas, non ab obedientia Præceptorum, sed à Jugo Ceremoniali, à servitute Peccati, & Jugo Fœderis Legalis, omniumque malorum quæ ex ipsius violatione sequuntur; libertas inquam fidelibus datur per Spiritum Euangelii, saltem quod ad jus attinet, licet non semper quoàd sensum, nec unquam ante vitæ finem, quoàd plenam possessionem: licet enim altà voce proclamet Spiritus, apertam nobis esse januam, ut ex carcere exeamus, nos tamen propter fidei imbecillitatem segniter eximus. Atque hæc est explicatio primæ partis comparationis de Ministerio Legis.

Vers. 18. *Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut a Domini Spiritu.*

Sequitur alterum membrum comparationis de Ministerio Euangelii in credentibus, quod in hunc sensum proponitur. Nos verò qui per Ministerium Euangelii credimus in CHRISTUM, remoto velo Ceremoniarum & ignorantiæ; remoto velo infidelitatis, & duritiei cordis, liberè admittimur ad perspicuè conspiciendum CHRISTUM, & gloriam gratiæ DEI in illo, lucentem in Euangelio, ut in speculo; & fide intuentes CHRISTUM, sanctificamur, & magis magisque beati reddimur in conformitate cum CHRISTO, aucti indies per gradus, ab una mensura gloriæ, seu sanctitatis in aliam, idque per potentem operationem SPIRITUS Sancti. Sanctificatio vocatur gloria, quia sanctificatio initium est glorificationis, per eam enim reparatur DEI in nobis imago, quæ nostra gloria est.

Caput

Miſterium ſuum pergit defendere. Capitis duæ ſunt partes, In prima probat ſuam in Miniſterio fidelitatem, ſeu ſinceritatem, ſeptem Argumentis, ad verſum 6. In ſecunda, confirmat ſeptimum Argumentum, ſolvendo objectiones de ſcandalo Crucis ſibi incumbentis, ad finem.

Verſ. 1. *PRopterea quum miniſterium hoc habeamus, prout miſericordiam conſequuti ſumus, non ſegneſcimus:*

Argumentum primum, Conſcientia adeo glorioſi Miniſterii mihi cōmiſſi ex miſericordia DEI, efficax redditur ad ſuſtinendum me, ne ſuccumbam malorum oneri in munere meo fungendo, utque invictus pergam, pro menſura gratiæ mihi datæ. Hinc ergo apparet me ſincerum eſſe & fidelem. Modeſtiæ cauſa adjungit alios, ſed ipſe in certamine potiſſimùm ab adverſariis petebatur.

Verſ. 2 *Sed abdicavimus turpitudinis tegumenta, non incedentes cum calliditate, neque falſantes ſermonem Dei, ſed declaratione veritatis commendantes noſipſos apud omnem conſcientiam hominum, in conſpectu Dei.*

Arg. 2. Renunciavi ambitioni, avaritiæ, cæteriſque pudendis affectibus, quibus aliqui clam indulgentes, tegunt hoc dedecus ſuum in latebris, ſub aliis atque aliis velis & prætextibus. Ergo ego fidelis ſum.

Non cum] Arg. 3. Non ambulavi in aſtutia doloſè tractans DEI Verbum, vel illud ad hominum affectus inflectens & attemperans, ut Pſeudapoſtoli faciunt. Fidelis ſum igitur.

Declaratione] Arg. 4. Tam candidè me geſſi, in perſpicua prædicatione Verbi DEI, ut cogantur omnium hominum conſcientiæ, meam integritatem agnoſcere, cujus rei teſtem etiam DEUM habeo: Fidelis ergo ſum.

Verſ. 3. *Quòd ſi tectum eſt Euangelium noſtrum, iis qui pereunt, tectum eſt:*

Verſ. 4. *In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes*, id eſt, *infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.*

Objectio, At qui fit, ut non intelligatur doctrina tua à tot sapientibus & potentibus, si adeo perspicuè docetur? Respondet ignorantiam Euangelii tam apertè ipsis explicati, Argumentum esse non obscuritatis doctrinæ, sed incredulitatis in auditore, & perditionis sequuturæ, ex incredulorum à DIABOLO (cui servit mundus) excæcatione. DIABOLUS enim cæcos infideles porrò excæcat, ne DEUM in CHRISTO se nobis offerentem videant; ne in Euangelio splendentem, ad salutem aspiciant CHRISTUM, qui DEUM alioqui invisibilem, doctrina sua, & manifestatis in carne, suis virtutibus quasi in aspectum nostrum produxit, ut DEUM in CHRISTO, verâ DEI PATRIS imagine cernamus.

Vers. 5. *Non enim nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum: nos autem, servos vestros propter Iesum.*

Arg. 5. Fidelitatis Apostoli. Ego (inquit) gloriam CHRISTI solius quæro, & CHRISTUM solum DOMINUM in Ecclesia agnosco, me verò, & reliquos Prædicatores, ut Ministros non solùm CHRISTI, sed etiam populi ipsius, prædico, ut CHRISTUS solus emineat: Fidelem ergo me ostendo.

Vers. 6 *Quoniam Deus qui dixit ut è tenebris lux splendescet*, is est, *qui splenduit in cordibus nostris, ad* præbendum *lumen cognitionis in facie Iesu Christi.*

Arg. 6. confirmans superius, In quo comparat suam conversionem à Pharisaismo, creationi lucis ex tenebris; DEUS qui omnipotenti Verbo suo eduxit lucem ex tenebris, non minori efficacia me perditum eruit ex tenebris Pharisaismi & peccati, & Luce glorioſi FILII sui CHRISTI, cor meum illuminatum, adeo potenter permovit, ut non possim non communicare cum aliis, gloriosam hanc mihi datam cognitionem gratiæ DEI, in CHRISTO manifestè lucentem: Fidelem me ergo oportet esse.

Vers. 7. *Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis:*

Arg. 7. DEUS meam in omnibus exercitiis infirmitatem ostendendo, & simul suum robur in me sustentando sub afflictionibus crebris, & constantem me hucusque præstando, commendatam omnibus reddit meam fidelitatem. Fidelem me ergo possum affirmare.

Secunda

Secunda Pars.

HOC Argumentum ita tractat, ut interim ſolvat duas objectiones, ut ſcandalum Crucis tollat.

Teſtaceis] Objectio prima, Interim miſera tua, & contemptibilis & abjecta eſt vitæ conditio, ut vaſis cujuſdam teſtacei. Reſpondet quatuor modis: Primò, verum quidem eſſe, ſe vas teſtaceum, fragile & contemptum eſſe, ſed Theſaurum tamen Gratiæ, ſeu Cognitionis Euangelii, quo alii diteſcant, continere.

Sit Dei] Deinde reſpondet, DEI ſapientiâ id evenire, ne gloria converſionis & ſalutis tot hominum aſcriberetur Apoſtolorum virtuti, ſed ut tota DEO cederet illibata, nam tantò magis conſpicua eſt DEI potentia in magnis operibus, quantò inſtrumentorum apparet impotentia evidentiùs.

Verſ. 8 *Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæſitamus, at non prorſus hæremus.*

Verſ. 9. *Perſequutionem patimur: ſed in ea non deſerimur: dejicimur, at non perimus.*

Reſpondet 3. Temperari ſibi afflictiones omnes, & ſuſtineri ſe à DEO in omnibus, ut non deſtituatur DEI ope, non ſuccumbat oneri, non deſerat DEUM, non deſperet, non deſeratur à DEO, non deſtituatur vel pereat, nihil ergo refert quam infirmus ſit in ſe. *Affligimur*, inquit, *at non coarctamur*, hoc eſt, Undique premimur rebus adverſis, non tamen ita redigimur in angustum, ut comprimamur, ſed DEI ope ſervamur in mediis preſſuris. *Hæſitamus, ſed non prorſus hæremus*, id eſt, Dubitamus aliquando quid facto opus ſit in vitæ periculis, non tamen adeo deſtituti ſumus, ut omnis conſilii inopes ſimus.

Perſequutionem patimur, ſed non deſerimur, id eſt Permittit nos DEUS ab hoſtibus Euangelii agitari, & malè mulctari, ſed neque permittit nos occidi, ante tempus ab eo conſtitutum, neque conſolationes ſuas à nobis ſubtrahit. *Dejicimur, at non perimus*, id eſt, Aliquando videmur illico periturî, DEO tamen opitulante cuſtodimur, ne pereamus.

Verſ. 10. *Quolibet mortificationem Domini Ieſu in corpore circunferentes, ut etiam vita illa Ieſu in corpore noſtro manifeſta fiat.*

Reſpondet 4. In CHRISTI gloriam cedere afflictiones ſuas, eo quod in iis imago CHRISTI patientis, & morientis conſpicienda ſit, & quod

in sua sub tot afflictionibus sustentatione, CHRISTI viventis, virtus & efficacia appareat, nihil ergo refert quam infirmus in se sit.

Vers. 11. *Semper enim nos qui vivimus, morti tradimur propter Iesum: ut etiam vita Iesu manifesta fiat in mortali carne nostra.*

Hoc confirmat, ex eo quod Apostoli, qui virtute Spiritus CHRISTI in mediis ærumnis vivebant, pro CHRISTI causa quotidie adeant Capitis periculum, ut in ipsorum infirmitate sustentanda magis magisque CHRISTI vivifica virtus appareat, in carne ipsorum, miseræ illi conditioni obnoxia.

Vers. 12. *Itaque mors quidem in nobis agit, vita vero in vobis.*

Objectio 2. At non necessariò, quia CHRISTI servus es, ideo etiam miser & abjectus esses: nos enim Corinthii Christiani sumus, & tamen prosperiùs agimus; Respondet quatuor modis:

Primum concedendo ita esse; Divinâ tamen sapientiâ evenire istud, quod in aliquibus Christianis adultioribus, ut Apostolis appareat magis, coram mundo saltem, imago CHRISTI morientis: in aliis verò, ut Corinthiis infirmioribus, appareat magis, coram mundo, fructus & efficacia viventis CHRISTI, Corinthios ne multum affligerentur custodientis.

Vers. 13. *Et quia habemus eundem Spiritum fidei secundùm illud quod scriptum est, Credidi, & ideo loquutus sum: nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur.*

Vers. 14. *Scientes fore ut qui excitavit Dominum Iesum, nos quoque per Iesum excitet, & sistat vobiscum.*

Respondet 2. Etiamsi affligantur Apostoli magis quam Corinthii, eundem tamen esse Spiritum fidei in se & in Corinthiis, ex qua fide, cum Davide credens, Psal. 116. 10. Apostolus audeat gloriosam resurrectionem unà cum Corinthiis sibi polliceri, licet jam magis sub cruce premantur quam ipsi.

Vers. 15. *Nam hæc omnia propter vos, ut gratia illa copiosissima, pluribus gratias agentibus, redundet in gloriam Dei.*

Respondet 3. Se affligi in ipsorum consolationem, & confirmationem, simul etiam ut ex afflictionibus & liberationibus suis non tantùm occasio precandi, & patiendi unà cum Apostolis præbeatur Corinthiis, sed etiam occasio gratias DEO agendi, unà cum illis pro eximiis ex angustiis liberationibus,

tionibus, quas subinde DEUS sibi & reliquis Apostolis concedebat, & concessurus erat.

Vers. 16. *Propterea non segnescimus: sed etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renovatur quotidie.*

Respondet 4. Se non fatiscere, neque defatigari in suis afflictionibus: cujus subjungit tres rationes.

Ratio prima, Quia quantùm imminuebatur de bonis illis, quæ ad statum præsentis vitæ tuendum faciunt, tantùm accedebat sanctitatis ad spiritualem vitam augendam.

Vers. 17. *Momentanea enim levitas oppressionis nostræ excellenter æternum pondus gloriæ conficit nobis:*

Ratio 2. Quia ineffabile pondus futuræ gloriæ, (ad quam promovendam, afflictiones, ut instrumenta & media mortificationis & sanctificationis faciunt) efficiebat ut nulla ratio habenda sit afflictionum, imo vero ut afflictionum momentanea levitas in comparatione cum gloria futura, planè evanesceret, & nihili fieret.

Vers. 18. *Dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur, nam quæ cernuntur temporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna.*

Ratio 3. Cur non fatiscat in afflictionibus est, Quia per fidem, inquit, respicio æterna & invisibilia, præ quibus temporalia & visibilia despicio, hoc est, opes & honores, & voluptates, *&c.* non respicio, quia ad tempus tantùm duratura sunt ista: sed in Cœlestia bona & æterna quæ DEUS promisit, animum intentum habeo, propterea dispendium rerum temporalium non moror, Ex quibus omnibus Apostolus confirmat Corinthios, ne ipsius afflictionibus offendantur.

Caput Quintum.

Pergit fidelitatem suam in Ministerio amplius ostendere, commemoratis septem causis impellentibus, quibus ad fidelitatem in munere suo exequendo movebatur.

Vers. 1. *Scimus enim nos, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum*

tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, Domicilium videlicet *non manufactum, æternum in cælis.*

Prima causa impellens ad fidelitatem in Ministerio, est ipsius certa confidentia de beata immortalitate, quæ ipsum & reliquos fideles CHRISTI Ministros manebat post mortem, cujus felicitatis particeps futurum est etiam corpus in resurrectione. Persuasum habeo inquit, post dissolutionem hujus mei fragilis corpusculi, felicitate animæ, & glorioså corporis resuscitati immortalitate, me perpetuò fruiturum. Qui igitur fidelis non essem, quamdiu in corpore mortali habito?

Vers. 2. *In hoc enim suspiramus, expetentes domicilio nostro, quod è cælo est, superindui.*

Hujus confidentiæ seu persuasionis soliditas, septem indiciis confirmatur, quæ omnia ad fidelitatem acuebant ejus animum.

Primum indicium est desiderium migrandi ex hac vita, ut immortalitate potiretur, & immortali gloriâ vice corruptibilis corporis indueretur. Argumentum certè animi sinceritatis suæ conscii, & de felicitate futura certiorati.

Vers. 3. *Siquidem etiam induti, non nudi reperiemur.*

Limitat hoc indicium & privilegium, de induenda cœlesti gloria; Quod pertineat ad eos tantùm, qui ex vita decedentes ad statum immortalem, & immutabilem, non reperiuntur nudi, id est, destituti integumento illo vero, quo tegitur fœda nostra nuditas, quod integumentum est CHRISTUS, seu CHRISTI justitia, quæ peccata nostra in quibus nuditas nostra consistit, sola tegere potest: Hoc ergo secundum est indicium solidi desiderii ad migrandum ex hac vita, & animi de fideli administratione muneris sui benè conscii, quod sciat se esse ex numero eorum, ad quos solos pertinet certitudo de superinduenda gloria, nempe ex iis, qui jam induti sunt illo integumento, quo fœda peccatorum nuditas tegitur, id est, justitia CHRISTI, qua nisi quis induatur in hac vita, nudus comperietur in altera, & manebit nudus in æternum.

Vers. 4. *Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, suspiramus onerati: in quo non cupimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à vita.*

Indicium 3. Quod desiderium migrandi ex hac vita, ortum ex hac fiduciâ, sanctum fuerit, id est, non tam ex tædio naturalis vitæ, quam ex spe

ex spe melioris vitæ derivatum; Hoc est quod dicit, etiamsi gravetur, & subtristis sit in hoc corpore, non tamen tam cupiat corpore exui, quam immortalitatem superinduere corpori, & mortalitatem absorberi, ab immortalitate.

Vers. 5. *Porrò Deus, is est qui nos ad hoc ipsum condidit, qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.*

Indicium 4. Quod desiderium hoc non sit naturale, sed opus DEI supernaturale, à speciali DEI operatione excitatum & formatum in cordibus suorum, *Deus est qui nos ad hoc condidit*, formavit, & creavit. Confidentia solida est igitur.

Qui etiam] Indicium 5. Quod fiducia hæc melioris vitæ obsignata sit per arrhabonem Spiritus, dato quasi illius vitæ gustu & experimento, in pace & gaudio Spiritus, id est, in primitiis venturæ felicitatis.

Vers. 6. *Confidentes igitur semper sumus, scientes nos dum adsumus in corpore, peregre abesse à Domino:*

Indicium 6. Quod hæc fiducia solidè fundata sit, in persuasione certa propinquioris accessus sui ad DOMINUM, concedendi sibi post mortem, quando scilicet quasi in una domo cum DEO habitaturus sit, qui nunc in corpore quasi peregrinatur à DOMINO:

Vers. 7. (*Per fidem enim incedimus, non per aspectum*)

Vers. 8 *Confidimus autem, & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum*.

Indicum 7. Confirmans superius. Quod sciat se in hac vita fide incedere, & non aspectu visionis beatificæ, quæ in vita futura manet nos qui nostro sensu absumus à DOMINO, dum præsentes sumus in corpore. Idcirco & vehementius cupiebat, & confidentius eligebat migrare ad DOMINUM, potius quam manere in corpore.

Vers. 9. *Quapropter etiam ambimus, & incolentes, & migrantes, ei esse accepti.*

Quod hæc confidentia, tot sinceritatis indiciis confirmata, fuerit causa impellens ad fidelitatem in Ministerio, expressè jam declarat. Quia quæcunque mutatio versus vitam vel mortem ipsi accidebat, semper ex hac confidentia, non minori intensione quam ii qui contendunt de honore, studebat DEO placere, ut & in vita seu peregrinatione, & in morte seu ad DEUM appropinquatione, DEO acceptus redderetur.

Vers. 10.

Vers. 10. *Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet quæ in corpore* fecerit, *congruenter ad id quod fecerit, vel bonum vel malum.*

Secunda causa impellens ad fidelitatem in Ministerio, est consideratio pœnarum & præmiorum, quæ expectant singulos secundum opera, in extremo judicio, quo DEUS impiis inflicturus est pœnas: piis vero (quibus post remissa peccata supersunt tantùm bona opera) præmia daturus.

Vers. 11. *Scientes igitur terrorem illum Domini, homines ad fidem adducimus, Deo autem manifesti sumus: & spero* nos *etiam conscientiis vestris manifestos iss.*

Quod hoc argumentum impulerit ipsum ad fidelitatem in Ministerio ostendit, testes diligentiæ appellans DEUM & Corinthiorum conscientias: terribilis enim illius futuri judicii apprehensio effecit, ut omnes hortaretur ad reconciliationem erga DEUM per fidem.

Vers. 12. *Enimverò non iterum nosipsos commendamus vobis, sed vobis occasionem præbemus gloriandi de nobis: ut habeatis quod dicatis adversus eos qui ex facie gloriam captant, at non ex corde.*

Solvit duas objectiones: Quæ tantopere glorianti de sua fidelitate objici possent ab adversariis: Objectio 1. Tu gloriolam captas Paule, (diceret aliquis) dum teipsum laudas. Respondet se non eo fine hæc dicere, sed ut Corinthii habeant quod in defensione ipsius reponerent vanis & glorioſis suis doctoribus, qui authoritatem Apostoli inter ipsos ibant imminutum, & coram hominibus gloriabantur, secus quam ipsorum conscientia, & rei veritas permittebant; nam gloriabantur in eloquentia sua fucata, destituti pietate, seu gloriandi materia in corde.

Vers 13. *Nam sive insanimus, Deo* insanimus, *sive sana mente sumus, vobis* sana mente sumus.

Objectio 2. At insanis Paule, qui tam apertè perstringis tales doctores: Respondet se non disputaturum, sed facti rationem redditurum, ut sapientem decebat, nempe se ista non nisi studio divinæ gloriæ, & salutis ipsorum proferre: nam si meum (inquit) Ministerium laudo, quod insani videtur; in gloriam DEI facio, ne vilescat Euangelium meum: si humiliter de me loquor, ut sobrii solent, in vestram utilitatem facio.

Vers. 14.

Vers. 14 *Charitas enim illa Christi constringit nos*:
Tertia causa impellens ad fidelitatem, continens superioris dicti rationem, est dilectio qua diligebat CHRISTUM, quæ ei quasi vincula injecit, & constrinxit ipsum, ut sui immemor, ea tantùm quæ CHRISTI gloriam, & Ecclesiæ bonum promoverent, diceret & faceret.

Vers. 15 *Ut qui hoc statuerimus, si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe omnes fuisse mortuos, & illum pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*
Hujus dilectionis rationem reddit, & quartam addit causam impellentem, nempe dilectionem CHRISTI erga nos: CHRISTUS, inquit, quando nos omnes mortui eramus, meriti nostri & justitiæ DEI respectu, mortuus est unus, vice nostrâ omnium, qui credimus in eum: ut nos liberati à perditione meritâ, non nobis, sed CHRISTO liberatori inserviremus. Quidni igitur in CHRISTI negotio fidelis essem?

Vers. 16. *Itaque nos posthac neminem novimus secundùm carnem: quòd si etiam novimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non amplius novimus.*
Occurrit objectioni, quam in eum finem videtur occupare, ut rationem redderet cur gloriosos istos Corinthiorum DOCTORES perstrinxerit, nec pepercerit suæ apud imperitos æstimationi, ut CHRISTI gloriam, & Ecclesiæ salutem promoveret. Diceret aliquis, At parcere oportebat dignitati tantorum inter Corinthios DOCTORUM, qui eloquentia, eruditione, opibus, honore & nobilitate generis splèndent: Horum enim aliqui ex Judæis erant, & fortè gloriati sunt, quod de tribu Judæ fuerint, & cognatione CHRISTUM attigerint, ut ex sequentibus verisimile est.
Respondet tribus modis, singulas suas responsiones quasi consectaria, ex *vers.* 12. deducens.
Responsio prima, Quod non respiciat opes, honores, genus, eloquentiam, & cætera, nec æstimaturus sit quemquam ex rebus externis, ex quibus æstimatio hominum augetur vel minuitur apud mundanos & carnales.
Quod si] Responsio 2. Quod non sit amplius judicaturus de ipso CHRISTO, secundum externum ipsius statum, vel detracturus de ejus existimatione, propter paupertatem vel ignominiam apud mundum, sicut

olim errans æstimaverat, & idcirco neque pluris existimaturus quenquam propter divitias, honores, genus, &c.

Vers. 17. *Siquis igitur est in Christo, nova creatura est: vetera pretierunt: ecce nova facta sunt omnia.*

Responsio 3. Ostendens officium Fidelium, qui CHRISTO insiti sunt, hoc esse, ut tanquam novæ creaturæ novitati recti judicii, & sanctæ vitæ studeant: res verò mundanas quibus vetus homo gaudet, non magni faciant: quod probat ex *Esa.* 65. 17 ubi abolitionem rerum veterum, novum Cœlum, novamque terram, *i.* omnia nova promittit DEUS sub CHRISTI regno se daturum. Unde sequitur, ea tantùm in æstimatione esse debere apud Christianos, quæ novam creaturam seu regenerationem attingunt; Omnia autem redduntur renovatis nova, quando illi DEO reconciliati, omnes creaturas habent sibi quasi reconciliatas, iisque nunc utuntur novo modo, in DEI gloriam, & suam salutem, uniuscujusque rei pretium statuentes, pro ut ad regnum DEI in se, & in aliis promovendum facit, vel non facit.

Vers. 18. *Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, deditque ministerium reconciliationis:*

Quinta causa impellens ad fidelitatem in ministerio, est gratia & bonitas DEI erga se, quam causam, rediens ad institutum affert ascendendo ad DEUM, novæ creaturæ, (de qua loquebatur proximè) & gratiarum omnium, authorem: quia autem gratia DEI erga seipsum contulerat in ipsius sinum duplex beneficium, reconciliationem scilicet per CHRISTUM, & delegationem ministerialem ad reconciliationem aliorum, inde duplicem ortam sibi obligationem, ad fidelitatem in ministerio, agnoscit. Quidni igitur fidelem se præstaret?

Vers. 19. *Nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum: posuitque in nobis sermonem hunc reconciliationis.*

Sexta causa impellens, est doctrinæ prædicandæ excellentia, cujus brevem summulam proponit. In qua: 1. Pater qui propter peccatum procul à nobis remotus erat, declaratur prope ad nos accessisse in CHRISTO, qui verus IMMANUEL est. 2. PATER reconciliatus, quantùm ad partes suas attinet, electo suo mundo, declaratur id agere in CHRISTO, ut Electi perspectis inimicitiis inter se & DEUM, quantum ad ipsorum

partes

partes spectat, per CHRISTUM redeant in gratiam cum DEO, & reconcilientur. 3. Ostenditur ratio qua in gratiam cum DEO redeant homines, scilicet per remissionem, seu non imputationem peccatorum, quam DEUS gratiosissimè offert. 4 Ostenditur instrumentum applicandi gratiam reconciliationis à CHRISTO partam, sermo scilicet reconciliationis commissus Apostolis, reliquisque Ministris. In quo tam excellenti & necessario Ministerio, non potuit non esse fidelis, cum ista sibi ob oculos posita haberet.

Vers. 20. *Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Christi nomine reconciliamini Deo.*

Septima causa impellens ad fidelitatem est, personæ quam gerit excellentia; quam causam proponit, simulque eam cum tota præcedente doctrina in usum convertit, ipso facto fidelitatis suæ studium ostendens: In hunc finem, cum authoritate, ut DEI Legatus, simul etiam submissè & amanter, quasi DEI personam sustinens, rogat omnes & diligenter urget, ut reconciliationem à DEO oblatam interius ad cor suum singuli admittant, ut sublatis inimicitiarum reliquiis, quas intus fovet incredulitas, in unum cum DEO spiritum omnes coalescant.

Vers. 21: *Fecit enim ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset ut nos efficeremur justitia Dei in eo.*

Denique, ut persuadeat ad obedientiam fidei, & pleniorem reconciliationis mensuram admittendam, ostendit viam ad reconciliationem apertam & expeditam esse, quia CHRISTUS Mediator innocens, & purus à peccato, ex consensu & pactione cum PATRE, peractus est judiciali modo, reus nostri peccati; imò verò factus est sacrificium expiatorium pro nostro peccato, in eum expressè finem, ut nos credentes in CHRISTUM, justitiæ CHRISTI judicialiter participes per imputationem fieremus, & sic perfectissimè justi, & quasi ipsa justitia quæ DEO summè placeat, redderemur, per hanc excellentem & divinam justificandi rationem, quam DEI sapientia excogitavit, & gratia nostram fecit.

Addit autem, *In Ipso*, ut intelligamus necessariò fide nos inserendos esse CHRISTO, quo hæc nobis justitia obtingat, quia ex conjunctione nostri cum CHRISTO per fidem, sequitur unio judicialis nostri cum CHRISTO, & ex hac unione, adjudicatio obedientiæ & justitiæ CHRISTI nobis, & tandem applicatio omnium donorum ejus ad perfectam felicita-

tem usque. Quibus pensitatis quid efficacius dici potest ad movendum nos omnes, ut agnitis inimicitiis, & nostrâ necessitate, oblatam in CHRISTO reconciliationem amplectamur.

Summa igitur horum trium versuum est, Quod Apostolus cum redemptionis hominum œconomiam, & rationem adducendi electos ad reconciliationem & salutem perpenderet, non potuerit se in Ministerio suo non strenuè & fideliter exercere: Nam cum sciret in pacto, de redemptione electorum, inter DEUM & filium, secundam Trinitatis personam, officio Mediatoris & sponsoris vestitam, inito, tam abundè satisfactum esse DEO, ut DEUS jam propitius erga Redemptorum seu Electorum mundum factus, concurrat cum CHRISTO Mediatore ad applicandam impetratam reconciliationem omnibus redemptis: eosque in CHRISTO, & in servis CHRISTI, Ministris Euangelii, non minus seriò quam ipse Redemptor roget, oretque, ut sibi jam reconciliato sen propitio facto, reconcilientur: Cum, inquam, hæc sciret Apostolus, & sibi commissam esse provinciam, ut reconciliationem hanc promoveret, Quid mirum si obnixè contenderit, ut homines ad DEUM converterentur? Et cum sciret ex pacto CHRISTUM in se recepisse peccata omnia omnium Redemptorum, & factum esse victimam piacularem pro expiandis peccatis suorum ipsi imputatis, sub hac conditione, ut Redempti (quales se ostendunt omnes fideles) justitia illa DEI, seu justitia CHRISTI amicti, pro justissimis in DEI mente haberentur, & per Spiritum sanctum tandem plene renovati, redderentur, Quid mirum si confidenter & constanter prosequutus fuerit negotium reconciliationis, & fidelem se præstiterit, in Ministerio suo exequendo?

Caput Sextum.

VT Ministerii sui exercitium adhuc amplius Corinthiorum conscientiis commendatum reddat, opere & exemplo fidelem ministrum ob oculos illis ponens, ex superioribus deducit hortationem triplicem, ut ministerii ipsius fructus ferant. Capitis tres sunt partes, quarum prima est hortatio ad seriò recipiendam gratiam a se oblatam, ad vers. 11. *Secunda est hortatio ad recipiendum ipsum*

ipsum pro Apostolo Christi ad vers. 14. *Et tertia est, hortatio ad vitandam contagionem idololatrarum, ad finem.*

Vers. 1, *SEd &, ut operam nostram ei accomodantes, hortamur ne frustrà gratiam Dei vos receperitis.*

Prima hortatio est, ut gratiam reconciliationis serió magis & cum fructu recipiant, nec permittant ut gratia DEI in Euangelio oblata, ipsorum vitio, fructu suo pleno in ipsis careat, sed ut justitiam, pacem, vitam, omninoque omnia quæ CHRISTUS redemptis impetravit, obtineant; Propositio quam urget hæc est. Non debetis gratiam DEI frustra recipere, id est, externa professione tantùm, sine interna ipsius virtute, hanc probat argumentis tribus.

Argumentum primum, Nos Ministri DEI cooperarii, ut ejus opus in vobis promoveatur, ab eo vobis gratuito dono concessi, nostram operam pollicentes ad salutem vestram promovendam, à vobis obnixè id petimus: Ergo non debetis frustra gratiam DEI recipere.

Vers. 2. *Dicit enim Deus, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis succurri tibi: ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.*

Arg. 2. In parenthesi interjectum, Quia jam tempus est acceptum, quo per CHRISTI intercessionem, gratia DEI futura est efficax ad fructus producendos, in omnibus qui cum serio cordis affectu Euangelium recipiunt, & fructum ferre cupiunt, quod probat ex Isaiæ 49. 8. ubi Pater alloquitur Mediatorem pro suis intercedentem, & in iis per SPIRITUM suum suspirantem: Ergo cavendum ne hæc gratiæ opportunitas frustra vobis sit oblata.

Vers. 3 *Nullam ulla in re præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium:*

Arg. 3. Cum *vers.* 1. connexum, Nos Ministri qui vos hortamur, & ego nominatim Paulus, omnibus modis probati sumus, & comperti fideles in Ministerio Euangelii, nullum vobis obicem ponentes, quo minus per Ministerium nostrum proficiatis, adeo ut nihil prætendere poteritis, quo minus in Euangelii gratia promoveatis: Ergo non debetis frustra DEI gratiam recipere, sed ad virtutem Euangelii imbibendam, & exprimendam contendere. Antecedens confirmat inductione virtutum, quæ Ministros fideles probant, quibus ipse imprimis per DEI gratiam ornabatur,

batur: Inductionis 5. sunt membra, In primo membro removet à se ea vitia, quibus ignavi pastores offendiculum Euangelio creare solent, moribus suis in DEI ædificio plus demolientes, quam doctrinâ ædificant, & occasionem præbentes impiis male loquendi de ipso Ministerio, seu Ministrorum munere.

Vers. 4 *Sed & in omnibus nos approbantes, ut Dei ministri, tolerantia multa in oppressionibus, in necessitatibus, in angustiis,*

Vers. 5. *In plagis, in carceribus, in tumultuationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis:*

In secundo membro varia virtutum genera recensetur, quibus Ministerium suum ornatum est, nominatim autem patientiæ facit mentionem, in novem generibus malorum exercitæ: in quibus omnibus sine murmuratione, Ministerii sui munia patienter exequebatur: nam itinerum molestias cum inopia & periculis, persequutorum plagas, carcerem, & tumultus, adversus ipsum excitatos, & in prædicando, laborem, vigilias, jejunia sustinebat fortiter, nec in opere DOMINI fatiscebat.

Vers. 6. *Puritate, scientia, lenitate, bonitate, Spiritu Sancto, charitate non simulata,*

In tertio membro, patientiæ adjungit sex alias virtutes: Quarum prima, est Immunitas à pollutionibus mundi, dum inter mundanos versabatur: 2. Discretio in tractandis auditoribus: 3. Longanimitas in provocationibus: 4. Mansuetudo in commercio cum difficilioribus: 5. Spiritualis in omnibus dispositio: 6. Dilectio sincera erga omnes.

Vers 7. *Sermone veritatis, virtute Dei, armis justitiæ dextris ac sinistris.*

In quarto membro enumerat virtutes quæ ad officii sui munia attinebant: 1. Nihil prædicabat præter DEI veritatem: 2. Demonstrabat in sermone suo Spiritus potentiam: 3. Decertabat contra omnes hostes armis spiritualibus, id est, mediis legittimis, in rebus prosperis à dextra, & in rebus adversis à sinistra, omninoque in omni mutatione, & rerum vicissitudine constans permanebat, ne vel illecebris vel terroribus à recta via deflecteret.

Vers. 8 *Per gloriam & ignominiam, per convicia & laudes: ut seductores, & tamen veraces;*

Vers. 9

Vers. 9. *Ut ignoti, & tamen noti: ut morientes, & ecce vivimus: ut qui castigamur, nec tamen occidimur:*

Vers. 10. *Ut dolentes, semper tamen gaudentes: ut pauperes, sed multos ditantes: ut nihil habentes, sed omnia obtinentes.*

In membro quinto, gloriatur quod rectam viam semper tenuerit, sive ignominia & infamia, sive gloria & fama inde sequerentur: nam cum habebatur ut impostor, veracem se præstabat.

Cum habebatur ut ignobilis, & contemptibilis; se factis manifestabat, ita ut qui oculos haberent, ipsum cognoscerent servum esse DEI altissimi: Videbatur quasi mortuus; & in media morte gestiebat tamen officium præstare ut vivus: Castigatus verberibus fere ad necem, custodiebatur à DEO ne moreretur: Propter mala quæ ipsum premebant, nonnunquam specie subtristis erat: sed Spiritu in DEO semper gaudebat. Inops habebatur; Per Euangelium tamen, ex DEI benedictione multiplici, ditabat multos, non tantùm contentationis modum ostendendo in Euangelio, sed etiam ad virtutem & pietatem, quæ ad omnia utilis est, homines instruendo. Carebat possessionibus & reditibus, & tamen contentus sorte sua, rerum omnium usu, quantum opus erat, gaudebat.

Secunda Pars.

Vers. 11. *Os nostrum apertum est erga vos, Corinthii, cor nostrum dilatatum est.*

Secunda pars Capitis, in qua habetur secunda Pauli hortatio ad Corinthios, ut ipsum redamarent Apostolum scilicet CHRISTI, qui tantos labores in Ministerio sustinuerat in ipsorum bonum. Huic hortationi Argumenta præmittit quinque.

Argumentum primum, Candidè, & apertè, ut cum amicis parresia utor, liberrimè, corde dilatato, & ore aperto proferens, quam intus foveo erga vos benevolentiam. Quidni ergo vicem mihi rependatis?

Vers. 12. *Non habitatis angustè in nobis: sed angusti estis in visceribus vestris.*

Vers. 13. *Loquor autem ut filiis de pari compensatione: dilatamini & vos*

Arg. 2. Non per me stat, quo minus dilectionem meam percipiatis, sed per vestri ipsorum cordis angustias, qui non creditis tantam meam erga vos dilectionem.

Non

Non habitatis] Arg. 3. Redamare me tenemini, qui impensè amo vos. Ergo tanquam ex æquitate vicem referte, me amando, & vos à me amari persuasum habendo.

Ut filiis] Arg. 4. Pater sum vester, & vos filii mei: Ergo ut filii mei, me amate ut patrem vestrum.

Compensatione] Arg. 5. Jam debitum à vobis exigo: Ergo dilatamini, id est, corde dilatato admittite dilectionis meæ persuasionem, & paternas meas admonitiones ex dilectione profectas, & vicissim me diligite.

Tertia pars Capitis.

Vers. 14. *Ne impari jugo compulemini cum infidelibus, quod enim consortium justitiæ cum injustitia? & quæ communio luci cum tenebris?*

Vers. 15. *Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*

Tertia hortatio, ut abstineant ab omni illicita societate cum infidelibus, qua impediri ne Deo servirent, vel alienari à vera religione, vel ullo modo polluì possent: hujus generis societas quidem est matrimonium contrahendum, quo facillime viri, vel mulieres ad impietatis consensum implicantur ab Idololatris, eo quod omnium societatum humanarum hæc sit arctissima. Verum quam hic videtur taxare imprimis, est fidelium Corinthiorum cum concivibus infidelibus, societas seu communio in externa idololatria, quâ se polluebant, unà cum illis vescentes idolothytis in idoleio, ut superiori Epistola, Cap. 8. apparet, in qua idololatria, aut in quovis alio peccato, commune plaustrum cum ipsis, aut jugum impietatis trahere vetat. Hortationis argumenta sunt quatuor.

Quod enim] Argumentum primum, Conditio & Professio vestra Christianorum ex una parte, & peccata quæ palam profitentur idololatræ ex altera parte, non minus sibi invicem opponuntur, quam justitia & iniquitas: lux & tenebræ, Christus & Diabolus, fides & infidelitas, Templum Dei & Idola, inter quæ nulla potest esse communio. Ergo nulla communio vobis Christianis debet esse cum infidelibus in Idololatria, vel in peccatis ullis aliis, quæ palam infideles profitentur, vel in ulla alia necessitudine, ex qua oriatur difficulter superabile periculum, communicandi ipsorum peccatis: Nam non vetabat in eadem civitate habitare

habitare cum iis, nec negotiari, nec cibum sumere, si invitati essent ad prandium vel cœnam.

Vers. 16. *Et quæ consensio templo Dei cum simulachris? nam vos templum estis Dei viventis, sicut dixit Deus, Habitabo in eis & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.*

Arg 2 Vos estis templum Dei sanctum, Quod probat testimonio Mosis, *Lev.* 26. 12. & *Ezech.* 37. 27. Ergo non licet vobis vosmet polluere societate cum infidelibus, potissimùm in eo in quo ex professo sunt templa idolorum.

Vers. 17. *Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & impurum ne attingite: tum ego excipiam vos:*

Vers. 18. *Et ero vobis Pater, & vos eritis mihi filii ac filiæ, dicit Dominus omnipotens*

Arg. 3. Deus jussit separationem fieri ab idololatrarum, & mundi pollutionibus, ne attingatis eas. Ergo cavendum vobis ab iis.

Ego suscipiam] Arg. 4. A promissionibus quas deus fecit iis, qui puros se servant a mundi inquinamentis, nec participant aliorum peccatis; præstabit se Deus ipsis patrem, hoc est, in compensationem omnium incommodorum, & consolationem plenam, adversus omnia mala quæ cavendo sibi ab alienis peccatis sufferre poterint, Deus seipsum ipsis communicabit, & paternum suum affectum erga eos opere manifestabit.

Caput Septimum.

Vers. 1. *HAS igitur promissiones quum habeamus, Dilecti, purgemus nosipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctificationem cum timore DEI.*

VErsus primus hujus Capitis pertinet ad Caput præcedens: in quo ex superioribus promissionibus hortationem deducit, ut non modo caveant ab idololatria, & externâ ejus specie, sed etiam ab omni inquinamento Spiritus & corporis, hoc est, à peccatis, quæ vel mentem intra polluunt, vel mentem simul & corpus inquinant, & contra studeant perficiendæ sanctimoniæ, pergentes & proficientes in melius in timore Dei, argumento utens uno pro omnibus; præclaræ promissiones vobis à Deo factæ, jure merito a vobis id exigunt. Ergo in hæc officia sedulo incumbite.

Vers. 2. *Accipite nos: nemini injuriam fecimus, neminem corrupimus, neminem expilavimus.*

RElíquo Capite devincire sibi nititur Corinthiorum corda, suæ dilectionis erga eos allatis indiciis, in quibus explicandis insistit ad finem: Propositio confirmanda apertè proponitur. Debetis nos recipere, O Corinthii, hoc est, Persuasi de meo erga vos amore, debetis redamare me, & hortationes meas in cordibus dilatatis reponere; Argumenta petuntur tria ex indiciis tribus benevolentiæ Apostoli erga eos.

Neminem] Argumentum primum, Ut Apostolum reciperent, & Indicium primum voluntatis minimè malæ in eos est, Quia non malè meritus sum de quoquam, vel contumeliam inferendo, perversâ doctrinâ vel exemplo corrumpendo, vel quenquam ullo modo fraudando.

Vers. 3. *Ad condemnationem vestri non loquor: nam antè dixi vos in cordibus nostris esse, ad simul moriendum, & simul vivendum.*

Arg. 2. & Indic. 2. Quia cum hæc quæ præcesserunt mei purgandi causa duntaxat dixerim, tantùm abest ut obliquè condemnem, aut perstringam Ecclesiam fidelium Corinthiorum, ut contra ex dilectione statutum mihi sit, vobis adhærere in rebus prosperis & adversis, in vita & in morte, ut nulla mutatio amorem meum à vobis unquam divellat.

Vers. 4. *Multa mihi loquendi libertas apud vos, multa mihi gloriatio de vobis: impletus sum consolatione, vehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra.*

Arg. 3. & Ind. 3. Quia accepto nuncio de vestra resipiscentia cor meum in mediis afflictionibus adeo perfusum est gaudio, ut securè eloqui audeam, animi mei de vestra perseverantia fiduciam apud vos, & de vobis gloriari apud alios.

Vers. 5. *Etenim quum veniissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus fuimus oppressi: foris pugnæ, intus terrores:*

Vers. 6. *Sed qui consolatur abjectos, consolatus est nos Deus, adventu Titi.*

Hoc experimentum suæ in eos benevolentiæ explicaturus, proponit afflictiones quibus in Macedonia, dum nuntium ab iis expectaret premebatur,

batur, partim persecutione hostium, partim intestinis Ecclesiæ malis, partim animi anxietate, simul & corporis molestiis ita constrictus, ut externo homini nulla data sit requies. Contra quas omnes molestias, ex DEI misericordia, consolatio suppeditata erat ipsi per adventum Titi, qui à Corinthiis jam redierat, & lætum nuncium de ipsorum statu retulerat.

Vers. 7. *Non solùm autem adventu illius, sed etiam consolatione quam ille accepit ex vobis, quum renuntiaret nobis vestrum vehemens desiderium, vestrum ejulatum, vestrum pro me zelum; adeò ut magis gavisus fuerim.*

Apostolus causas lætitiæ suæ enumerat octo, quorum pleraque indicia erant ipsius in eos benevolentiæ: 1. Causa quia Titus salvus reversus erat: 2. Quia Titus consolationem à vobis Corinthiis acceperat: 3. Quia audiveram à Tito de vestro erga me pio affectu, & mei conspiciendi desiderio: de fletu ob admissum inter vos scelus, & ob meam suspectam indignationem: & de zelo adversus incestuosum, & adversus mei obtrectatores; unde gaudium mihi longè supra prius conceptum hac de re dolorem meum omnem, abundavit.

Vers. 8. *Nam etiamsi tristitia vos affeci per epistolam, non me pœnitet, etiamsi pœnituerit; video enim epistolam illam, tametsi ad tempus, tristitia vos affecisse;*

Antequam quartam causam consolationis proponat, solvit objectionem, cujus solutio ad propositum magnoperè faciebat, dixerint illi, superiori Epistola tristitia nos affecisti.

Responsio quadruplex est: Responsio prima, Coactus & non sine dolore vos contristavi, dolor autem hic per vestram resipiscentiam evanuit. Nam cum Apostolus scripsit Epistolam, incertus de eventu tristis erat, hoc est, quod pœnituisse se dicit: cum verò eventum vidit dolore liberatus est, hoc est, quod jam non pœnitere se dicit: Responsio 2. Tristitia illa ab Epistola mea excitata, brevis fuit.

Vers. 9. *Nunc gaudeo, non quod tristitia affecti fueritis sed quod tristitia affecti fueritis ad resipiscentiam; nam tristitia affecti fuistis secundùm Deum ut nulla in re detrimento sitis affecti per nos.*

Vers. 10. *Nam qui secundùm Deum est dolor, is resipiscentiam efficit ad salutem; cujus nunquam pœniteat; at mundi dolor mortem efficit.*

Respondet 3. Tristitia illa conversa est in gaudium, & vobis, & mihi; quia comperta jam est pia & utilis ad resipiscentiam, quod probat: Quia resipiscentiam non pœnitendam produxit, secus quam tristitia mundana solet, quæ peccatum & miseriam duntaxat auget, & mortem cum animæ tum corporis affert.

Vers. 11. *Ecce enim istuc ipsum, quòd secundùm Deum tristitiæ affecti fuistis, quantum in vobis effecit studium? imò defensionem, imò indignationem, imò timorem, imò vehemens desiderium, imò zelum imò vindicationem, per omnia testatum feciſtis vos esse puros in hoc negotio.*

Probat tristitiam ipsorum secundum DEUM fuisse, seu piam, quia produxit in iis septem effecta, totidem resipiscentiæ ipsorum indicia. Quorum primum fuit, securitatis excussio cum solicitudine corrigendi quod peccatum erat. 2. Est apologia, quod scilicet jam nullo modo probent vel factum incestuosi, vel negligentiam suam: 3. Est indignatio adversus peccatum, & incestuosi, & suum, in eo tolerando. 4. Est metus ne judicio divino, vel novo peccato implicarentur. 4. Desiderium est tollendi scandali, & bonis omnibus satisfaciendi. 5. Zelus & fervor desiderii ad prosequenda omnia media ad malum removendum & damnum reparandum. 7. Est vindicta in castigando incestuoso, & ipsorum etiam torpore, quibus omnibus Corinthii resipiscentiam suam declaraverant, & se nullo modo scelere illo delectari, sed puros se esse ostenderant.

Vers. 12. *Nempe etiamsi scripsi vobis, non scripsi vobis ejus causa qui injuriam fecerat, nec ejus causa qui injuria affectus fuerat, sed ut apud vos manifestum fieret studium illud nostrum pro vobis, in conspectu Dei.*

Responsio quarta ad objectionem est, Non scripsi Epistolam illam, vel solum vel præcipuè, ut in castigatione incestuosi satisfieret patri ejus, cujus uxorem stupraverat filius, vel ut ipse incestuosus corrigeretur, (quod quidem non erat negligendum) sed præcipuè in hunc finem, ut paterna mea cura de vobis, O Corinthii, sincera, & in DEI conspectu approbata, omnibus appareret.

Vers. 13. *Propterea consolationem accepimus ex consolatione vestri sed longe plurimùm gavisi sumus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit Spiritus ejus ab omnibus vobis:*

Solutâ

Soluta objectione qaartam addit causam suæ consolationis; quod acceperim, inquit, vos boni consuluisse reprehensionem à me, & jam consolationem admisisse.

Titi] Quinta causa consolationis, Quia omnes refocillare studuistis Spiritum Titi.

Vers. 14. *Et siquid apud eum de vobis gloriatus sum, non fui pudefactus: sed ut omnia verè loquuti sumus vobis, ita & gloriatio nostra*, qua usus eram *apud Titum, vera comperta sit.*

Sexta causa, Quod reapse comprobaveritis, quæ ego de vobis glorians, Tito confidenter prædixeram.

Vers. 15. *Et viscera ejus amplius erga vos* affecta *sint, dum reminiscitur obedientiæ omnium vestrûm, ut qui cum timore ac tremore ipsum exceperitis.*

Septima causa. Quia vestris officiis & virtutibus animum Titi vobis devinxistis, quod in lucro magno deputare poteritis: Reveriti enim sunt Titum, ut Euangelistam, & servum Dei extra ordinem ad se missum, & sic Titi animum sibi conciliarant.

Vers. 16 *Gaudeo igitur quòd penitus confidam de vobis.*

Octava causa consolationis, quod experientiâ hac animatus imposterum audeam de vobis omnibus, & mihi & aliis, optima quæque polliceri.

Caput Octavum.

Secunda pars Epistolæ in qua confirmatis jam Corinthiis de dilectione sua erga ipsos, hortatur ad eleemosynas alacri animo largiendas in usum pauperum Judæorum, adhibitis in hunc finem hoc capite 13 Argumentis, quibus addit plura, capite sequenti.

Vers. 1. *PORRÒ notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei præstitam Ecclesiis Macedonum.*

Argumentum primum. Ab exemplo Macedonum, Ecclesiæ Macedonum contribuerunt: Ergo & vos idem facite. Horum liberalitatem commendat novem rationibus.

Gratia]

Gratia] Prima ratio. Quia donum erat DEI ex gratia in ipsos profectum, quod in usum pauperum Judæorum quicquam contribuerint.

Vers. 2 *Nam in multa probatione abundans gaudium ipsorum, & profunda eorum paupertas redundavit in copiosam benignitatem ipsorum.*

Ratio 2. Quia data est eleemosyna ab iis eo tempore, cum ipsi probabantur gravibus afflictionibus.

Gaudium] Ratio 3. Quia cum gaudio contribuerunt.

Profunda] Ratio 4. Quia in paupertate liberales erant.

Vers. 3 *Nam pro viribus (testor) & supra vires voluntarii* fuerunt.

Ratio 5. Quia largius dare volebant, quam ipsorum ferebant facultates.

Vers. 4. *Multis cum precibus nos rogantes, ut gratiam & societatem subministrationis quæ in sanctos* impenditur, *susciperemus.*

Ratio 6. Quia sponte, non provocati aliorum exemplo obtulerunt, sed autores aliis potius erant, ne in hoc officio charitatis deessent.

Precibus] Ratio 7. Quia instabant precibus, ut acciperetur quod dabant.

Societatem] Ratio 8. Quia rogabant Apostolum, ut unà cum aliis provinciam susciperet colligendi & dispensandi, quod ipsi & alii daturi erant.

Vers. 5. *Ac non sicut sperabamus* ita fecerunt *sed semet ipsos dederunt primùm Domino*, deinde *& nobis, per Dei voluntatem.*

Ratio 9. Quia supra quam Apostolus sperare poterat, se & sua omnia DEO consecrabant, & Apostolo se committebant, ut ab eo secundum voluntatem DEI, in omnibus regerentur.

Vers. 6. *Ut adhortaremur Titum, ut sicut ante cœpit, ita etiam absolvat apud vos hanc quoque gratiam.*

Arg. 2. Ad liberalem eleemosynam; Quia rogatu Macedonum, ego Titum rogavi, ut perficiendam eleemosynam vestram curaret, quam rem jam agressus est: Idcirco curate ne frustra sit hoc nostrum studium.

Vers. 7. *Itaque sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & cognitione*

cognitione & omni studio, & vestra in nos charitate, videte *ut in hac quoque gratia abundetis.*

Arg. 3. Quia cum aliis virtutibus excellatis, decet vos dare operam ne in hac deficiatis; vel cum abundent in vobis dona Spiritus, fides miraculorum, dona cognitionis, & eloquentiæ, studium de salute fratrum, & charitas erga me, cavendum ne hoc donum deesse vobis comperiatur.

Vers. 8. *Non ex imperio loquor, sed aliorum studio, vestræ quoque dilectionis sinceritatem reddens exploratam.*

Arg. 4. Quia jam probanda vobis est sinceritas Christianæ dilectionis vestræ, in hac eleemosyna eroganda, cujus rei gratia sedulo vos hortor, rogatu Macedonum, & nihil pro imperio præcipiens. Idcirco specimen liberalitatis ostendite.

Vers. 9. *Nostis enim beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, eum* videlicet *propter vos pauperem factum esse, quum esset dives: ut vos illius paupertate ditesceretis.*

Arg. 5. Christus pauperem se fecit, ut vos ditesceretis: Ergo ut ejus causa erogetis eleemosynam, cum petitur à vobis æquum est.

Vers. 10. *Et sententiam in ea re* meam *edo: nam hoc vobis conducit, qui non solùm, facere sed etiam velle ante cœpistis anno superiore.*

Arg. 6. Quia consultum est, & utile vobis, & respectu famæ vestræ, & respectu benedictionis sequuturæ, ut in hoc negotio minimè desitis, sed collectam jam inchoatam tandem absolvatis.

Vers. 11. *At nunc etiam illud ipsum facere absolvite: ut sicut* adfuit *promptum illud velle, ita etiam* adsit *ipsum perficere ex eo quod habetis*

Vers. 12. *Etenim si prius adsit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet.*

Vers. 13. *Non enim ut aliis relaxatio sit, vobis autem oppressio: sed pari conditione hoc tempore vestra abundantia* supplet *illorum defectum.*

Arg. 7. Quia decorum est & conveniens, ut prompta vestra voluntas quam

Gratia] Prima ratio. Quia donum erat DEI ex gratia in ipsos profectum, quod in usum pauperum Judæorum quicquam contribuerint.

Vers. 2 *Nam in multa probatione abundans gaudium ipsorum, & profunda eorum paupertas redundavit in copiosam benignitatem ipsorum.*

Ratio 2. Quia data est eleemosyna ab iis eo tempore, cum ipsi probabantur gravibus afflictionibus.

Gaudium] Ratio 3. Quia cum gaudio contribuerunt.

Profunda] Ratio 4. Quia in paupertate liberales erant.

Vers. 3 *Nam pro viribus (testor) & supra vires voluntarii* fuerunt.

Ratio 5. Quia largius dare volebant, quam ipsorum ferebant facultates.

Vers. 4. *Multis cum precibus nos rogantes, ut gratiam & societatem subministrationis quæ in sanctos* impenditur, *susciperemus.*

Ratio 6. Quia sponte, non provocati aliorum exemplo obtulerunt, sed autores aliis potius erant, ne in hoc officio charitatis deessent.

Precibus] Ratio 7. Quia instabant precibus, ut acciperetur quod dabant.

Societatem] Ratio 8. Quia rogabant Apostolum, ut unà cum aliis provinciam susciperet colligendi & dispensandi, quod ipsi & alii daturi erant.

Vers. 5. *Ac non sicut sperabamus* ita fecerunt *sed semet ipsos dederunt primùm Domino*, deinde *& nobis, per Dei voluntatem.*

Ratio 9. Quia supra quam Apostolus sperare poterat, se & sua omnia DEO consecrabant, & Apostolo se committebant, ut ab eo secundum voluntatem DEI, in omnibus regerentur.

Vers. 6. *Ut adhortaremur Titum, ut sicut ante cœpit, ita etiam absolvat apud vos hanc quoque gratiam.*

Arg. 2. Ad liberalem eleemosynam; Quia rogatu Macedonum, ego Titum rogavi, ut perficiendam eleemosynam vestram curaret, quam rem jam agressus est: Idcirco curate ne frustra sit hoc nostrum studium.

Vers. 7. *Itaque sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & cognitione*

cognitione & omni studio, & vestra in nos charitate, videte *ut in hac quoque gratia abundetis.*

Arg. 3. Quia cum aliis virtutibus excellatis, decet vos dare operam ne in hac deficiatis; vel cum abundent in vobis dona Spiritus, fides miraculorum, dona cognitionis, & eloquentiæ, studium de salute fratrum, & charitas erga me, cavendum ne hoc donum deesse vobis comperiatur.

Vers. 8. *Non ex imperio loquor, sed aliorum studio, vestræ quoque dilectionis sinceritatem reddens exploratam.*

Arg. 4. Quia jam probanda vobis est sinceritas Christianæ dilectionis vestræ, in hac eleemosyna eroganda, cujus rei gratia sedulo vos hortor, rogatu Macedonum, & nihil pro imperio præcipiens. Idcirco specimen liberalitatis ostendite.

Vers. 9. *Nostis enim beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, eum* videlicet *propter vos pauperem factum esse, quum esset dives: ut vos illius paupertate ditesceretis.*

Arg. 5. Christus pauperem se fecit, ut vos ditesceretis: Ergo ut ejus causa erogetis eleemosynam, cum petitur à vobis æquum est.

Vers. 10. *Et sententiam in ea re* meam *edo: nam hoc vobis conducit, qui non solùm, facere sed etiam velle ante cœpistis anno superiore.*

Arg. 6. Quia consultum est, & utile vobis, & respectu famæ vestræ, & respectu benedictionis sequuturæ, ut in hoc negotio minimè desitis, sed collectam jam inchoatam tandem absolvatis.

Vers. 11. *At nunc etiam illud ipsum facere absolvite: ut sicut* adfuit *promptum illud velle, ita etiam* adsit *ipsum perficere ex eo quod habetis.*

Vers. 12. *Etenim si prius adsit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet.*

Vers. 13. *Non enim ut aliis relaxatio sit, vobis autem oppressio: sed pari conditione hoc tempore vestra abundantia* supplet *illorum defectum.*

Arg. 7. Quia decorum est & conveniens, ut prompta vestra voluntas quam

tas quam præ vobis tulistis superiori anno, actione compleatur, & turpe futurum est, si secus acciderit.

Quod habetis] Arg. 8. Quia nihil petitur nisi quod æquum esse ipsi potestis perspicere, rogatur enim ut pro facultatibus detis, ex æquo sine vestro dispendio notabili, siquidem exiguum à pauperioribus si prompto animo dederint, acceptum erit DEO, etiamsi multum, quod non habent, non dederint: si verò promptus animus non adsit, nihil respicitur à DEO, quantumcunque detur. Ne hic desitis igitur.

Vers. 14. *Et & illorum abundantia vestrum defectum suppleat, ut fiat æquabilitas,*

Arg 9. Quia vobis expectandum est, ut si opus fuerit aliquando retributio reddenda sit, & è copia Ecclesiarum in Judæa succurratur inopiæ vestræ, ut sic quod æquale est, fiat.

Vers. 15. *Sicut scriptum est, Qui multum* collegit, *non habuit amplius: & qui paulum, non habuit minus.*

Arg. 10. Quia in Mannæ exemplo indicatum est, neminem abundantiam suam debere supprimere cum aliorum inedia, sed eatenus servandam æqualitatem, ut nulli desit quantùm necesse est; nam sicut in colligenda Manna factum est, quisque Omer sibi mensurabat, reliquum cedebat iis qui minus collegerant, *Exod.* 16, 18. 19. sic in divitiis collectis, quod supereset post vestros usus, in usum egenorum cedere debet.

Vers. 16. *Gratia autem* sit *Deo, qui cordi Titi indidit idem studium pro vobis:*

Vers. 17. *Quod tum exhortationem illam gratam habuit, tum verò majore studio ultrò ad vos abiit.*

Arg. 11. Quia fideles, strenui & optimæ famæ fratres aliquot excitati sunt à DEO, (compar. vers 18. 22.) & missi à me, qui totum hoc negotium promoverent, non in colligenda eleemosyna tantum, sed etiam in ea perferenda ad manus Judæorum inopum. Ex his fratribus primus erat Titus, propter cujus solicitudinem & promptitudinem animi ad negotium hoc conficiendum DEUM laudat.

Vers. 18. *Misimus autem unà cum eo fratrem illum, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.*

Vers. 19. *Nec* id *solùm, sed etiam suffragiis delectus est ab Ecclesiis socius peregrinationis nostræ, cum hac beneficentia quæ administratur*

ministratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & comprobandum *promptum animum vestrum.*)

Secundus delegatus describitur, Quod in Euangelio promovendo diligenter laboraverit, sive fuerit Barnabas, sive alius, non refert. Nam quisquis fuerit, ab Ecclesiis (synodice ut videtur convocatis) delegatus est, ut fide dignus cui res hæc committeretur.

Gloriam] Arg. 12. Quia hæc eleemosyna curatur & administratur à me & aliis ad CHRISTI gloriam, & promptitudinem animi vestri demonstrandam.

Vers. 20. *Vitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac exuberantia quæ administratur à nobis.*

Vers. 21. *Vt qui procuremus honesta, non solùm coram Domino, sed etiam coram hominibus.*

Rationem reddit, cur sibi adjunxerit tam spectatæ fidei collegas, in hac Ministratione beneficentiæ, collectæ in usum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, nempe ut ansam obtrectandi adversariis suis præcideret, qui alioqui de summa pecuniæ collectæ interceptum aliquid calumniari potuissent: Et ut consuleret famæ suæ apud omnes homines, sicut conscientiæ suæ apud DEUM prospexerat, in sancto proposito integritatis suæ, in hoc negotio, conservandæ.

Vers. 22 *Misimus autem cum eis fratrem nostrum, quem sæpe in multis probavimus studiosum, nunc autem multò studiosiorem, ob multam fiduciam quam habeo in vobis.*

Tertium delegatum commendat, sive fuerit Lucas, sive alius, non refert, sed hinc vis argumenti undecimi apparet, dum dicit se ex confidentia de Corinthiorum liberalitate misisse ad eos tam egregios viros, quorum expectationem non vetetur, ne frustrentur, unde sequitur liberaliter contribuendum esse.

Vers. 23. *Sive de Tito* quæritur, *socius meus* est, *& apud vos adjutor: sive de fratribus nostris, legati* sunt *Ecclesiarum, & gloria Christi.*

Postquam singulos seorsim delegatos suo quemque elogio ornavit, nunc Titum specialiter, & omnes commendat conjunctim, quod sint Apostoli Ecclesiarum, id est, delegati ab Ecclesiis ad hanc eleemosynam colligendam: & secundo quod sint *gloria Christi*, sic dicti,

quia ipsius gratia glorioſè in illis ſplendebat, & per eos ejus gloria illuſtrabatur.

Verſ. 24. *Itaque demonſtrationem charitatis veſtræ, & noſtræ de vobis gloriationis edite in eos, in conſpectu Eccleſiarum.*

Hortatione repetitâ, addit Arg. 13. Hæc liberalitas ut futura eſt documentum charitatis veſtræ, ſic etiam confirmatio erit gloriationis meæ de vobis minimè vanæ, in conſpectu delegatorum, qui Eccleſiarum nomine in hoc negotio præſentes veſtram liberalitatem conſpicient. Ergo vobis liberaliter contribuendum eſt.

Caput Nonum.

Pergit de collecta agere: Capitis duæ ſunt partes: In prima reddit rationes cur miſerit ad eos tres fratres delegatos; ubi argumenta interſerit ad perſuadendum ut accelerent collectam, ad verſ. 6. *In altera addit argumenta plura ad movendum, ut dent liberaliter ſicut ſanctos decebat.*

Verſ. 1. *NAm de ſubminiſtratione quidem quæ fit in ſanctos, ſupervacaneum eſt mihi ſcribere vobis.*

Quod ad primam partem attinet: Ne in deteriorem partem interpretarentur miſſionem legatorum, quaſi ſuſpicionem de ipſorum promptitudine in hoc negotio foveret, cauſam mittendorum fratrum oſtendit fuiſſe, non ut docerentur, neque ut redderentur voluntarii ad collectam faciendam, quia ob eam cauſam ſupervacaneum fuiſſet ſcripſiſſe, nedum fratres ad eos miſiſſe.

Verſ. 2. *Novi enim promptum animum veſtrum, quem de vobis jacto apud Macedones, Achajam videlicet paratam eſſe ab anno ſuperiore: & ex vobis* ortus *zelus provocavit complures.*

Confirmat dictum tribus rationibus.

Novi] Ratio prima, Quia ipſorum promptitudinem animi probè ante noverat.

Jacto] Ratio 2. Quia de illorum alacritate gloriatus fuerat.

Rebus]

Zelus] Ratio 3. Quia ipsorum studium in hoc negotio provocaverat multos, ad similem alacritatem & zelum.

Vers. 3. *Misi autem hos fratres, ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat hac in parte: ut (sicut dicebam) parati sitis:*

Veras verò rationes cur miserit fratres proponit quinque: Ratio prima, Ut pararent beneficentiam ipsorum eo citius ad deportationem, & ut jam collecta pecunia inveniretur à legatis, sicut pollicitus fuerat ipsorum nomine Apostolus.

Ne gloriatio] Ratio 2. Ne gloriatio Apostoli de illis vana comperiretur.

Vers. 4. *Ne quo modo, si mecum venerint Macedones, & offenderint vos imparatos, pudefiamus (ut ne vos dicam) in præfidente ista gloriatione.*

Ratio 3. Ex superiori sequens: Ne & ego & vos pudefiamus, si imparati deprehensi fueritis, quando ego una cum Macedonibus, qui gloriantem me de vobis audiverunt, venerimus ad vos.

Vers. 5. *Itaque necessarium putavi adhortari fratres, ut prius eant ad vos, & prius absolvant antea inditam beneficentiam vestram, ut ea sit parata ita ut beneficentia, & non ut extortum aliquid.*

Ratio 4. Misi ad vos fratres, ut in colligenda pecunia à fratribus delegatis juvemini, quo paratiora omnia sint.

Non ut extortum] Ratio 5. Misi ad vos fratres, qui curarent inter colligendum, ne quis urgeatur ad plus quam vellet, contribuendum, & ne in colligentibus avaritia, vel in contribuentibus parsimonia se prodat, sed ut qui dant, liberaliter & sponte dent, & sic tota collectio liberalis quasi benedictio, in meo adventu appareat.

Secunda Pars.

Vers. 6. *Illud autem* dico, *Qui serit parcè, parcè etiam metet: & qui serit benignè, benigne etiam metet.*

Secunda pars Capitis, in qua ut liberaliter, & sicut decebat sanctos eleemosynam hanc erogarent, addit argumenta decem.

Argumentum primum, Quia quicunque vel nihil, vel non pro facultatum ratione, vel non ex cordis proposito dabunt (quod est *parcè seminare*)

parcè etiam messuri sunt, hoc est, vel nihil vel temporaneam tantùm mercedem reportaturi: Idcirco liberaliter date.

Benignè] Arg. 2. Quia qui liberaliter, & ex dilectione dabunt (quod est in *benedictionibus seminare*) liberalem messem habituri sunt. Liberaliter ergo date.

Vers. 7. *Quisque sicut præ ptat corde*, ita *agat: non ex tristitia aut necessitate: nam hilarem datorem diligit Deus.*

Postquam expositi quid sit liberaliter dare, seu in benedictionibus seminare, (nempe ex animi proposito dare, non ex tristitia vel ex necessitate: Qui enim sic dat, pacè dat quantumcunque dat, & nihil daturus est si animi sui propositum sequi liceret) addit Arg. 3. Deus diligit hilarem datorem, & per consequens tristem datorem, & involuntarium non diligit, non approbat, non ei benedicit. Hilariter ergo & liberaliter date.

Vers. 8. *Potens est autem Deus efficere, ut omnis gratia in vos redundet: ut in omnibus semper omnino quantum sufficiat penes vos habentes, abundetis ad omne opus bonum.*

Arg. 4. In solutione objectionis tacitè proponitur. Tantùm abest (inquit) ut metuatis inopiam, si copiosiùs tribuatis, ut contra expectetis potius, Deum ex gratia & potentia sua largiturum vobis, quantum satis erit rerum temporalium, ut non tantùm vestra forte contenti sitis, sed etiam ad omne opus bonum, in aliis juvandis abundetis: Ergo liberaliter date.

Vers. 9 (*Sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus: beneficentia ejus manet in seculum.*

Confirmat hoc argumentum ex *Psal.* 112. 9. Ubi dicitur justus bona sua dispergere, & pauperibus largiri, & benignitas tamen ejus durare in perpetuum, ubi insinuatur Arg. 5. Quod sit proprietas viri justi pauperibus bona sua largiri, & Dei in eum ordinaria benedictio sit, ut quæ porro largiatur, habeat: Idcirco liberaliter dando justos vos declarate.

Vers. 10. *Porrò qui suppeditat semen serenti, is quoque panem vobis ad escam suppeditet, & multiplicet sementem vestram, & augeat fructus beneficentiæ vestræ*)

Arg. 6. Voto & similitudine inclusum, sicut Deus suppeditat agricolæ, & semen ante sementem, & panem post messem, sic & vobis suppeditabit.

ditabit semen ad eleemosynam faciendam, & fructum ex semente suppeditabit, utque multiplicet vobis facultates ad benefaciendum, & ad fructus justitiæ & misericordiæ ferendum, opto. Sementem ergo in hac eleemosyna eroganda ne dubitate facere.

Vers. 11. Ut inquam abundetis, *in omnibus ditati ad omnem benignitatem, quæ per nos efficit, ut gratiæ agantur Deo.*

Arg. 7. Vos gratia Dei locupletati, & abundantes od omnem liberalitatem, efficietis ut per nos qui observamus charitatem vestram, gratiæ agantur Deo: Ergo vel hoc nomine liberaliter date.

Vers. 12. *Nam subministratio oblationis istius non solùm supplet sanctorum inopiam, sed etiam redundat in multas gratiarum actiones apud Deum.*

Hoc argumentum confirmat ex eo, quod functio sacri hujus Ministerii suscepti de colligenda & contribuenda hac eleemosyna, non tantùm suppletura sit necessitates sanctorum in Judæa, sed etiam effectura ut per multos sanctos gratiæ agantur Deo.

Vers. 13 (*Dum per hanc istius subministrationis experientiam Deum glorificant de consentiente vestra subjectione in Euangelium Christi, deque benigna in se, & omnes communicatione.*)

Arg. 8. Hæc vestra liberalitas erit indicium fidei vestræ, & subjectionis animi in obedientiam Christi, & confessionis Euangelii ejus, & glorificandi Dei materia, & denique indicium liberalitatis vestræ in reliquos omnes pauperes ubi datur occasio: Date igitur liberaliter.

Vers. 14. *Et illorum preces pro vobis propenso amore vos diligentium propter gratiam Dei in vobis exuberantem.*

Arg 9. Sancti in Judæa refocillati vestra liberalitate orabunt Deum pro vobis: Dandum igitur liberaliter.

Amore] Arg. 10. Vestra hæc liberalitas excitabit in Judæis sanctis dilectionem erga vos, & desiderium vos videndi, & existimationem vestri non exiguam fovebit apud eos, propter eminentem in vobis Dei gratiam: Ne hic desitis ergo.

Vers. 15. *Gratia autem* sit *Deo super inenarrabili suo munere.*

Quasi jam voti compos, & prospiciens multiplicem hujus liberalitatis fructum futurum, quem Dei gratia productura erat, ex fratrum in

trum in Judæa refocillatione, gratias agit DEO pro dono DEI in liberalitate Corinthiorum, quod verbis pro dignitate satis explicari non potuit.

Caput Decimum.

Ertia pars Epistolæ: In qua Apostolus suam autoritatem vendicat à Pseudapostolorum asserſionibus, quibus ipsius authoritati apud Corinthios detrahere laborabant: Hoc capite; quia vitio vertebant Paulo, quod præsens inter Corinthios humiliter se gessisset, absens verò autoritatis gravitatem literis suis ostentasset, hanc calumniam amolitur, factum defendendo.

Capitis duæ sunt partes: In prima probat octo argumentis se minimè contemnendum, ad versum 12. *In secunda modestè se cum æmulis comparat, ad finem.*

Vers. 1. *CÆterùm precor vos per clementiam & æquitatem Christi, ego ipse Paulus, qui coram quidem humilis sum inter vos, absens verò sum erga vos confidens.*

Argumentum primum, Continetur in obtestatione per lenitatem & æquitatem CHRISTI, ne factum suum secus quam par erat interpretarentur: quasi diceret, Humilitas illa mea erat ipsissima mansuetudo & imitatio mansuetudinis CHRISTI, quam vobis in memoriam revoco, ut in me DOMINI nostri imitationem recognoscentes, de me recte judicetis. Non ergo despiciendus vobis sum.

Vers. 2 *Hoc autem rogo, ne, quum præsens adero, sim confidens ea fiducia qua cogito audax esse in quosdam, qui nos æstimant, ut si secundùm carnem incederemus.*

Arg. 2. Cavendum vobis est, ne vestra culpa cogar audacter potestatem meam exercere in quosdam ex vobis, cum venero, sicut statui exercere adversus eos, qui de nobis existimant quasi metu vel spe ducti, instar carnalium & irregenitorum, mores nostros mutaremus, non igitur despiciendus sum.

Vers. 3.

Vers. 3. *Nam in carne incedentes, secundum carnem non gerimus bellum,*

Arg. 3. Quamvis non immunis ab humanis infirmitatibus vitam dego in fragili carne; in executione tamen officii mei, & Ministerialis militiæ meæ, non secutus sum carnales affectus, metu vel cupiditate ductus, ut illi calumniantur, quando nunc humiliter, nunc pro officii dignitate & authoritate, me gerebam. Ergo non contemnendus sum.

Vers. 4. *Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed divinitus valida, ad subversionem munitionum.*

Arg. 4. Superius confirmans, Non opus erat mihi armis carnalibus, ut in versipelli mutatione morum, nunc adulatione, nunc jactantia, aliisve similibus malis artibus uterer, sed sufficiebant mihi arma mea spiritualia, qualia sunt, in veritate parresia, disciplinæ Ecclesiasticæ exercendæ autoritas, zelus, patientia, fortitudo Christiana, & cæteræ virtutes, quibus instructus militiam meam milito: Ergo non contemnendus sum. Horum armorum triplicem vim ostendit: 1. vis est, Quod virtute divina valida satis sint ad evertendum omnes sapientiæ humanæ munitiones, & ad demoliendum callidos prætextus & consilia omnia, quibus, pro erroribus & vitiis suis, contra Euangelium decertantes, defendere se solent, carnales.

Vers. 5. *Dum ratiocinationes evertimus, omnémque sublimitatem quæ extollitur adversus cognitionem Dei: & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo:*

Secunda vis. Arma illa etiam valida esse docet, sicut ad superbiam humanæ mentis, & altitudinem secularis scientiæ dejiciendam, sic etiam ad convertendum, seu subigendum summa ingenia, ut obediant, & humiliter captivorum more submittant se CHRISTO per fidem. Intellige de electis & ordinatis ad salutem.

Vers. 6. *Et paratum habemus quo vindicemus omnem contumaciam, postquam impleta fuerit vestra obedientia.*

Tertia vis, Sufficiunt arma illa verbi DEI, & censurarum Ecclesiasticarum, *&c.* Ad ulciscendum rebelles & inobedientes, ut quæ paratam habitura sint executionem, partim in hac vita, partim in futura; quæ arma expediturus erat Apostolus in adversarios, postquam Corinthiorum:

rum gregem ab illis seductum, in ordinem & obedientiam revocasset: statuebat enim prudenter censuras Ecclesiasticas exercere.

Vers. 7. *Quę ob oculos sunt aspicitis? si quis apud se confidit se Christi esse, hoc vicissim cogitet ex sese, quemadmodum ipse Christi est, ita & nos Christi* esse.

Arg. 5. Quo probat se non contemnendum, Quia de Apostoli dignitate non debet fieri judicium ex facie, & externa humilitatis specie: interrogatio enim negati officii vim habet, idemque valet quod *non debetis.*

Si quis] Arg. 6. Mea humilitas nihil detrahit de dignitate Ministerii mei, quin ipse sim æquiparandus cuivis ex æmulis, & tot nominibus CHRISTO propinquus, quam quivis ex iis. Non ergo despiciendus sum.

Vers. 8. *Nam si amplius etiam quippiam gloriar de potestate nostra quam dedit Dominus nobis ad ædificationem, ac non ad subversionem vestri, non pudefiam:*

Arg. 7. Quia utcunque, nunc humiliter, nunc pro autoritate me gessero, possum tamen sine vanitate de Apostolica mea autoritate gloriari. Interim ne potestatis commemoratio molesta esset, dicit hanc autoritatem datam sibi esse, ut ad salutem foret illis utilis, non verò ut ipsorum salutem impediret quovis modo.

Vers. 9. *Ne videar seu perterrefacere vos per epistolas.*

Vers. 10. *Nam epistolæ quidem (inquit) graves sunt & validę sed præsentia corporis infirma est, & sermo nihili.*

Vers. 11. *Hoc cogitet qui istiusmodi est, quales sumus verbo per epistolas quum absumus, tales etiam fore reipsa quum aderimus.*

Arg. 8. Ne videar affectare per Epistolas authoritatem quam non habeo, *vers.* 9. Sicut calumniatores mei insinuare satagunt dicteriis suis, *vers.* 10. Facto ostensurus sum, authoritatem meam cum ad eos venero eandem esse, quam per Epistolas ostendere soleo; Ne ergo me contemnite.

Secunda Pars.

Vers. 12 *Non enim audemus nos inserere aut conferre cum quibusdam qui seipsos commendant: sed non intelligunt quod ipsi sese seipsis metiuntur, & sese sibiipsis comparant.*

Secun-

Secunda pars Capitis in qua vanitatem æmulorum detegit, qui se ita efferebant, quasi non ausus fuisset Apostolus se ipsis æquiparare: Cum his se comparat Apostolus in quintuplici dissimilitudine.

Prima dissimilitudo: Nos humiliter & modestè nos gerentes, certè non sumus eorum similes, qui ambitiosè & glorioſè nobis insultant, (quasi cum illis non essemus conferendi,) commendantes seipsos, supra quam res ipsa eos commendari patitur.

Sed non] Secunda dissimilitudo: Illi insipientiam suam produnt, metientes se ex sua ipsorum æstimatione, magnosque se facientes, ex suo & sui similium judicio: nos vanitatem hanc vitamus.

Vers. 13. *At nos non gloriabimur de iis quæ mensuræ* nostræ *non sint, sed secundùm dimensionem regularem ejus mensuræ quam Deus nobis dispertitus est* gloriabimur *nos perveniſſe ad vos etiam usque.*

Vers. 14 *Non enim ut si non perveniremus usque ad vos, extendimus nosipsos suprà modum: nam usque ad vos etiam perveniimus in Euangelio Christi.*

Tertia dissimilitudo: Nos non gloriamur ultra regulam seu mensuram donorum, & vocationis nostræ, quasi missi essemus ad prædicandum iis quibus missi non sumus, sed continemus nos intra mensuram Apostolicæ vocationis, assignatam nobis à Deo, quæ pertingit ad prædicandum vobis Corinthiis, qui nostra opera conversi eratis ad fidem: Non sic se continent nostri æmuli, sed currunt ad eos quibus missi non sunt; & supra donorum, & benedictionis divinæ in labores suos mensuram, gloriantur.

Vers. 15. *Non de iis quæ mensuræ* nostræ *non sunt, gloriantes,* id est, *de alienis laboribus, sed sperantes* nos, *augescente fide vestra, per vos admodum amplificatum iri in assignata nostra mensura.*

Vers. 16. *Ut in iis* regionibus *quæ ultra vos* sunt *euangelizem: non ut in alteri assignata mensura, de præparatis gloriemur.*

Quarta dissimilitudo: Nos non gloriamur in alienis laboribus, quasi convertissemus ad fidem, quos non convertimus; sicut æmuli, qui gloriantur in vobis Corinthiis, quos non converterunt; sed speramus postquam vos confirmatiores in fide evaseritis, fore ut audeatis,

etiam propagando Euangelio nostro operam dare, & cum vicinis vestris agere, ut audiant me prædicantem: nam spero certè abundè magis ampliatum iri per vos Ministerii nostri fines, idque secundùm vocationis meæ regulam, cui Apostolatus ad Gentes committitur. Spero inquam fore, ut Euangelium prædicemus, etiam in regionibus quæ ultra vos sunt, ita ut non sit mihi futurum opus in aliena messe, per labores alienos præparata, gloriam captare, sicut Pseudapostoli jam faciunt, gloriantes in vobis, quos ego ad salutem converti: non illi.

Vers. 17. *Cæterùm qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Quinta dissimilitudo per modum præcepti proposita: Ego Apostolus gloriaturus sum tantùm in DOMINO, non in rebus malis, non in fictis, falsisve, non in donis DEI quasi meis, non in meipso, sicut æmuli mei in seipsis gloriantur; sed prout me approbaturus est DOMINUS, in DEO solo.

Vers. 18. *Non enim qui seipsum commendat, is probatus est, sed is quem Dominus commendat.*

Hujus rationem reddit, Quia nemo probatus est, qui seipsum ex sua opinione commendat, sed qui DEO probatus est, & ab eo obtinet testimonium: Hujus regulæ examen æmuli Apostoli non poterant subire.

Caput Undecimum.

Contra Pseudapostolos pergit sanctè gloriari. Capitis duæ sunt partes; In prima; ad gloriationem futuram paratâ sibi viâ cum reprehensione Corinthiorum gloriationis rationes reddit: Larvam obiter detrahens Pseudapostolis, ad vers. 21. *In altera gloriandi materiam adversus æmulos amplissimam aperit, ad finem.*

Vers. 1. *Utinam toleraretis paulisper insipientiam* meam: *imò etiam tolerate me.*

Quod ad primam attinet, etiamsi statuerat non nisi sanctè & castè in DOMINO gloriari, quia tamen primâ facie propria laus speciem habet insipientiæ; idcirco optat & rogat, ut tanquam insipientem paulisper ipsum tolerent, per concessionem loquens (alioqui, reipsâ in Apostolo jam

jam loquebatur SPIRITUS sanctus) ut prudentiæ suæ rationes in hoc facto meliùs ipsis patefaceret; Nam quia eos à vanis quibusdam & astutis hominibus, non sine Satanæ fraude deceptos videbat, ipsorum bono ad hanc gloriationem coactus est.

Vers. 2. *Æmulor enim vos Dei zelotypia. Præparavi enim vos* quos *uni viro* (ut *virginem puram*) *sistam* nempe *Christo*:

Decem autem affert rationes, quibus necessitatem gloriandi demonstrat. *Ratio prima*, Quia zelotypia sancta in causa CHRISTI ad hanc gloriationem adigor. Ergo gloriatio necessaria. Hanc rationem declarat, quia ut paranymphus studebat, non sibi, sed CHRISTO in conjugium, tanquam castam virginem, Corinthios adducere, & in ejus societate eos retinere.

Vers. 3. *Sed metuo ne quo modo sicut serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corrupta mentes vestræ* degenerent *à simplicitate quæ est in Christo.*

Ratio 2. Metuo, ne sicut Eva per calliditatem DIABOLI seducta fuit, sic vos à virginali simplicitate Euangelii CHRISTI, per Pseudapostolos corrupti, dimoveamini, pro sapientia DEI amplectentes sapientiam humanam, & fermentum Legalium Cæremoniarum admittentes, ad corrumpendam doctrinam gratiæ Euangelii inter vos. Necessaria ergo hæc gloriatio mea.

Vers. 4. *Enimverò si veniat qui alium Iesum prædicet quem non prædicavimus, aut* si *Spiritum alium acciptatis quem non accepistis, aut Euangelium aliud quod non accepistis, recte* eum *toleraveritis.*

Ratio 3. Meritò sufferretis gloriantem Thrasonicum aliquem prædicatorem, si posset ille impertiri vobis alium CHRISTUM, quod impossibile est, aut excellentiora SPIRITUS dona, aut aliud præstantius Euangelium, quam vos nostro Ministerio accepistis, & admisistis. Verùm cum istud impossibile sit, meritò debetis ferre me Apostolum gloriantem, per cujus prædicationem, facti estis participes & CHRISTI, & donorum SPIRITUS ipsius.

Vers. 5. *Puto enim me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis.*

Ratio 4. Confirmans priorem; Non esse inferiorem me Petro, Iacobo, & Ioanne (Apostolis illis qui maximi æstimantur) puto ipsos inficias non ituros; quia communicato cum illis Euangelio, *Galat.* 2.

nihil illi mihi contulerunt. Ergo necessaria est, & justa gloriatio mea adversus Pseudapostolos.

Vers. 6. *Quòd si rudis sum sermone, non tamen sum rudis cognitione: sed omnino manifesti sumus in omnibus apud vos.*

Ratio 5. Quia licet de ornato sermone, seu eloquentia cum æmulis contendere nollem, in cognitione tamen mysteriorum salutis, nulli cessurus sum, cujus rei testes appellat ipsos Corinthios, qui probè noverant ipsius scientiam.

Vers. 7. *Num peccavi quum meipsum demitterem ut vos attolleremini? quòdque gratuitò Euangelium Dei euangelizavcrim vobis?*

Ratio 6 In qua occurrit objectioni: Diceret aliquis, at dum Corinthi præsens esses ex labore manuario vivebas. Resp. Mea humiliatio, tantùm abest ut vitio vertenda sit mihi, ut potiùs laude digna sit, quia in commodum vestrum cedebat, quorum ego salutem tanti faciebam, ut commodis meis posthabitis, gratuitò vobis Euangelium prædicaverim: Ergo vel hoc nomine mihi licet gloriari.

Vers. 8. *Alias Ecclesias spoliavi, accepto ab eis stipendio, ut vobis inservirem: & quum apud vos essem & egerem, non obtorpui cum cujusquam incommodo.*

Vers. 9. *Inopiam enim meam suppleverunt fratres qui venerant à Macedonia: & in omnibus me præstiti vobis minimè onerosum, & præstabo.*

Factum suum clarius explicat metaphorâ lepidâ, ostendens se ab aliis Ecclesiis pauperioribus, per Euangelium triumphatis, quasi spolia reportasse stipendium ad se alendum, ut gratis Corinthiis posset melius inservire, vers. 8. Nominatim à Macedonibus Philippensibus, ne Corinthiis esset onerosus.

Vers. 10. *Est veritas Christi in me quòd hæc gloriatio non obstruetur contra me in regionibus Achaiæ*

Vers. 11. *Quapropter? an quòd non diligam vos? Deus novit.*

Vers. 12. *Sed quod facio, etiam faciam, ut amputem occasionem, iis qui optant occasionem ut in eo de quò gloriantur reperiantur quales & nos.*

Ne facti sui pœnitere ipsum videatur, statuit posthac onerosum se non futurum

futurum illis, seu stipendium non accepturum, quod confirmat juramento, vers. 10. & ne ægre ferrent quasi ex defectu dilectionis, nollet stipendium ab ipsis recipere, profitetur ex speciali dilectione erga eos, se id statuisse, DEUM testatus de sermonis sui veritate, vers. 11. idque in hunc finem, ne in hac gloriatione superiores esse viderentur Pseudapostoli, quibus calumniandi ansam voluit sic auferri, qui alioqui dixissent Paulum rei familiaris augendæ causa, Corinthiis prædicasse.

Vers. 13. *Nam ejusmodi pseudoapostoli, operarii dolosi sunt, transformati in Apostolos Christi.*

Vers. 14. *Neque id mirum: ipse enim Satanas transformatur in angelum lucis.*

Vers. 15. *Non magnum est igitur si transformentur ut ministri justitiæ, etiam ejus ministri quorum finis erit secundùm opera eorum.*

Ratio 7. Gloriationis necessitatem ostendens, Quia æmulorum ipsius nequitia ad hanc gloriationem impellebat, Illi enim mentiebantur se Apostolos CHRISTI, & operarios esse in DEI vinea, cum interea non DEI, sed sua negotia solum curarent; Prædicabant enim Euangelium emolumenti & honoris sui gratia: mentiebantur se CHRISTI Ministros, cum essent tantùm personati histriones, vers. 13. neque hoc mirandum, cum essent hi nebulones Apostoli Satanæ, imitantes DIABOLUM (qui speciem aliquando induit Cœlestis alicujus angeli, ut sub prætextu zeli & pietatis, hominibus imponat) cujus mores sequebantur æmuli ipsius, præ se ferentes studium gloriæ CHRISTI: cum interim ventri, crumenæ, & honori suo, omne studium suum sacrificarent, susque deque habentes quid de Apostolis, quid de Ecclesiis fieret, modo ipsi votis suis potirentur: quibus propterea minatur Apostolus mortem æternam, secundum ipsorum merita.

Vers. 16. *Rursum dico, ne quis me putet insipientem esse: alioquin etiam ut insipientem accipite me, ut paululum quiddam & ego glorier.*

Vers. 17. *Quod dico, non dico secundùm Dominum, sed ut insipienter, in præfidente ista gloriatione.*

Ratio 8. Quia sapienter factum comperturi erant, quod sic glorietur in hac tanta necessitate: quod ut advertant, rogat; si verò ipsius in gloriando necessitatem justam, & prudentiam, in præsentiarum, minus

nus possent perspicere, rogat saltem ut patienter ferant aliquantisper, quasi insipienter gloriantem, usque dum orationem & apologiam absolveret, vers. 16. concedens tantùm, non verò affirmans, se gloriari insipienter, seu non ut DEO dignum erat: alioqui enim Apostolus summa cum Spiritus sapientia, ad DEI gloriam, & salutem Ecclesiæ justissimè in hoc negotio toto gloriabatur.

Vers. 18. *Quandoquidem multi gloriantur secundùm carnem: & ego gloriabor.*

Ratio 9. Quia falsò gloriabantur adversus eùm Pseudapostoli, ideo æquum esse contendit ut ipse glorietur verè in defensione sui.

Vers. 19 *Libenter enim toleratis insipientes, quum sitù sapientes.*

Ratio 10. Sapientes tolerare solent eos qui stolidiores videntur, ut experientia novistis: Quid ni ergo me necessariò gloriantem etiamsi quibusdam ex vobis insipiens hic videar, sufferatis?

Vers. 20. *Toleratis enim siquis vos in servitutem adigat, siquis exedit, siquis accipit, siquis attollit sese, siquis vos in faciem cadit.*

Ratio 11. Quia toleratis multo duriora quam stultitiam hanc (ut videri potest) gloriationis meæ: nam primo importunos homines qui redigunt vos in servitutem toleratis: tales erant Pseudapostoli qui dominationem in ipsos exercebant, Ecclesiam Corinthiorum in factiones dividebant, & seipsos duces & dominos suorum, inter Corinthios, sequacium, tanquam militum & servorum, statuebant: 2. Toleratis eos qui devorant vos: tales erant Pseudapostoli lauta convivia affectantes & exedentes Corinthiorum rem familiarem: 3. Toleratis spoliatores, quales etiam erant Pseudapostoli, qui stipendia certè nolebant habere, interim muneribus inhiabant, eaque à Corinthiis captabant & emulgebant: 4. Toleratis vestri contemptores; quales erant Pseudapostoli qui propter genus, & nationem Hebræam, & dona aliqua Spiritus sibi data supra Ecclesiam Corinthiorum, ex Gentibus illiteratis & ignobilibus collectam, in immensum se efferebant: 5. Toleratis cædentes vos in faciem, seu qui contumeliosè vos tractant. Quid ni igitur meam hanc justam toleretis gloriationem.

Vers. 21. *Quantum ad contumeliam dico, nempe quia nos infirmi fuimus: imò in quocunque audacia uti velit aliquis (insipienter loquor) audacia velim uti & ego.*

Exponit

Exponit *in os cædere*, intelligendum esse, non de externa violentia, sed contumeliæ respectu, cujusmodi nonnihil ipse cum Corinthiis à falsis illis doctoribus expertus erat; cum Pseudapostoli Corinthius exprobrabant in os animi abjectionem, quod Paulo opificium manuale exercenti, se subjecerint: quid enim aliud erat hoc, quam Corinthios in os cædere, & sancto Apostolo insultare.

Secunda Pars.

Imò in quocunque] Secunda pars Capitis, in qua via jam sibi parata ad gloriationem justam, & gloriationis necessitate demonstratâ, comparat se cum glorioſulis illis doctoribus, ex indiciis dignitatis suæ quatuor, probans se illis non inferiorem, sed multis nominibus præferendum esse.

Primum indicium dignitatis in genere propositum: Quod in nullo fuerit illis inferior, quocunque se verterent in gloriatione sua: interim modestè concedit speciem stultitiæ in hac gloriatione, quam tamen sapienter prosequitur.

Vers. 22. *Hebræi sunt? sum & ego: Israelitæ sunt? sum & ego: semen Abrahæ sunt? sum & ego:*

Secundum indicium dignitatis specialius est, quod generis nobilitate æquiparabilis sit illis: nam si à Gente sancta gloriam quærerent; Ille ex ea familia quæ non se comiscuerat, cum Gentibus oriundus erat: ex parentibus Hebræis Hebræus erat; si prosapiæ nobilitate gloriari vellent, ille ex nobilioribus Israelitis oriundus erat, quia ex Tribu Benjamin erat oriundus: fuit autem Benjamin filius Rachel fœminæ liberæ: aliquæ autem tribus ex ancillis originem habebant: Si religionis antiquitate certarent, quod in fœdere manserint ut Abrahamidæ veri, hîc etiam par cuivis erat.

Vers. 23. *Ministri Christi sunt? (ut desipiens loquor) supero ego: in fatigationibus amplius, in vulneribus supra illos, in carceribus amplius, in mortibus, sæpe.*

Indicium 3. Si muneris dignitate certarent, hîc modestè ut coactus se illis præfert respectu Apostolatus, & officii extra ordinem ipsi concessi, major sum, inquit, quia Apostolus sum.

In laboribus] Indicium 4. Dignitatis, est Sinceritas in officio suo administrando:

ministrando: hujus sinceritatis Testimonia affert Novem: In primo profert, labores seu diligentiam. In secundo Passiones in genere, quæ valetudinem & libertatem corporis spectabant, & capitis pericula.

Vers. 24. *A Judæis quinquies accepi quadragenas plagas, unâ minus.*

Tertium Testimonium affert passiones speciales à Judæis, Quod plagis cæsus sit à Judæis quinquies, ad numerum plagarum secundum legem maleficis infligendarum, nam Judæi licet crudeles, intra legem tamen, DEUT 25. 3. se continuisse videri volebant.

Vers. 25. *Ter virgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi:*

Quartum Testimonium perhibent ipsius passiones à Gentibus, quod à lictoribus Gentium, fustibus seu virgis ter sit cæsus, & semel lapidatus: 5. Quod naufragium ter fecerit, in quorum uno postquam viginti quatuor horas in mari profundo undis agitatus esset, potenti DEI manu liberatus est.

Vers. 26. *In itineribus sæpe* fui, in *periculis fluminum, periculis latronum, periculis à meis gentilibus, periculis in Gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres;*

Sextum sinceritatis Testimonium continet itinerum labores, & octo genera periculorum; Quæ variis in locis, & à diversis hominum generibus ipsum exceperunt.

Vers. 27. *In fatigatione & ærumna, in vigiliis sæpe, in fame, & siti, in jejuniis sæpe, in frigore & nuditate:*

Septimum, habet quinque molestiarum genera, quibus dum Ministerii opus persequebatur, exercitus est sæpius, in quibus delassatus, pro quiete coactus est novos labores capessere.

Vers. 28. *Absque iis quæ extrinsecus* eveniunt, urget *agmen illud in me quotidie consurgens, id est, solicitudo de omnibus Ecclesiis.*

Octavum Testimonium, Invicta patientia in quotidianis negotiis publicis, cum solicitudine animi de omnibus CHRISTI Ecclesiis.

Vers. 29 *Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego uror?*

Nonum

Nonum Testimonium sinceritatis, est sympathia cum omnibus afflictis, & scandalo aliquo offensis.

Vers. 30. *Si gloriari oporteat, de iis quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.*

Retorquet objectionem adversariorum: At omnia hæc contemptibilem reddiderunt te, & miserum hominem. Respondet quod dedita opera statuerit tamen in his gloriari. ut quæ sinceritatem ipsius magis commendarent, quam Pseudapostolorum res prosperæ ipsos ornarent.

Vers. 32. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, laudandus in secula, novit me non mentiri.*

Vers. 32 *In urbe Damasci, gentis præfectus nomine Aretæ regis, præsidio tenebat Damascenorum urbem, cupiens me prehendere.*

Vers. 33. *Sed per fenestram in sporta demissus fui per mœnia, & ejus manus effugi.*

Denique, quia incredibilia videri poterant quæ commemoravit, quod scilicet sustinendis tot malis unus par esse potuerit, præmisso juramento de veritate tam dictorum quam dicendorum, commemorat speciale periculum Capitis, ex quo nullus patebat exitus, nisi DEus ipsum incolumem servare in bonum Ecclesiæ voluisset, & viam ad evadendum speciali providentia sua aperuisset, de quo vide *Act. 9. 23.*

Caput Duodecimum.

PErgit *in sancta Gloriatione: Capitis tres sunt partes, in prima Cœlestem visionem sibi oblatam, una cum ejusdem eventu explicat, ad* vers. 11. *In secunda probat Corinthios debuisse hâc gloriationis necessitate ipsum liberasse, seu ipsum defendisse, ad* vers. 19. *In tertia, causas solicituinis suæ affert.*

Vers. 1. GLoriari *sanè non expedit mihi: veniam enim ad visiones, & revelationes Domini.*

Præmissâ præfatione, quod non sua causa glorietur, quia nimirum illud non expediebat ipsi, (*mihi* enim hîc emphaticum est) sed Corinthiis &

Ecclesiæ ; quorum intereat Apostoli autoritatem sartam tectam conservari accedit ad revelationes extraordinarias, quarum unam incipit historicè narrare.

Vers. 2. *Novi hominem in Christo ante annos quatuordecim, (an in corpore nescio: an extra corpus nescio ; Deus novit) raptum in tertium usque cœlum.*

Novi hominem] Hujus revelationis præstantiam, suamque in certando modestiam novem argumentis insinuat.

Argumentum primum, Quod vix audeat nomen suum edere in hoc negotio, sed ne nimium sibi arrogare videatur, in tertia persona de seipso loqui cogatur.

In Christo] Arg. 2. Quod etiamsi videatur hæc revelatio supra communem hominum sortem ipsum extollere, non aliam affectet tamen excellentiam, quam in CHRISTO, seu in fidelium numero esse, qui sibi ipsis renunciarunt, ut in uno CHRISTO glorientur.

Quatuordecim] Arg. 3. Quod tacitus apud se suppresserit hujus gloriosæ revelationis mentionem jam totos. 14. annos; nunquam eam prolaturus, nisi coactus fuisset æmulorum importunitate, qui ipsius autoritati Apostolicæ, in Euangelii & Ecclesiarum detrimentum detrahere operam dabant

Raptum] Arg. 4. Quod raptus fuerit in Cœlum supremum, supra omnia sidera, in locum beatorum Spirituum, ubi DEUS suam gloriam maximè manifestat.

An in corpore] Arg. 5. Quod nesciat an raptus sit locali corporis translatione in Cœlum, an anima extra ordinem ad tempus separata, & in Cœlum sublata, fuerit: de altero tamen certus.

Vers. 3. *Et novi hujusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus, nescio: Deus novit)*

Vers. 4. *Raptum fuisse in Paradisum, & audisse ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.*

In paradisum] Arg 6. Quod certum sciat rem gestam, & se raptum in paradisum, seu in beatam illam sedem gloriæ DEI, (propterea secundo repetit, *novi hominem*) & audiisse ibi ineffabilia verba, quæ non licebat homini loqui, id est, quorum alia explicari non poterant; alia verò fas non erat ipsi exprimere, quæ alioqui nisi prohibitio impediviset explicari

plicari potuissent: siquidem quæ revelabantur, privatam ejus confirmationem & præparationem ad certamina quæ subiturus erat, spectasse certum est.

Vers. 5. *De ejusmodi* re *gloriabor*: *de meipso verò non gloriabor, nisi de infirmitatibus meis.*

Arg. 7. Quod de hujusmodi homine, id est, de se, ut de servo DEI exaltato hunc in modum, in gloriam DEI gloriaturus quidem sit: non autem de seipso in se spectato, propterea quod in se nihil haberet in quo gloriaretur præter infirmitates suas.

Vers. 6. *Nam si volnero de iis gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam, sed parcè loquor, ne quis de me cogitet supra* id *quod videt* esse *in me, aut* quod *audit ex me.*

Arg. 8. Quod etiamsi gloriandi materia satis ampla ex hac revelatione oblata sit, ut verè & solidè sine vanitate, multò amplius gloriari posset, statuerit tamen parcè admodum hac de re loqui, ne nimiam sui æstimationem excitaret.

Vers. 7. *Et ne excellentia revelationum supra modum efferrer, datus est mihi furculus infixus carni, & angelus Satanæ, ut me colaphìs cædat, ne supra modum efferrer.*

Arg. 9. Quod revelationis excellentia tanta fuerit, ut ad præcavendam superbiam, missus sit Angelus Satanæ, ad Apostoli humiliationem.

Furculus] Describit autem humiliandi sui rationem ita, ut humiliationis rationes insinuet tres.

Ratio prima, Quod materia humiliationis, fuerit reliquiarum peccati aliquid in carne sua, seu natura corrupta nondum penitus abolita, hærens; motio scilicet concupiscentiæ aliqua, ad porrò peccandum tendens, quam motionem comparat furculo in cædua silva reliquo, quia non minorem molestiam sancto DEI servo exhibebat, quam furculus infixus pedi viatoris creare solet.

Angelus] Ratio humiliationis 2. Quod hæc motio, adjunctam habuerit specialem tentationem, ad aperiendum aditum, DIABOLO & locum dandum peccato.

Colaphìs] Ratio 3. Quod hæc tentatio emissa à DIABOLO adeò violenter ad peccandum ipsum solicitaverit, ut coactus sit opem divinam implorare, ne tentationi succumberet: quod exercitium ut non miran-

dum est, legenti Cap. 7. ad Rom. sic agnoscendum ex eodem illo Cap. medium fuisse ad humiliationem Apostoli efficacissimum: qui enim magno animo omnes molestias & pugnas cum hostibus corporeis & spiritualibus ferre solebat, in sola lucta cum carne sua ejulare auditur, & exclamare, *Me miserum, quis me eripiet, &c.*

Vers 8 *Super hoc ter Dominum rogavi, ut abscederet a me.* Sequitur ipsa humiliatio Apostoli, cujus indicia affert quatuor: Indicium primum, Quod sæpius Deum precibus solicitaverit ad se liberandum à tentatore.

Vers. 9. *Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem perficitur. Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia CHRISTI.*

Indicium 2. Quod acquieverit in Dei responsione, qua docebat ipsum partim de sufficientia gratiæ suæ, ad sustinendum luctantem servum suum, ne à tentatore superaretur, & abluendam omnem pollutionem quam in lucta contraheret: Partim de fine Consilii sui in servorum suorum exercitatione, qui est ut quanto infirmior servus aliquis Dei, in lucta aliqua comperitur, tantò Dei virtus in eo sustinendo, clariùs & perfectius se demonstraret.

Libentissime] Indicium 3. Quod ex hoc exercitio sequuta sit constantior humilitas, qua jam statuerit in omnibus rebus infirmitatem suam, & defectus suos agnoscere, in eum ipsum finem, ut Christi virtutem inhabitantem, tantò potentiùs & luculentiùs manifestatam in se experiretur.

Vers. 10. *Propterea oblector in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo: quum enim impotens sum, tunc potens sum.*

Indicium 4. Quod jam didicerit, non modo fortiter ferre omnes afflictiones pro Euangelio quæ ipsum humiliorem reddere possent, sed etiam ex illis voluptatem maximam percipere: quia cum se infirmum maximè percipiebat, ad Christum confugiens, præsentiorem ipsius potentiam experiebatur, ad ipsum sustinendum, consolandum, & victorem reddendum.

Secunda

Secunda Pars.

Vers. 11. *Fui insipiens in gloriando: vos me coegistis: nam ego debueram à vobis commendari: nulla enim in re inferior fui summis Apostolis, tametsi nihil sum.*

Secunda pars Capitis continens gloriationem in Apostolatus sui, potenter & sincerè administrati inter Corinthios, manifestatione. Hanc gloriationem purgat ab insipientia, quam objicere possent aliqui, conjectâ in Corinthios culpâ; ex quorum neglectu oriebatur Apostolo necessitas gloriandi: nam illi dignitatem ipsius debebant asserere contra Pseudapostolos. *Debueram à vobis commendari, inquit,* seu vestrum erat me defendere; hujus propositionis, & simul etiam gloriationis rationes affert novem.

Nulla enim] Ratio prima, Quia licet Apostolus in se nullus erat, tamen gratia Dei non inferior erat summis Apostolis, ipsis etiam Corinthiis testibus: Idcirco debuit ab iis defendi & commendari.

Vers. 12. *Indicia quidem Apostoli edita sunt apud vos per omnem tolerantiam, & signa & prodigia & virtutes.*

Ratio 2. Confirmans priorem. Quia inter vos signa Apostolatus mei apparent, Partim in admiranda laborum, molestiarum & injuriarum patientia: Partim in apostolatus mei effectis & indiciis; in prodigiis scilicet, miraculis, & potentibus operibus. Ergo debueram à vobis commendari.

Vers. 13. *Nam quid est in quo fuerit̀ inferiores cæteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non obtorpui cum vestro incommodo? condonate mihi hanc injuriam.*

Ratio 3. Quia Corinthiaca Ecclesia tam illustribus donis Spiritus sancti dotata est, per meum Ministerium, quam quævis alia Ecclesia, sive ab aliis Apostolis, sive à meipso fundata. Ergo meum Ministerium à vobis defendi debuit.

Nisi quod] Ratio 4. Quia zelus ipsius in propagando inter illos Euangelio, tantus erat, ut gratis Corinthiis prædicaret Euangelium, de quo si injuria sit, urbanâ ironiâ veniam deprecatur, beneficium datum illis insinuans: Defendi ergo ab iis debuerat.

Vers. 14.

Vers. 14. *Ecce, tertiò paratus sum venire ad vos, ne cum vestro incommodo obtorpescam, non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos, Non enim debent filii parentibus thesauros congerere, sed parentes filiis*

Ratio 5. Confirmans priorem. Quia idem adhuc Apostoli animus manebat erga illos de stipendio in posterum non accipiendo, cum venturus esset ad eos; nam jam tertio parabat se ad iter, licet secundus conatus impeditus fuerit, ut, 1. ad Cor. 1. habetur.

Vestra] Ratio 6. Confirmans priorem, Quia quærebat Corinthiorum salutem, non verò ipsorum bona in familiarem rem suam convertere: Debebant igitur ipsum defendere.

Non enim] Ratio 7. Quia licet Pater spiritualis sit, qui ali debeat à grege seu liberis suis, præ ipsorum studio tamen imitari studuerat parentes naturales, qui thesaurizant filiis suis, intellige ordinariam agendi rationem. Nam alioqui si opus habeant parentes, non est dubium quin liberos deceat mutua parentibus officia præstare, ipsosque alendo honorare.

Vers. 15. *Ego verò libentissime impendam, & expendar pro animabus vestris: etiamsi, abundè vos diligens, minus diligar.*

Ratio 8 Quia paratus erat & bona sua, & vitam ipsam in eorum salutem impendere: Quam vehementem dilectionem amplificat ex Corinthiorum ingratitudine, qui interim vicem non reddebant amoris, sed æmulos ipsius Pseudapostolos, recipiebant, & pluris faciebant eos quam ipsum Apostolum patrem suum.

Vers 16 *Sed esto, ego vos non gravavi: sed quum sim callidus, dolo vos cepi.*

Vers. 17. *Numquem quemquam eorum quos misi ad vos, expilavi vos?*

Vers. 18. *Precatus sum Titum & cum eo misi fratrem: nunquid vos expilavit Titus? nonne eodem Spiritu incessimus? nonne iisdem vestigiis?*

Ratio 9. In qua occupat objectionem, Diceret aliquis, etiamsi tuipse non recepisti ab illis stipendium, fortasse tamen per alios emissarios tuos eos exuxisti. Respondet ipsius comites & legatos, quos ad Corinthios miserat, simili studio cavisse, ne Corinthios sumptibus aut acceptis muneribus

ribus gravarent. Obiter autem perſtringit adverſarios, dum ſe purgat ab iis artibus, quibus doloſi illi operarii utebantur, qui cum ipſi nolle quicquam accipere videri volebant, alios ſubornabant qui in ipſorum uſum acciperent à Corinthiis quantum emungere poterant: Ergo Corinthii qui iſta optime noverant, Paulum defendere debebant, & ipſius loco reſponſionem obtrectatoribus in os reponere.

Tertia Pars.

Verſ. 19. *Rurſum putatis quòd nos vobis excuſemus? in conſpectu Dei, in Chriſto loquimur: omnia tamen hæc, chariſſimi pro veſtri ædificatione.*

Tertia pars Capitis in qua per occupationem objectionis, defenſionis ſuæ adeò ſolicitæ cauſas reddit: Diceret aliquis, quorſum iſta ſcribis; quorſum iſta defenſio; num alicujus mali conſcius es, vel an gloriam apud nos captas? Reſpondet afferendo tantæ ſuæ ſolicitudinis cauſas quinque.

Prima, Non eò hæc ſcripſi, ut (quaſi mali alicujus conſcius eſſem, aut gloriam captarem) me apud vos purgem, aut excuſem! Sed ex dilectione erga vos, ut veſtram ædificationem & ſalutem promoverem, ne vos ſcilicet minus honorificè de meo Apoſtolatu ſentientes, per Pſeudapoſtolos à ſimplicitate Euangelii demoveremini: In cujus aſſeverationis meæ Teſtimonium, invoco teſtes, DEUM, qui novit meum animum, & CHRISTUM, cujus negotium ago.

Verſ. 20. *Nam metuo ne quo modo, quum venero, non quales velim repe iam vos, & ego reperiar vobis qualem nolitis: ne quo modo ſint lites, æmulationes, iræ, contentiones, obtrectationes, ſuſurri, tumores, tumultuationes:*

Secunda cauſa, Metuo ne labefactata inter vos, per Pſeudapoſtolos, mea authoritate & Doctrina, cum venero comperiam vos quales nollem, id eſt, infectos illis malis, quæ ſchiſmata ſequuntur; qualia ſunt lites ſeu contentiones in verbis: æmulationes, ſeu invidia de donis DEI: excandeſcentiæ, ſeu iræ ex mutuarum injuriarum apprehenſione: rixæ ſeu mutuæ provocationes: obtrectationes & ſuſurri, quibus apertè & clam alii aliorum famam lædere ſolent: tumores & animi quaſi inflationes ex ſuperbia: & denique ſeditiones tumultuoſæ.

Et ego]

Et ego] Tertia causa, Metuo ne me severiorem quam velletis experiamini, nisi tempestivè meis admonitionibus emendati, doctrinæ & autoritati meæ in DOMINO vos submittatis.

Vers. 21. *Ne iterum ubi venero, me deprimat Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui antè peccarunt, nec respuerunt super impuritate, & scortatione, & protervia quam patrarunt.*

Quarta causa, Metuo ne si despiciatur mea apud vos autoritas, multi ex vobis impœnitentes permansuri sint in impuritate, scortationibus, & similibus peccatis, quæ ego in priori Epistola reprehendi.

Deprimat me] Quinta causa, Metuo ne me affligat DOMINUS, cum venero ad vos, nempe ne pudorem, tristitiam & luctum mihi creent peccata vestra, & scandala in vobis, qui mea gloria & gaudium estis, si sicut filios decet vos geratis; pudoris verò & tristitiæ causa futuri estis, si secus feceritis.

Ut his malis obviam iretûr, & scandala inter ipsos scatentia auferrentur, necessarium erat Apostoli, & Apostolicæ doctrinæ, autoritatem sartam, tectam, inter eos conservari, in eumque finem necessaria erat hæc Apostoli apologia.

Caput Decimumtertium.

Apte hoc ultimo pergit autoritatem suam Apostolicam à contemptu vindicare, eamque metuendam & amabilem ipsis reddere: propositio confirmanda est, Reverenda vobis debet esse autoritas mea. Argumenta, quæ hanc thesin confirmant sunt decem.

Vers. 1. *Tertia hac vice venio ad vos: Ex ore duorum testium aut trium, firmum erit omne verbum.*

Argumentum primum, Præmoneo, pro autoritate mihi data, de meo proposito ad vos veniendi, jam tertia vice repetito, ut præmonitiones duæ vel tres de meo adventu, duorum aut trium testium loco sint, ad firmum meum propositum declarandum, de judicio Ecclesiastico inter vos exercendo: Metuenda vobis igitur autoritas mea.

Vers. 2.

Vers. 2. *Prædixi & secundò prædico, ut præsens, & absens nunc scribo iis qui antè peccarunt, & reliquis omnibus, fore ut, si denuò venero, non parcam* :

Arg. 2. A commination severitatis exercendæ cum advenerit, in impœnitentes, qui prius peccaverant, & non resipuerant: Persuasum habete me severè animadversurum in impœnitentes cum venero. Metuite & resipiscite igitur.

Vers. 3. *Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis.*

Rationem reddit comminationis tam severæ: Quia tentabant & CHRISTUM & Apostolum, dubitantes an CHRISTUS in Apostolo, vel Apostolus ex autoritate CHRISTI loqueretur, & simul addit Arg. 3. ad vindicandam suam autoritatem. CHRISTUS potenter per meum Ministerium se inter vos manifestavit, partim gratia peccatoribus data; partim donis Spiritus in Presbyteros & alios, collatis; Partim miraculis inter vos editis; partim castigatione peccatorum pertinacium. Metuite igitur.

Vers. 4. *Nam etsi crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen ex potentia Dei: nam & nos infirmi sumus cum eo, sed vivemus cum eo, ex virtute Dei apud vos.*

Arg. 4. Sicut CHRISTUS in carnis infirmitate fuit crucifixus, sed in Spiritu & potentia Deitatis suæ vivere comperitur, sic ego specie infirmus sum, & humiliter me gessi propter CHRISTUM, ut CHRISTO conformis essem, sed virtute DEI potens fui, & futurus sum etiam potens in Ministerio meo, ubi res postulaverit: Metuenda ergo vobis mea autoritas.

Vers. 5. *Vosipsos tentate annon sitis in fide; vosipsos probate, anne non agnoscitis vosmetipsos*, videlicet *Iesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis.*

Arg. 5. Omnes vos, post vestri probationem, cognoscere poteritis CHRISTUM in vobis habitare per ministerium meum, nisi aliqui ex vobis sint rejectanei, & indigni fidelium nomine, salem nondum regeniti. Ergo mei Apostolatus autoritas reverenda vobis esse debet.

Vers. 6. *At spero fore ut cognoscatis nos non esse reprobos.*

Arg. 6. Quales quales vos jam sitis, spero fore ut tandem veritate victi, & indiciis mei Apostolatus convicti, cognoscatis me esse genuinum CHRISTI servum, & Apostolum non adulterinum seu rejectaneum: Ergo reverenda vobis debet esse autoritas mea.

Vers. 7. *Opto verò à Deo nequid mali faciatis; non ut nos probati comperiamur, sed ut quod honestum est faciatis, nos verò velut reprobi simus.*

Arg. 7. Quo non solùm autoritatem suam vindicat à contemptu, sed etiam ex animi sui moderatione amabilem reddit: Impensè cupio vos à malo omni abstinere, & bonum facere, ne sit opus autoritatis meæ inter vos exercitio; in eumque finem DEUM oro, nihil solicitus de mea æstimatione, sive approbatus sive reprobus ab hominibus judicer, susque deque habens, modo vobis benè sit. Ergo reverenda vobis debet esse autoritas mea.

Vers. 8. *Non enim possumus quicquam adversus veritatem, sed pro veritate.*

Arg. 8. Confirmans superius, Autoritas mea non valet contra veritatem, aut justitiam, ut illæ destruantur, sed pro veritate conservanda, ideoque si vos nihil mali faceretis, autoritas mea *contra* vos cessatura esset. Amabilis igitur ea vobis debet esse.

Vers. 9. *Gaudemus enim quum nos infirmi fuerimus, vos autem validi fueritis. Hoc autem etiam optamus, vestram* videlicet *instaurationem.*

Arg. 9. Confirmans septimum: Gaudeo quando subtractâ occasione autoritatis exercendæ, ego (quasi nullam haberem,) meam potestatem non ostendo, nihil magis in votis habens, quam vestram integritatem, ut rebus omnibus benè compositis, & membris Ecclesiæ quæ jam luxata sunt in locum suum restitutis, nunquam opus habeam, me ipsum extollere ad vestrum terrorem: Ergo reverenda & amabilis vobis esse debet mea autoritas.

Vers. 10. *Propterea hæc absens scribo, ne præsens severitate utar, ex potestate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, ac non ad destructionem.*

Arg. 10. Jam severiùs per literas ago vobiscum, ut resipiscatis, ne præsens cogar severiùs agere in impœnitentes, secundùm potestatem datam.

datam in vestrum bonum, non verò detrimentum: Idcirco reverenda debet esse mea apud vos autoritas.

Vers. 11. *Quod superest, fratres, valete, instauramini, consolationem habete, idem sentite, in pace agite, & Deus charitatis ac pacis* author *erit vobiscum*.

Vers. 12. *Salutate alii alios sancto osculo, Salutant vos sancti omnes.*

Vers. 13. *Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti* sit *cum omnibus vobis, Amen*.

Concludit Epistolam appositissima hortatione sextuplici: Prima, Ut obtemperando ipsius monitionibus gaudium solidum gaudeant: 2. Ut perfecti sint seu integri, & remoto schismate inter se coagmentati: 3. Ut de malis omnibus consolationem capiant ipsi obtemperando: 4. Ut sententiis inter se conveniant: 5. Ut affectibus juncti pacem colant: quas hortationes confirmat promissione divinæ præsentiæ in donis gratiæ amplioribus, quæ DEUS qui pace & dilectione gaudet, pacis & dilectionis studiosis concedere solet.

Salutate] Sextò hortatur, ut mutuæ dilectionis signa, sine dissimulatione, ut decet sanctos, sibi invicem exhibeant.

Gratia Domini] Post salutem dictam nomine sanctorum, in fine per benedictionem Apostolicam applicat illis, & optat porro concedi non solùm jus ad omnia salutaria beneficia CHRISTI, sed etiam agnitionem, sensum, fruitionemque ampliorem, primum gratiosæ reconciliationis factæ per CHRISTUM, deinde amoris Divini, qui per CHRISTUM descendit ad nos: & tertiò, omnis generis donorum Spiritus sancti, votum & spem obsignans quasi sigillo suo. Amen.

ANALYTICA

ANALYTICA EPISTOLÆ *AD GALATAS EXPOSI-*

tio. *Summarium.*

Galatia regio est minoris Asiæ, in qua Ecclesias studiosè plantaverat Apostolus, Act. 16. & 18 Huc profecti ex Judæa Pharisæi quidam, qui fidem Christi professione tenus amplexi erant, observationem Legis Mosaicæ, unà cum fide Euangelii ad salutem necessariò conjungendam esse docuerant, & pleraſque, si non omnes istius regionis Ecclesias, errore suo infecerant; prætendebant interim impostores illi, missos se fuisse ab Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanne, & secundùm eorum sententiam se omnia sua dogmata docuisse falsò affirmabant. Quapropter illos tres Apostolos in immensum extollebant, Paulo verò nomen & jus Apostoli detrahebant, quasi non ascito in societatem Apostolorum à Christo, nec pro Apostolo ab Apostolis reliquis agnito. Quare in hac Epistola (refutata hac Pseudapostolorum calumnia) agit Apostolus cum Galatis, ut ad sanitatem fidei redeant.

Epistolæ (præter Præfationem & Conclusionem) tres sunt partes præcipuæ: In Prima agit cum Galatis, ut renuncient errori quem imbiberant; obiter verò ut calumniantibus occurreret, Apostolatum suum animosè asserit, ne summis quidem tribus illis Apostolis, in autoritate Apostolica cedens, Cap. primo, *& priori parte* Capitis secundi.

In Secunda *parte disputat ex professo, de justificatione per fidem, deque temporario usu, & abrogatione Legis Mosaicæ, posteriori parte* Capitis secundi, Capite tertio, & quarto.

Denique in Tertia Parte, *præmissâ hortatione ad perseverandum in libertate Christiana, præcipit ut ea rectè utantur, & ostendit quæ sint Christianorum vera exercitia, ne vel dissolutâ licentia, vel superstitiosa Cæremoniarum observatione, præcipua Christianorum officia negligerent,* Capite quinto & sexto.

Capitis

Capitis tres sunt partes: In Prima *est præfatio, ad* vers. 6. *In* secunda *incipit agere cum Galatis, ut redeant in viam ab errore suo, in observatione Legis Leviticæ, & imaginaria conjunctione justificationis per opera, cum justificatione per fidem, quasi hoc fuisset possibile, propositis in eum finem aliquot argumentis, ad* vers. 13. *In* tertia *confirmat Apostolus ultimum Argumentum, de doctrinæ suæ divinitate ex signis, ad finem.*

Vers. 1. *Paulus Apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis)*

Præfatio tota comparatur ad parandum animum Galatarum, ut Doctrinæ suæ de CHRISTI gratia obtemperent. Scopus, hac vel simili in eundum sensum propositione concipi potest: Debetis mihi commonefacienti de vera justificationis & sanctificationis ratione, fidem habere, & optemperare: Argumenta insinuantur in hunc scopum, octo. Quorum alia in inscriptione, vers. 1. 2. Alia in salutatione, vers. 3 Alia in CHRISTI descriptione, vers. 4. Alia in doxologia continentur, vers. 5.

Apostolus] Argumentum primum, Ego Paulus qui hæc ad vos scribo Apostolus sum, supremæ in Ministerio Ecclesiæ autoritatis. Credendum & optemperandum mihi igitur.

Non ab hominibus] Arg. 2. Munus meum non est humanæ inventionis, seu non fundatur in humana autoritate, sed DEUM habet autorem, ut sine injuria DEO factâ contemni non possit Doctrina mea. Ergo nisi velletis DEUM qui misit me rejicere, auscultandum est mihi.

Neque per hominem] Arg. 3. Non mediatè, seu hominum Ministerio vocatus sum, sed immediatè à DEO, CHRISTO, scilicet, eoque jam suscitato à mortuis, & à DEO PATRE, qui Testimonium dedit Filii sui Doctrinæ, per suscitationem ipsius ex mortuis. Ergo credendum & obtemperandum Doctrinæ meæ.

Vers. 2. *Quique mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ: Gratia vobis & Pax à DEO Patre, & Domino nostro IESV CHRISTO.*

Arg. 4. Advocavi in societatem hujus admonitionis ad vos Scriptæ, omnes fratres qui mecum sunt, qui unà mecum vos salutant, Testimonium

nium adversus vos aliquando dicturi, nisi Doctrinæ meæ obediatis. Credendum ergo & obtemperandum mihi.

Ecclesiis] Arg. 5. Etiamsi periculoso errore infecti sitis, habendos vos tamen censeo in Ecclesiarum numero. Mihi ergo vicem rependite, & ut Apostolo ad Ecclesias misso, credendum & obtemperandum esse agnoscite.

Vers. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo*:

Arg. 6. Ego pro autoritate Divinitus mihi tributa, non dubito jus ad benedictionem Euangelii vobis applicare, & comprecari *Gratiam*, id est, uberiorem agnitionem, sensum, fructumque gratuitæ DEI misericordiæ, reconciliationis, & remissionis peccatorum, reliquorumque effectuum gratiæ DEI ad sanctitatem facientium; Vnà *cum Pace*, seu solida cordium tranquillitate, reliquisque bonis quæ ad felicitatem spectant, ut ad vos deriventur omnia, à DEO pacis & DOMINO Mediatore CHRISTO; unico gratiæ pacisque omnis fonte. Ergo aperienti mihi rationem hujus gratiæ & pacis vobis communicandæ, credendum & obtemperandum est.

Vers. 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti seculo malo, secundùm voluntatem Dei & Patris nostri*:

Describit CHRISTUM ab opere redemptionis, ut ostendat totam salutem nostram, per ejus meritum, ex DEI gratia provenire: unde.

Arg. 7. Salus nostra seu redemptio nostri, à perdita conditione improborum, qui sunt de hoc mundo extra CHRISTUM, per solius CHRISTI mortem impetratur: idque ex decreto & instituto DEI Patris, qui hanc solam rationem salutis gratuitam ordinavit. Ergo mihi commonefacienti, ut hanc solam salutis rationem agnoscatis, credendum & obtemperandum.

Vers. 5. *Cui* sit *gloria in secula seculorum. Amen.*

Arg. 8. DEUS dignus est, & CHRISTUS etiam, cui pro tanto beneficio & ineffabili gratiâ, gloria tribuatur ab omnibus in æternum: Ergo mihi vindicanti apud vos hanc gratiæ CHRISTI gloriam, ne humanorum operum merito obfuscetur, vel tollatur, credendum & obtemperandum est.

Secunda Pars.

Vers. 6. *Miror vos ita citò, deserto eo qui vocavit vos in gratiam Christi, transferri in aliud Euangelium*:

Secunda

Secunda pars Capitis, in qua probat renunciandum esse errori, de imaginaria & impossibili conjunctione justificationis ex operibus, & justificationis ex gratia, seu fide in CHRISTUM: quo errore implicati jam erant per Pseudapostolos, qui docebant observationem Legis Mosaicæ, etiam credentibus in CHRISTUM, ad justificationem & salutem esse necessariam, Argumenta quibus urget, ut errori renuncient, sunt novem, quorum alia insinuantur in reprehensione; alia apertiùs proferuntur in sequenti disputatione.

Miror] Argumentum primum, Admiranda est defectio vestra, O Galatæ, à gratia CHRISTI ad merita operum humanorum, quod ita citò post recens admissam CHRISTI fidem, & Gratiam in conversione vestra acceptam deficiatis ab ea: Renunciandum ergo huic errori.

Deserto] Arg. 2. Deseruistis in hoc vestro errore DEUM, qui vocavit vos in CHRISTI gratiam, & confugistis ad opera humana: Renunciandum ergo huic errori.

Transferri] Arg. 3. Per hunc errorem transferimini ab Euangelio CHRISTI, in aliud nescio quod ab hominibus confictum Euangelium: Renunciandum ergo huic errori.

Vers. 7. *Quod non est aliud, sed nonnulli vos turbant, & volunt invertere Euangelium Christi,*

Arg. 4. Præter unum verum Euangelium, à me inter vos prædicatum, nullum est aliud, sed ficta & fucata est omnis alia doctrina Euangelii, quæ cum doctrina mea non concordat: Renunciandum ergo huic errori.

Turbant] Arg. 5. Doctores qui vos seduxerunt, hostes sunt pacis vestræ, quia pacem quam habent justificati per fidem erga DEUM, vobis eripiunt: Renunciandum eorum doctrinæ ergo.

Invertere] Arg. 6. Euangelii CHRISTI supplantatores & eversores sunt, seductores illi vestri, qui Doctores videri volunt: nihil enim magis est contrarium Euangelio de gratuita justificatione per fidem, quam justificatio ex operibus. Renunciandum ergo huic errori.

Vers. 8. *Sed etiam si nos aut angelus è cælo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizavimus, anathema esto.*

Arg. 7. Quisquis fuerit qui aliud euangelizaverit, præter id quod ego vobis prædicavi, is anathemati maledictionis æternæ obnoxius est, meipsum non excipio, imò nec Angelos, si fieri posset, ut ego aliam doctrinam

ctrinam docerem; vel ut illi aliam proponerent quam eam, quæ prædicata est à me: Renunciandum ergo errori huic.

Vers 9. *Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema esto.*

Hoc argumentum inculcat, ut intelligerent non ex animi perturbatione dictum de maledictione prolata in eos, qui vel contra, vel præter doctrinam ipsius, Euangelio quicquam assuendum prædicarent.

Vers. 10. *Nunc enim* utrum *homines an Deum suadeo? aut quæro hominibus placere: Enimverò si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Arg. 8. A comparatione sui cum Pseudapostolis: Mea doctrina non audiendos homines suadet, sicut seductorum vestrorum doctrina, qui autoritatem tot Judæorum semper crepant. Sed suadet doctrina mea, audiendum esse DEUM: Ego non quæro ut hominibus placeam, sicut seductores vestri, qui in vestri seductione gratum facere studeut Judæis non conversis, vel legis superstitiosè zelotis: Renunciandum ergo errori quem illi vos docuerunt.

Enimvero] Confirmat hoc argumentum. Quia si studeret adhuc placere hominibus, sicut olim fecerat cum Pharisæus esset, non posset esse CHRISTI servus, sed hominum, eorum scilicet quibus placere studeret.

Vers. 11. *Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium prædicatum à me non esse secundùm hominem.*

Vers. 12. *Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed patefaciente mihi Iesu Christo.*

Arg. 9. Doctrina mea cœlestis est, ex immediata revelatione DEI, non ab homine conficta, nec per hominem merum ordinario modo à DEO ad me derivata, sed immediatè revelata per IESUM CHRISTUM: Ergo debetis perseverare in ea, & errori contrario renunciare.

Tertia Pars.

Vers. 13. *Audistis enim quomodo versatus sum olim in Judaismo, me* videlicet *summè persequutum esse Ecclesiam DEI, & eam vastasse.*

Hujus

Hujus rei signa dat sex hoc Capite: Primum est hostilis animus quem gerebat adversus CHRISTUM, & ipsius Ecclesiam, olim cum Pharisæus esset. quem animum nunquam mutasset, nisi DEUS de Cœlo convictum convertisset ad fidem.

Vers. 14. *Et profeciebam in Judaismo super multos æquales meos in genere meo, quum vehementiore studio tenerer traditionum quas à patribus meis acceperam.*

Secundum signum est, quod scientiâ Legis, & zelo paternarum traditionum fascinatus, Euangelii veritatem nec videre, nec ferre potuerit, nisi divinitus de veritate edoctus, nedum ejus mysteria intima scire & prædicare.

Vers. 15. *Sed quando placuit Deo, qui separavit me ob utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,*

Vers. 16. *Revelare Filium suum in me, ut euangelizarem ipsum inter Gentes, non statim contuli cum carne & sanguine.*

Tertium signum est admiranda & gratuita ipsius vocatio ad fidem & Apostolatum, (cujus historia habetur, *Act. 9.*) potenter fluens à DEI prædestinantis consilio. Quam gratiam clarissimè quidem patefecit DEUS in ipsius legatione ad Gentes, viam verò ad gratiæ manifestationem sternebat providentia, in ejus nativitate & educatione: Quod enim talibus parentibus, tali corporis temperamento, & constitutione natus sit, quod ad pedes Gamalielis educatus esset, quod Pharisæus fuerit, quod DEI providentia de ipso, in omnibus, præcipuâ observatione digna comperta sit, effecit ut diceret se ab utero se præparatum, & paratum, ad prædicandum Euangelium Gentibus: adeò ad præparationem Apostoli ad hoc negotium, faciebant ex DEI consilio omnia.

Non contuli] Quartum signum, quod de certitudine oraculi, & vocatione sua immediata tam manifestè convictus, & persuasionis firmæ satis superque habens, non ausus fuerit deliberare de re tam certa, neque humanas rationes & consilia audire, quæ possent ipsum ab obedientia vocationis avocare.

Vers. 17. *Neque redii Hierosolymam ad eos qui ante me* fuerant *Apostoli, sed abii in Arabiam, ac denuò reversus sum Damascum.*

Vers. 18. *Deinde tribus pòst annis redii Hierosolymam, ut viserem Petrum: & mansi apud eum dies quindecim.*

Vers. 19. *Alium autem ex apostolis non vidi quenquam, nisi Iacobum fratrem Domini.*

Quintum signum, quod satis institutus in mysterio salutis per CHRISTUM ipsum immediate; non adierit Apostolos ante se vocatos, sed Euangelium in Arabia, & Damasci, primo triennio sui Apostolatus prædicaverit.

Et post triennium, Hierosolymam profectus, inviserit Petrum & Iacobum solos, paucos apud eos dies commoratus, idque familiaritatis, non cognitionis suæ confirmandæ causâ.

Vers. 20. *In iis porrò quæ scribo vobis, ecce coram Deo, non mentior.*

In cujus historiæ confirmationem, præter testes in vivis agentes, qui rei tam notabilis ignari esse non poterant, juramentum adhibet.

Vers. 21. *Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.*

Vers. 22. *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ* erant *in Christo:*

Vers. 23. *Sed solùm audierant* qui dicerent, *Qui persequebatur nos aliquando, nunc annuntiat fidem quam olim vastabat.*

Vers. 24. *Et glorificabant Deum de me.*

Sextum signum, quod publicè docuerit, idque Apostolicâ autoritate, in Syria, & Cilicia, approbantibus Apostolis, & Ecclesiis omnibus, & nominatim Judæis fidelibus, qui ipsum nunquam viderant, de ipsius tamen conversione à persecutore in prædicatorem certiores facti, DEUM glorificabant. Quæ omnia signa, fidem faciunt de Doctrinæ ipsius cœlesti origine.

Caput Secundum.

DUÆ *sunt Capitis partes, In prima pergit historiam texere quam narrabat, & Apostolatus sui, seu divinæ doctrinæ suæ, signa reliqua adaere, ad* vers. 15. *Reliquo capite, justitiam esse ex fide, & non ex operibus legis, confirmat.*

Vers. 1.

Vers. 1. *Deinde interjectis annis quatuordecim, rursum ascendi Hierosolymam, unà cum Barnaba, assumpto simul & Tito.*

Vers. 2. *Ascendi autem ex revelatione, & exposui eis Euangelium quod prædico inter Gentes: sed privatim cum eis qui sunt in pretio, ne quomodo frustrà currerem aut cucurrissem.*

Præcesserunt sex signa cœlestis & divinæ doctrinæ Apostoli, sequuntur quinque alia signa: Primum, Quod DEUS Ministerii ipsius curriculum speciali revelatione direxerit, ut quo & quorsum proficisceretur sciret, cujus exemplum ponit in ascensu Hierosolymam ex revelatione: quæ revelatio erat Apostolatus, & doctrinæ ipsius, divina approbatio.

Exposui] Signum 2. Quod doctrinæ suæ inter Gentes traditæ rationem cum Apostolis communicaverit, ut ipsius consensus cum illis patefieret, & nominatim cum Petro Iacobo & Ioanne, ne fructu Ministerii sui, apud quosdam privaretur, per æmulorum calumnias, qui dissentire Apostoli Pauli doctrinam, à reliquorum Apostolorum doctrinâ mentiebantur.

Vers. 3. *Sed neque Titus qui mecum erat, quum esset Græcus, coactus fuit circuncidi.*

Vers. 4. *Nempe propter emissarios falsos fratres qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem adigerent:*

Vers. 5 *Quibus ne ad momentum quidem cessimus per subjectionem, ut veritas Euangelii permaneret apud vos.*

Signum 3, Quod coram Apostolis, hanc ipsam causam de liberatione Christianorum à jugo circumcisionis, in persona Titi egerit: eumque defenderit ne circumcideretur, contra falsos fratres, qui præreptum ibant fidelibus libertatem Christianam, ut in servitutem redigerent Ecclesias CHRISTI, quibus Apostolus minimè cessit, ut sinceritas doctrinæ Euangelii inter Gentes, & nominatim inter Galatas, inviolata permaneret; quod evidens erat signum cœlestis & divinæ ipsius doctrinæ, in qua Galatas instituerat.

Vers. 6 *Ab iis autem qui putantur esse aliquid, qualescunque fuerint, nihil mihi discrepat, personam hominis Deus non accipit: nam qui sunt in pretio, nihil mecum præterea contulerunt.*

Signum 4. Cujus 4. Sunt membra, 1. membrum, Quod Apostoli præcipui qui vocabantur, Petrus, Jacobus, & Johannes, audita ejus Doctrina, nihil correxerint, nihil addiderint ejus cognitioni : Interim occurrit objectioni de eorum personalibus prærogativis, de quibus non vult agere, veluti quod viderint CHRISTUM in carne, quod priores vocati sint ad Apostolatum, quod consanguinitate CHRISTUM propius attigerint, &c. Quia ista & similia ad doctrinam, ad Apostolicam autoritatem, ad commendationem hominis coram DEO, nihil faciebant, cum DEUS personas hominum non acceptet.

Vers. 7. *Imo è contrario quum vidissent mihi concreditum fuisse Euangelium præputii: sicut Petro circuncisionis:*

Vers. 8. *(Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit etiam per me erga Gentes)*

Secundum membrum, Quod Apostoli illi tres, Apostolatum Pauli inter Gentes agnoverint, non minus autoritatis & efficaciæ à DEO habuisse, quam Petri Apostolatum inter Judæos.

Vers. 9. *Quumque cognovissent gratiam mihi datam, Iacobus & Cephas & Iohannes, qui putantur esse columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis: ut nos inter Gentes: ipsi verò inter circuncisos,* Apostolatu fungeremur.

Tertium membrum, Quod tres illi Apostoli perspectis donis & signis Apostolatus in Paulo, dextram societatis dederint Paulo & Barnabæ, ut pari autoritate fungerentur officio Apostolico inter Gentes, ac ipsi inter Judæos.

Vers. 10. *Solùm* monuerunt *ut pauperum meminissemus: quod & ipsum studui facere.*

Quartum membrum, Quod tres illi Paulum & Barnabam rogaverint ut collectam procurarent faciendam ab Ecclesiis Gentium, in usum pauperum Judæorum, id quod Paulus & Barnabas strenuè præstiterunt.

Vers. 11. *Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti, eo quòd condemnandus esset.*

Signum 5. Cœlestis & divinæ ipsius doctrinæ, nominatim in articulo de vitando jugo ceremoniali Mosis, est. Quod Paulus ipsum Petrum facto deflectentem ab hac doctrina, palam reprehenderit, & in viam reduxerit: quæ res tota ut melius appareat observanda sunt quæ sequuntur.

Decreto

Decreto Synodi Hierosolymitanæ, *Act.* 15. Necessitas ceremonialis legis inter Judæos abrogata est, & libertate relicta Judæis, utendi ceremoniis ad tempus! ab Ecclesiis Christianis inter Gentes arcetur omnis Leviticarum ceremoniarum observatio, utpote quibus lex de ceremoniis nullo modo, unquam data aut destinata est: Tantùm jubentur in esculentis nonnullis temperare sibi, ne libertate utantur cum scandalo infirmorum Judæorum, idque vi moralis legis, quæ in rebus simpliciter mediis libertatis usum scandali cancellis circumscribit: Petrus Apostolus Antiochiam descendens, ex decreti Synodi Hierosolymitanæ sententia, libertate sua utitur, & cibum sumit cum fratribus Gentilibus; descendunt interea à Jacobo Antiochiam, nonnulli, qui tenaces erant ceremoniarum Mosis: debebat hîc Petrus Christianam libertatem quam pridie profitebatur minimè dissimulare, sed in consortio cum Christianis Gentilibus manere, & factum suum, autoritate Synodi defendere; sed metuens Petrus ne incurreret in odium Judæorum, qui à Jacobo descenderant, subducit se à mensâ Christianorum Gentilium, & non amplius edit cum illis; Petri exemplum imitantur alii: Serpit malum, ad Barnabam etiam in eandem dissimulationem trahendum: malò hoc exemplo scandalum ponebatur Judæis, ut confirmarentur in Judaismo; ne Jugum Mosis (jam authoritate Dei in Synodo solutum, & confractum) unquam deponerent; scandalum etiam ponitur Gentilibus Christianis, qui exemplo tanti Apostoli coguntur, vel ceremoniarum Jugum suscipere, vel Apostoli societati renunciare; Paulus quid hîc ex officio faceret? certè sicut decebat, restitit Petro in os, eumque publicè reprehendit.

Vers. 12. *Nam antequam venissent quidam à Iacobo, unâ cum Gentibus edebat: quum autem venissent, subduxit seſe, ac separavit ab eis, metuens eos qui erant ex circuncisione.*

Rationes reprehensionis sunt tres: Ratio prima, Quia dissimulavit Christianorum liberationem à jugo Mosis, ex metu odii Judæorum aliquot, cum metuere oportuisset potius, ne scandalum poneret Judæis vel Gentibus.

Vers. 13. *Ac simulabant unà cum eo reliqui etiam Judæi: itaque etiam Barnabas simul abreptus fuit in illorum simulationem.*

Ratio 2. Quia exemplo suo trahebat alios in eandem secum dissimulationem.

Ratio 3i

Vers. 14. *Sed quum vidissem eos non recto pede incedere, ut veritati Euangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, quum sis Judæus, Gentiliter vivis, ac non Judaicè, cur Gentes cogis judaizare?*

Ratio 3. Propter quam jure Paulus reprehendit Petrum, quia cum prædicaret hominem justificari solâ fide, sine operibus legis, facto hoc suo, confirmabat falsam doctrinam eorum, qui legem Mosis ad salutem necessariò observandam docebant: quod erat claudicare in cursu suo, versus Euangelicæ veritatis metam; seu rationem pessimam inire, ut doctrinam gratiæ puram conservaret. Quod Pauli factum erat signum manifestissimum, doctrinam ipsius quam Ecclesias Galatiæ docuerat de justificatione per CHRISTI gratiam, & de liberatione à jugo ceremoniarum, fuisse adeò Cœlestem & divinam, ut ex ea convicerit ipsum Petrum erroris, quando consentanea huic doctrinæ non faciebat.

Secunda pars.

Vers. 15. *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores:*

Vers. 16 *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi: etiam nos inquam in Christum Iesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis caro ulla:*

Ex occasione disceptationis suæ cum Petro, dilabitur Paulus ad alteram Partem Capitis, in qua sicut in Epistola ad *Romanos*, confirmat, justificationem non esse ex operibus legis, sed tantùm ex fide, quam doctrinam dum asserit, sermonem suum habitum ad Petrum repetit, ut scirent omnes non se aliud docuisse Galatas, quam quod palam (audientibus plurimis fidelibus ex Judæis & Gentibus) ad Petri convictionem loquens antea docuerat & defenderat, nempe. *Nos naturâ Judæi, &c.* Quorum verborum sensus est, si referantur ad Petrum. Nos qui Judæi naturâ, seu propagatione, ex fœdere cum DEO sancti sumus, & non peccatores, id est, alieni à fœdere, ut Gentes; nos (inquit) Judæi & Apostoli, scientes hominem justificari non ex operibus legis, sed per fidem CHRISTI, confugimus fide ad CHRISTUM, in hunc finem ut justificemur fide & non operibus legis, Ergo non sunt cogendi Gentiles ad judaizandum

daizandum, & ad jugum legis ſubeundum, quaſi eſſent ullo modo ſub fœdere operum.

Si verò referantur hæc verba ad principale inſtitutum, propoſitio eſt doctrinæ, & in ſpecie illius, quam docuerat Galatas, & ad quam reverti eos jam hortatur, in hunc ſenſum; Nos Judæi qui ex fœdere naſcimur Sanctus DEI populus, & non alieni à fœdere, ut vos Gentes, renunciare cogimur operibus legis in cauſa juſtificationis, & juſtitiam quærere per fidem in CHRISTUM. Ergo multò magis id vobis Gentilibus Galatis eſt faciendum: Hanc doctrinam deinceps confirmat hoc capite tribus argumentis, ſolutis interim obiter objectionibus.

Argumentum primum, Nulla caro juſtificabitur ex operibus Legis: ergo neque Judæi neque Gentes.

Vers. 17. *Quod ſi, dum quærimus juſtificari per CHRISTUM, reperimur & ipſi peccatores, num Chriſtus peccati Miniſter eſt? Abſit.*

Converſâ oratione ad Galatas, ſolvit objectionem adverſariorum; Dicerent adverſarii, Si dum quæritis per CHRISTUM juſtificari, & non per legem ſeu opera, comperimini peccatores, ut ex veſtra ipſorum confeſſione, & ore veſtro, licet de vobis judicare; tum licebit vobis Chriſtianis per fidem CHRISTI juſtificatis, peccato indulgere; & per vos, CHRISTUS erit author, & Miniſter, ſeu Doctor peccati, ut ejus auctoritate peccetis.

Reſpondet averſando objectum, ut blaſphemiam: *Abſit* (inquit) confidenter negans ſequi ex doctrina juſtificationis, licere juſtificato per fidem, indulgere peccato, vel CHRISTUM peccati Miniſtrum ſeu Doctorem dici poſſe.

Ver. 18 *Nam ſi quæ deſtruxi, ea rurſum ædifico, tranſgreſſorem meipſum conſtituo.*

Reſponſionis rationes reddit quatuor: Prima hæc eſt, Ego confugiendo ad juſtificationem per fidem CHRISTI, nihil ſolidam rationem ad deſtruendum peccatum, quia confugi ad CHRISTUM, ut & remittat mihi peccatum, & gratiam ſuppeditet ad mortificationem peccati; Si igitur rurſum operam darem peccato (ſicut objicitur) & opus DIABOLI rurſum ædificarem in me, mihi ipſi contrarius eſſem; tranſgrederer rationem jam poſitam ad peccatum deſtruendum, atque ita ſtolidus & inſanus eſſem, doctrinam juſtificationis per fidem minimè ſequens:

Ergo

Ergo ex principiis justificationis per fidem, impossibile est ut abutar gratia, seu CHRISTI nomine, ad liberius peccandum.

Vers. 19. *Ego enim per Legem Legi mortuus sum, ut DEO viverem.*

Ratio 2. Ego per vim legis, interfectus sum in CHRISTI internecione, & respectu legis seu fœderis legalis mortuus sum legi, & sic liberatus a fœdere legis, eo fine, non ut indulgerem peccato, sed ut viverem DEO, & ipsi obedirem. Ergo ex hujus Doctrinæ principiis peccato indulgere non possum. Valet argumentum, nam si per Legem seu fœdus operum, CHRISTUS justificandorum nomine mortuus est, eo fine ut justificati viverent DEO; Impossibile est ut justificati qui in CHRISTO legi mortui, & à fœdere operum liberati censeri volunt, non etiam agnoscant teneri se vivere DEO, & per consequens se non debere peccato indulgere.

Vers. 20. *Una cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus: & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Ratio 3. Priorem confirmans: Ego fide justificatus, judicialiter unitus sum CHRISTO crucifixo, & in illo, ad moriendum peccato, & ad crucifigendum veterem hominem judicialiter obstringor: Ergo peccato indulgere ex principiis doctrinæ de justificatione per fidem, non possum. Ratio hæc est; CHRISTUS Sponsor in cruce, non tantùm expiavit peccata redemptorum, sed etiam ipsorum nomine spopondit fore, ut morerentur peccato, & crucifigerent corruptam suam naturam. Ergo qui per fidem apprehendit judicialem unionem sui cum CHRISTO crucifixo, agnoscat etiam necesse est obligationem suam, ad moriendum peccato, seu ad crucifigendam veterem suam naturam per virtutem CHRISTI.

Vivo autem] Ratio 4. Ego justificatus fide, nova sum creatura per Spiritum CHRISTI in me viventem, ita ut non amplius ego, quoad veterem hominem, vivam, sed CHRISTUS, in me habitans vita hac naturali utatur ut organo, & membro suo, efficiatque ut per fidem, in virtute ipsius, vitam hanc agam negotia mea omnia curem, & ut Spiritum in DEI obedientia quasi ducam, idque ex eadem dilectione

sua

sua erga me, qua mortuus est pro me. Ergo peccato indulgere ex principiis fidei justificantis non possum. Argumenti vis breviter hæc est, justificatos nos per fidem CHRISTI Spiritus animat ad sanctè vivendum. Ergo justificatio per fidem non laxat habenas peccato.

Vers. 21. *Non abrogo gratiam Dei, nam si per Legem est justitia, igitur Christus sine causa mortuus est.*

Sublata est objectio: Sequitur Argumentum secundum pro justificatione per Fidem, & non per opera Legis: Si justificatio sit per opera Legis, frustra est Gratia DEI, & irrita redditur; nam si Justificatio sit per Opera, non potest esse per Gratiam, ut *Rom. Cap.* 11. *vers.* 6. Absit autem ut ego irritam faciam gratiam: Absit igitur etiam ut Justificationem statuam per Opera.

Nam si] Arg. 3. Si per Legem est Justificatio, CHRISTUS frustra est mortuus, quia tum & aliter, & facilius obtineri potuisset Justificatio, quam per CHRISTI mortem: At absurdum est CHRISTUM frustra mortuum esse. Ergo non per Legem, sed per Fidem est Justificatio.

Caput Tertium.

Vers. 1. *Mentes Galatæ, quis vos fascinavit, ne obsequeremini veritati? quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus, inter vos crucifixus?*

QUia sciebat animos Galatarum falsâ opinione præoccupatos, idcirco ne ad sequentem disputationem languerent, gravi objurgatione veterum iis excutit, & quatuor quasi aculeis pungit ipsorum conscientias, Primò enim *Amentes* & *Stolidos* vocat; quia, licet non malitiâ, imprudentiâ tamen sua turpiter se decipi passi sunt: 2. *Fascinatos* vocat, id est, prælligiis impostorum dementatos: 3. Objicit illis *defectionem à veritate* Euangelii de CHRISTI gratia salutifera: 4. Amplificat crimen ex eo quod tam *evidenter prædicatus sit Christus inter eos*, & CHRISTI passiones, cùm causis passionum ipsius, tam perspicuè explicatæ sint, quam si ad oculum depicta res tota esset in tabella.

Præmissâ hac præfatione, pergit justificationem per fidem, & non per opera Legis, confirmare argumentis viginti quatuor.

Vers. 2. *Hoc solùm cupio discere ex vobis, Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex fide per auditum percepta?*

Argumentum primum. Vos non accepistis Spiritum regenerationis, reliquasque gratias (quibus inter vos Euangelii prædicatio obsignata est) ex operibus seu ex doctrinâ de Fœdere Operum receptâ, sed ex fide, seu ex doctrina de Fœdere Gratiæ per fidem applicata. Ergo non justificamini ex operibus, sed ex fide.

Vers. 3. *Adeò amentes estis? quum Spiritu inceperitis, nunc carne perficimini?*

Arg. 2. Licet vobis persuaserint impostores aliqui justificationis initium esse ex fide, complementum verò haberi ex operibus, damnanda tamen est hæc sententia *amentiæ*; propterea quod impossibile sit, ut spiritualis ratio justificandi per fidem, consistat cum carnali illa ratione justificationis per opera, nedum ut illa perfectionem suam ab hac capiat. Ergo non justificamur ex operibus, sed ex fide. Dicitur autem justitia ex operibus *Caro*. 1. quia etiamsi jam impossibilis sit hujusmodi justificatio; carnis tamen, seu corruptæ naturæ commune figmentum est demens, justificatio hæc per opera, & per superbam, seu gloriabundam *carnem* passim defenditur. 2. Quia hominis irregeniti, seu non justificati per fidem, opera omnia per quæ justificationem quærit, sunt mera *carnis*, seu corruptæ carnis effecta, quatenus proficiscuntur à non justificatis: Tam absurdum est igitur hominem justificari per opera justificationem præcedentia, quam justificari per Legis continuam violationem, seu justitiam acquirere per peccata. Quod autem ad opera quæ justificationem seu remissionem peccatorum sequuntur, non possunt esse causa rei jam præteritæ, antequam extiterunt, vel existere potuerunt, nisi justificationem accipias pro justificationis jam pronunciatæ à Deo, declaratione apud homines.

Vers. 4. *Tam multa passi estis frustra? si modò etiam frustra.*

Arg. 3. Si in amentia vestra perrexeritis quærere justificationem per opera, vel partim fide, partim operibus justificari; amittetis omnem fructum constantiæ vestræ hactenus, & afflictionum, quas pro tuenda justitia per fidem jam perpessi estis, sed spero meliora. Ergo non justificamini ex operibus, sed ex fide solùm.

Vers. 5.

Vers. 5. *Qui igitur subministrat vobis Spiritum, & efficit virtutes in vobis, ex operibus Legis an ex fide per auditum percepta* subministrat?

Arg. 4. Ministri per quos DEUS Spiritum dat, & miracula & virtutes operatur inter vos, soli sunt illi, qui docent justificationem non ex operibus, sed ex fide in CHRISTUM tantùm. Ergo justificatio ex fide solum, est DEO probata, non verò illa quæ fingitur ex operibus.

Vers. 6. *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad justitiam.*

Arg. 5. Abraham quamvis virtutibus maximè florebat, solâ tamen fide justificatus est; Credidit enim DEO, & imputatum est ei in justitiam. DEUS enim promisit benedicendas omnes Gentes in semine ipsius, *id est*, in CHRISTO. Ille hanc benedictionem, quæ in se continet justitiam & vitam æternam in CHRISTO, sibi applicavit credendo. Ergo justificamur non ex operibus, sed ex fide.

Vers. 7. Ita *noste nempe eos qui* ex *fide sunt, esse filios Abrahæ.*

Arg. 6. Soli illi qui ex fide sunt, seu quærunt justificari per fidem, & non ex operibus, sunt filii Abrahami. Ergo unica ratio justificationis est per fidem.

Vers. 8. *Providens autem Scriptura Deum ex fide justificaturum Gentes, ante evangelizavit Abrahæ, Benedicentur, inquiens, in te omnes Gentes.*

Arg. 7. Spiritus qui est Scripturarum autor, novit hoc esse consilium DEI, ut justificentur Gentes per fidem, & prævidens hoc futurum, prædicavit Abrahamo doctrinam de benedicendis Gentibus in ipso, ut in Patre, exemplo, & typo fidelium: in ipso, in quo semen benedictum CHRISTUS includebatur, utpote in ipsius lumbis jam quasi existens, sicut de Levi dicitur, *Heb.* 7. 10. Ergo necessariò sola hæc justificandi ratio firma est.

Vers. 9. *Itaque qui ex fide sunt, Benedicuntur cum fideli illo Abraham.*

Arg. 8. Soli fideles, seu qui ex fide quærunt justitiam, benedictionem cum Abrahamo fideli consequuntur: Ergo unica illa ratio justitiæ per fidem est solida.

Vers. 10. *Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub execratione sunt. Scriptum est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.*

Arg. 9. Quotquot ex lege sunt, seu justificationem ex operibus legis quærunt, sub maledictione sunt, quia operum fœderi adhærent, nec tamen conditionem hujus fœderis, id est, perfectam obedientiam legi præstant: Ergo justificatio non est ex operibus, sed ex fide.

Scriptum est] Confirmat antecedens, quia ex Scriptura, DEUT. 27. 26. Maledictus est quisquis non implet totam legem: Quærentes autem justificationem ex operibus, non implent totam legem: Ergo sunt maledicti.

Vers. 11. *Nullum autem per Legem justificari apud Deum, manifestum est: siquidem justus ex fide vivet.*

Arg. 10. Scriptura, *Abac.* 2. 4. Pronunciat solum justum ex fide, victurum: Ergo nullus per legem, seu opera justificabitur apud DEUM. Addit *apud Deum*, quia apud homines justificari nos ex operibus non negat. Nam justificatio apud homines, nihil aliud est quam justificationis jam factæ per Fidem apud DEUM, agnitio & declaratio, propter fructus Fidei manifestatos.

Vers. 12. *Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, vivet in ipsis.*

Arg. 11. Argumenti superioris probans consequentiam: Lex, seu justificandi ratio per opera, non consistit cum fide, seu cum justificandi ratione per fidem, quia promissio legalis est de vita danda *facienti*, & *præstanti* Legem, seu ei qui *perfectam inhærentem* justitiam habet: Fides verò affert justitiam imputatam credenti *in eum qui impium justificat*: seu justitiam affert ei, qui propria justitia destituitur. Ergo si justitia ulla datur, ex Fide datur, & ex Lege non datur, & per consequens Fidei justitia sola est agnoscenda.

Vers. 13. *At Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis quisquis pendet in ligno.*

Arg. 12. CHRISTUS redemit nos ab execratione Legis, factus execratio pro nobis in cruce, seu mortem subiens execrabilem in cruce pro nobis, ut patet ex Scriptura, quæ genus illud mortis quod CHRISTUS ex

Deu-

Dei consilio subiturus erat, (suspendium scilicet in ligno) maledictum pronunciavit. Ergo non ex Lege, sed ex fide in Christum, qui liberat nos à maledictione Legis, est justificatio.

Vers. 14. *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ extet in Christo Iesu, & ut promissum illum Spiritum accipiamus per fidem.*

Arg. 13. Christus eo fine factus est execratio, ut in Christo per fidem apprehenso, benedictio Abrahæ, id est, justitia & vita æterna in semine benedicto emineret inter Gentiles, qui opera non habent, quibus se confidere prætendant: Ergo justificatio est per fidem, & non per opera:

Accipiemus.] Mutat personam, & jungit se & reliquos fideles Judæos Gentibus fidelibus, addens Arg. 14. Christus eo fine factus est execratio, ut omnes nos, conflati ex Judæis & Gentibus, fideles coalescentes in unum semen Abrahæ, acciperemus promissum Spiritum adoptionis per fidem. Ergo per fidem est justificatio omnium nostrûm, Gentium & Judæorum, nisi statuamus Christum fine suo frustrari.

Vers. 15. *Fratres, humano more loquor, Hominis licet pactionem authoritate confirmatam, nemo abrogat, aut* aliquid ei *superadditi.*

Vers. 16. *Abrahæ verò dictæ sunt promissiones, & semini ejus: Non dicit, Et seminibus, ut de multis, sed ut de uno, Et semini tuo: qui est Christus.*

Vers. 17 *Hoc autem dico, pactionem ante confirmatam à Deo, respectu Christi, Lex quæ post annos quadringentos, & triginta cœpit, non facit irritam, ut aboleat promissionem.*

His tribus versibus est Arg 15. Confirmans superius. Ritè Pacta & Conventa, ne inter homines quidem possunt rescindi, vel superadditione mutari, vers. 15. At rite Pactum & Conventum est, inter Deum & Abrahamum, de uniendis omnibus fidelibus ex Judæis & Gentibus, in unum semen Christum, facta incorporatione Christi capitis, & omnium membrorum ejus, in unum Christum mysticum, per fidem, vers. 16. Ergo hoc pactum non potest rescindi, nec superadditione legis mutari: atque ita stabit justificatio per fidem: Hoc argumentum ut intelligatur, vers. 15. Apostolus occupat objectionem; Diceret aliquis justificandi rationem esse mutatam, nec eandem esse rationem justificandi Abrahamum, ante legem, & posteros ejus, quibus lata est

lex.

lex. Nam posteriora derogare solent prioribus. Respondet in pacto rato, & Testamentariis tabellis jam confirmato, ne inter homines quidem rescindi posse, vel mutari quicquam, nedum in divino Pacto, Testamentario more, jam stabilito. Deinde vers. 16. assumit sic pactum esse DEUM cum Abrahamo, de benedictione gratis danda credentibus in CHRISTUM, ut ejus sobolem, quæ ex Gentibus & Judæis constat, per pacti verba in unum corpus colligeret: Hoc probat ex verbis promissionis, quia DEUS non dixit *seminibus* (ac si plura futura essent semina, nempe Gentes seorsim, & seorsim Judæi) sed dixit, *Semini tuo*, ut de uno, nempe CHRISTO rem intelligens, in quo fideles ex Judæis & Gentibus coalescerent in *unum semen*, id est, in unum CHRISTUM mysticum per fidem.

Denique, *vers* 17. Concludit hoc pactum, per sacrificium testamentario more confirmatum, & ratum habitum à DEO, cum relatione ad CHRISTUM, non potuisse rescindi, vel inutile reddi, per legem quæ post annos quadringentos, & triginta extitit.

Promissionem] Rationem includit cur hoc pactum non potuerit mutari à *Lege*; nempe, quia *pactum*, est DEI *absoluta* promissio, quæ DEUM promittentem quam obligat ita ut non possit mutare eam: Lex verò mandati naturam habet, quæ non legislatorem, sed subditum ligat: Potest enim legislator leges mutare; absolutas verò promissiones mutare non potest. Ergo lex post tot annos lata, pactum cum Abrahamo, seu promissionem absolutè factam Abrahamo, non potuit abolere.

Vers. 18. *Nam si ex Lege est hæreditas, non jam ex promissione: Abrahæ verò per promissionem gratificatus est Deus* hæreditatem.

Ne quis objiceret conjungi posse legem & promissionem: Respondet, & addit Arg. 16. Si ex lege seu ex operibus est hæreditas, tum non ex promissione gratuita, quia horum alterum tollit alterum; At hæreditas gratis data est Abrahæ per gratuitam promissionem: Ergo non ex lege; & per consequens, quia hæreditas, seu vita æterna non est ex lege, seu operibus ullis, neque justificatio erit ex lege, sed tantùm ex gratiâ, per fidem.

Vers. 19. *Quid igitur Lex? Transgressionum gratia addita est, usque quo veniret semen illud cui facta est promissio*: Lex, inquam, *ordinata per Angelos per manum internuntii.*

Vers. 20

Vers. 20. *Internuncius autem, unius non est: Deus verò unus est.*

Quæstionem movet de usu latæ legis, quærens quorsum lex lata sit. Respondet & addit Argumentum 17. Lex data est, ut transgressiones manifestarentur, & aliquo quasi fræno cohiberentur, usque quo veniret CHRISTUS, qui semen est cui promissio benedictionis facta est. Ergo cum per legem veniat peccati tantùm manifestatio, non est justificatio per legem, sed per CHRISTUM, seu per fidem: opus autem erat ad peccati manifestationem, ut lex renovaretur, quia peccabant Judæi, & tamen nec peccati vim, nec suam impotentiam ad obediendum legi agnoscebant. Idcirco urgebatur lex, usque dum dirutâ macerie inter Judæos & Gentes surgeret plenum semen illud, coagmentatum ex Judæis & Gentibus, in unum corpus cum Capite suo CHRISTO per fidem conjunctis.

Ordinata] Arg. 18. Terribilis modus tradendi legem, per Ministerium Angelorum, & per manum internuncii, seu Mediatoris, signum fuit dissidii potiùs, quam pacis & concordiæ inter DEUM & homines: quia Mediator seu internuncius non solet esse unius tantùm partis, (cum nemo à seipso dissideat) sed partium, quarum unâ secessionem fecit ab altera; DEUS autem unus est & semper sibi constans; pars ergo dissidens est homo, & id significabat & arguebat tradendæ legis modus. Argumenti vis hæc est, Quo dato non ponitur reconciliatio, sed manet dissidium inter DEUM & homines, per illud non est justificatio: At data lege non ponitur reconciliatio, sed manet dissidium inter DEUM & populum, ut apparet ex modo tradendi Legem. Ergo per Legem non est justificatio.

Vers. 21. Num *igitur Lex* addita est *adversùs promissiones Dei? Absit. nam si data fuisset Lex quæ posset vivificare, vere ex Lege esset justitia.*

Proponit aliam quæstionem, Num Lex sit promissioni contraria, contrariam justificandi rationem ostendens hominibus?

Respondet negando, & addit Argumentum 19. Si data fuisset Lex, quæ peccatoribus vitam, & vires ad præstandum quæ præcipiebantur, communicare potuisset, certè justificatio fuisset per Legem. Assumere licet; At talis Lex peccatoribus neque data est, neque dari potuit, *Rom.* 8. 3. Ergo per Legem non est justificatio.

Vers. 22.

Vers. 22. *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.*

Arg. 20. Lex DEI, & tota Scriptura, omnes homines, & quicquid ab homine proficiſcitur, concluſit ſub peccatum, & omnes homines peregit reos peccati, ut jam nihil aliud ſupereſſe poſſet homini, quam fides in IESUM CHRISTUM; per quam credentibus omnibus promiſſio gratuitæ benedictionis contingat: Ergo non per legem, ſed per fidem eſt juſtificatio: nam ſi omnes ſunt peccatores, nemo ex operibus, nemo niſi fide ſervari poteſt.

Vers. 23. *Antequam autem veniſſet fides, ſub Legis præſidio tenebamur, concluſi in eam fidem quæ erat revelanda.*

Arg. 21. A fine & uſu æconomiæ, ſeu externæ diſciplinæ, ante CHRISTI adventum in Eccleſia Judæorum, qui quotidie urgebantur ſub pœna maledictionis, ad legem ſecundùm pactum præſtandam: quotidie per ceremoniarum impoſitarum jugum & obſervationem, erudiebantur de obedientia præceptis debita, de impotentia ſua ad legem obſervandam, deque multiplici ſuo peccato; quotidie etiam inſtituebantur ut confugerent ad altare, ad ſacrificium, ad lotiones, ut ex hac diſciplina cognoſcerent ſe peccatores eſſe, nec poſſe liberari niſi per oblationem Agni DEI venturi, & per expiationem in ejus ſanguine, ſeu per fidem in MESSIAM promiſſum.

Hinc argumentum; Ante CHRISTI adventum, ſeu antequam veniret plena revelatio doctrinæ fidei, nos Judæi ſub externa legalis fœderis diſciplina, tanquam ſub præſidio cuſtodiebamur, cancellis quaſi circumſcripti, ne quoquo nos converteremus à maledictione, niſi ad ſolam eam fidem quæ erat revelanda, id eſt, ad juſtitiam & benedictionem quærendam in promiſſo MESSIA: Ergo tantùm abeſt ut ex lege ſit juſtitia, ut contra ex legis diſciplina, in anguſtias concluſa fuerit vetus Eccleſia, & coacta ad ſolam juſtificationem per fidem reſpicere. Verùm quidem eſt pleroſque abuſos fuiſſe legis diſciplina in contrarium finem, ſed hic erat finis legalis diſciplinæ à DEO inſtitutus.

Vers. 24. *Itaque Lex pædagogus noſter fuit in Chriſtum* reſpiciens, *ut ex fide juſtificaremur.*

Arg. 22. Superius illuſtrans & confirmans: Lex, ſeu fœderis legalis externa forma, inſtar pædagogi nobis à DEO appoſiti inſtituebat noſtram puerilem

puerilem Ecclesiam, & manu ducebat ad CHRISTUM, ut ex fide justificaremur. Ergo tantum abest ut per legem justificemur, ut contra, nisi per fidem justificemur, Lex suo fine frustretur. Quid enim aliud agebat lex proponendo moralia præcepta, quam ut in speculo ostenderet Ecclesiæ quam longè abessent homines à justitia? Quid legales promissiones & minæ, aliud loquebantur, quam si has conditiones præstare non poteris, si jam eas omnes turpiter violaveris, actum est de te, plane periisti, nisi aliam rationem salutis quærendæ ineas? Denique eodem tendebant Ceremoniæ. Quorsum enim sacrificia & ablutiones, nisi ut in assidua sordium & damnationis meritæ meditatione exercerentur, & in imagine innoxii animalis ante oculos suos cæsi, necessitatem redemptionis suæ, per MESSIAM, (qui est Agnus ille DEI immaculatus) contemplarentur, inque eum credentes justificarentur?

Vers. 25. *At postquam venit fides, non amplius sub pædagogo sumus.*

Arg. 23. Ab externæ disciplinæ fœderis legalis abolitione, quam innuebat *vers.* 23. Cum hujus disciplinæ usum *ante tempus Euangelii*, & usque *ad tempus fidei* fuisse, determinabat; & *vers* 24. Cum hanc disciplinam *pædagogo*, (cujus officium puerili tantum ætati destinatur) comparabat. *Arg.* est; Postquam CHRISTUS patefactus est, & tempus Euangelii, tempus fœderis gratuiti manifestandi, seu tempus fidei jam venit, non ampliùs sumus sub pædagogia fœderis legalis, seu disciplina illa externa quâ excercenda erat Ecclesia tantum usque ad CHRISTI adventum, hoc est, usque ad, & non ultra tempus Fidei. Ergo tantum abest ut justificemur per Legem, ut tota ratio disciplinæ legalis externæ jam sub Euangelio abolita sit. Non dicit Legem Moralem esse abolitam, sed dicit pædagogicam illam rationem urgendi fœdus legale, unà cum ceremoniarum appendicibus, abolitam esse. Nam licet liberentur fideles à Lege paciscente, vel quatenus pactum operum importat, non tamen manumittuntur a Lege mandante, vel quatenus regula morum est, sed potiùs ex fœdere gratiæ ad legi obediendum, arctiori & suaviori nexu, obligantur.

Vers. 26. *Omnes enim filii Dei estis, per fidem in Christo Iesu.*

Applicat argumentum superius ad Galatas fideles, & probat eos non esse sub pædagogia legali, sed exemptos è Jugo ceremoniarum Leviticarum, rationibus tribus.

Ratio prima, Omnes vos fideles Galatæ estis in censu *filiorum*, nempe adultorum, propter fidem vestram in CHRISTUM manifestatum: Ergo non estis sub pædagogia puerili ceremoniarum, vel legalis disciplinæ.

Vers. 27. *Nam quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Ratio 2. Confirmans priorem. Cassâ jam factâ circumcisione, vos per Sacramentum Baptismi, ita induistis CHRISTUM filium DEI, & coram DEO nomen ac personam CHRISTI ita geritis, ut in ipso, & non in vobis ipsis esse censeamini: Ergo filii DEI adulti estis, exempti à pædagogia legis.

Vers. 28. *Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus ac fœmina. omnes enim vos unus estis in Christo Jesu.*

Ratio 3. Occurrens tacitæ objectioni, & ostendens quod non opus habeant Gentiles Ceremoniis legalibus, ut per eas jungantur, more proselytorum, cum DEI populo. Quia in fidei negotio nullum est discrimen nationis Judæus ne sis an Græcus; neque conditionis, servus ne sis an liber; neque sexus masculus ne sis an fœmina. Omnes enim vos, quicunque vera fide præditi estis, velut unam personam in CHRISTO constituitis: Ergo vos Galatæ non minus filii adulti estis, quam nos Apostoli, vel Judæi alii quilibet fideles, ideoque exempti estis à puerili Ceremoniarum pædagogia per CHRISTUM.

Vers. 29. *Quod si vos* estis *Christi, nempe Abrahæ semen estis, & secundùm promissionem hæredes.*

Occurit alteri objectioni tacitæ, innuenti quasi non possent aliter semen Abrahæ esse quam insitione in populum DEI per Circumcisionem & Ceremoniarum observationem, & simul affert Argumentum vicesimumquartum, ad probandum justificationem non esse per legem, sed per fidem, quod sic formari potest, Qui per fidem CHRISTO sunt uniti, & sic semen illud benedictum Abrahæ facti, & hæredes secundum promissionem, & non secundùm legem seu fœdus operum futuri sunt, illi non justificantur ex operibus legis, sed per fidem promissionis. At vos estis CHRISTO uniti, & Abrahami semen facti secundùm promissionem,

onem. & non secundùm legem hæredes futuri : Ergo non ex operibus legis, sed per fidem promissionis justificamini.

Caput Quartum.

TRes sunt Capites partes : In prima hortatur Apostolus ut renuncient Ceremoniarum jugo, ad versum 12. *In secunda, est blanda invitatio, ut redeant ad sanam mentem & ad suam doctrinam, quam ipsos de justitia per fidem initio docuerat, ad* versum 21. *In tertia totam disputationem confirmat, & illustrat insigni allegoria, ad finem. Quod ad primam Capitis partem attinet, disputationem convertit in hortationem ad Galatas, ut renunciantes servili legis jugo, se gerant ut Christi liberos. Propositio hortatoria hæc est, Debetis Ceremoniarum jugo renunciare. Argumenta ad confirmationem sunt decem.*

Vers. 1. *HOc autem dico, Quandiu hæres est infans, nihil differt à servo, quamvis sit dominus omnium.*

Vers. 2. *Sed sub tutoribus & curatoribus est, usque ad tempus quod pater præfinierit.*

Vers. 3. *Ita & nos, quum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in servitutem redacti :*

Argumentum primum, A servili & puerili externa conditione in qua Ecclesia ante CHRISTI adventum constituta erat, quam similitudine hac illustrat. Quemadmodum hæres quandiu infans seu minorennis est, licet Dominus sit omnium bonorum paternorum quoàd jus, respectu possessionis & exercitii juris tamen, seu quoàd externam libertatem, non differt à servo, *vers.* 1. Sed sub tutoribus & curatoribus manet subjugatus, usque ad tempus præfinitum à Patre suo, *vers.* 2. Sic Ecclesia DEI, cujus nos sumus membra, quoàd externum statum sub terrenis figuris, & mundanis elementis, seu rudimentis ceremoniarum legalium, quasi Abecedaria, vel quasi hærens in discernendis rudimentis, A B C. Duram serviebat servitutem, usque ad CHRISTUM.

Hinc argumentum; Puerile & servile est Jugum Ceremoniarum legalium, Ecclesiæ infanti & minorenni ante CHRISTI adventum tantùm destinatum: Ergo vos Galatæ qui sub Euangelio estis, debetis ei renunciare.

Vers. 4. *At postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum factum ex muliere, factum Legi obnoxium:*

Vers. 5. *Ut eos qui Legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptionem acciperemus.*

Dixit de servili & puerili conditione Ecclesiæ ante CHRISTUM, quoàd externum hominem, (nam quoàd Spiritum & interiorem hominem, fideles qui videbant CHRISTI diem, liberi erant, & gaudebant in DOMINO) jam sequitur modus liberandi Ecclesiam per CHRISTI adventum.

Plenum tempus] Arg. 2. Venit jam plenum tempus, quod Pater præstituerat pædagogicæ æconomiæ legali, & finita est tutela illa seu puerilis pædagogià illa Ceremoniarum legalium: Ergo earum jugo vobis Christianis est renunciandum.

Emisit filium] Arg. 3. DEI filius missus est in mundum, carnem assumpsit, & natus est ex Maria virgine, & subjecit se fœderi operum, & legalium ceremoniarum jugo, ut eos qui legi erant subjecti, redimeret: Ergo vos Christiani redempti ab hoc jugo, ei renunciare debetis.

Ut adoptionem] Arg. 4. Eo fine CHRISTUS subjectus factus est legi, ut nos sub Euangelio exhibitam adoptionem, seu privilegium filiorum adultorum aperte adiremus. Ergo nos sub Euangelio renunciare debemus Ceremoniarum servili & puerili Jugo, nisi cassum nobis reddere vellemus beneficium redemptionis.

Vers. 6. *Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, id est Pater.*

Arg. 5. In Testimonium adoptionis vestræ, & evectionis in adultorum filiorum privilegium, donavit vos DEUS Spiritu sancto, per quem unà cum aliis DEI filiis ex Judæis & Gentibus, DEUM in quavis lingua confidenter vocare possitis *Patrem vestrum.* Ergo nisi vos gerere velletis tanquam indignos hoc privilegio, Ceremoniarum puerili & servili Jugo renunciandum est.

Vers. 7.

Vers. 7. *Itaque non amplius es servus, sed filius: quòd si filius etiam hæres Dei per Christum.*

Arg. 6. Non estis amplius in servili illa conditione sub Jugo Ceremoniarum, sed in Statu Libero, ut filii adulti, & hæredes actu jam participes bonorum paternorum, seu gratiarum spiritualium, in ampliori mensura, quam Vetus Ecclesia, idque per CHRISTUM in carne manifestatum. Ergo servili illi & puerili Jugo vobis jam renunciandum est.

Vers. 8. *Imò tum quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui natura non sunt dii.*

Vers. 9. *At nunc cum cognoscatis Deum, imo potius edocti sitis à Deo, quomodo convertimini retrorsum ad impotentia & egena elementa, quibus regressi ad superiora servire vultis?*

Ingratitudinem iis exprobrat cum reprehensione propter observationem legalium Ceremoniarum, ut dierum & mensium &c, in quibus nec nati, nec educati erant.

Sed tunc quidem] Arg. 7. Priusquam essetis filii, in deteriori eratis conditione quam Judæi, nempe Idololatræ eratis, verum DEUM ignorantes, & nctis idolis servientes, nunc autem posteaquam ab illa ignorantia conversi, DEUM cognovistis, vel potiùs ex præveniente DEI gratia cogniti & dilecti, à DEO attracti, ad eum cognoscendum, & in libertatem filiorum vindicati, estis, quomodo de novo quasi nullam antea servitutem passi, convertitis vos ad ceremonialis servitutis abolitæ Jugum? Ergo huic jugo renunciandum est. Vis argumenti hæc est, Minori cum prætextu excusationis, & cum ingratitudinis insigniori nota, quam Judæi sub jugo nati & educati, jugum ceremoniarum gerentis. Ergo huic renunciandum est vobis.

Retrorsum] Arg. 8. Provectis ad libertatem filiorum adultorum, indignum est retrorsum ad servitutis jugum ultrò redire, & servire velle. Ergo jugo huic vobis renunciandum est.

Egena] Arg. 9 Ceremoniæ illæ legales, quarum jugum jam affectatis, etiamsi usum suum pædagogicum habuerint antequam CHRISTUS venit, post CHRISTI adventum tamen nullum habent usum, sed infirma & egena rudimenta sunt, quæ nec virtutem habent ad justificandum, nec vim ad consolationem afferendam, nec usum veterem ad præfigurandum CHRISTUM. Ergo huic jugo tam inutili renunciare debetis.

Vers. 10.

Vers. 10. *Dies observatis & menses, & tempora, & annos.*

Vers. 11. *Metuo de vobis ne frustrà fatigatus sim apud vos.*

Arg. 10. Inchoata vestra servitus in observatione Ceremoniarum Legalium, *ex. gra.* dierum, Sabbatorum, neomeniarum, festorum anniversariorum, & annorum Sabbaticorum *&c.* Justam mihi causam metuendi dat, ne frustra vobis Euangelium de gratuita justificatione prædicaverim. Quia hoc indicium est, vos à justificatione per fidem, seu Gratia CHRISTI, deficere ad justificationem quærendam per opera legis. Ergo nisi Euangelio renunciare velletis, renunciandum est huic Jugo.

Secunda Pars.

Vers. 12. *Estote quasi ego: nam ego sum quasi vos: fratres, rogo vos. nihil mihi fecistis injuriæ.*

Secunda pars capitis, in qua continetur amica hortatio ad redeundum in viam, & sanam sententiam de justificatione ex gratia, per fidem absque operibus Legis.

Hortationis propositio hæc statui potest. Redeundum vobis ad meam doctrinam de justitia per fidem absque operibus Legis, *Estote*, inquit, *sicut ego*, seu in eadem mecum estote sententia: argumenta hortationis sunt duodecim.

Propterea quod] Argumentum primum, Quia ego licet olim Pharisæus, tenacissimus fuerim justitiæ per Legem, nunc tamen Christianus factus, sum sicut vos, & vestram vobiscum salutem quæro, non minus quam ipsi vos quæritis. Idcirco redeundum vobis in meam sententiam.

Fratres peto] Arg. 2. Metus meus de vobis, nec alienavit à vobis animum meum, nec dubium fecit judicium charitatis de vobis, quin fratres compellem, & ut fratres rogem, ut redeatis: Redite igitur.

Nihil.] Arg. 3. Asperior mea objurgatio, non ex ira vel odio orta est adversus vos, qui nulla me privata injuria affeciistis, sed ex salutis vestræ studio. Redite igitur.

Vers. 13. *Nostis autem me per infirmitatem carnis vobis prius evangelizasse:*

Arg. 4. Ego pro Euangelio vobis prædicato multa sum passus, nostis enim me per infirmitates, & contemptibilem externi hominis conditionem,

ditionem, ad quam per afflictiones redactus sum, constanter vobis Evangelium prædicasse. Redite ergo ad sanam Doctrinam meis perpessionibus obsignatam.

Vers. 14. *Et experimentum mei quod* fiebat *in carne mea, non pro nihilo habuistis, neque respuistis: sed me ut Angelum Dei, ut Christum Iesum excepistis.*

Arg. 5. Olim causam mearum afflictionum probastis, nec contempsistis me, dum tentationibus in carne exercerer, sed ut Angelum, ut CHRISTI personam gerentem excepistis. Ergo & idem nunc facite, & redite ad eandem mentem.

Vers. 15. *Quæ igitur erat beatitatis vestræ prædicatio? testimonium enim reddo vobis, vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.*

Arg. 6. Olim per meum ministerium beatos vos censebatis: Ergo si beati esse vultis, meæ doctrinæ constanter agglutinari opportet: Hanc beatitudinem, quia videbantur obliti, Interrogatione vellit iis aurem.

Testimonium] Arg. 7. Olim ut mihi gratum faceretis, rebus vestris charissimis non pepercissetis. Redite igitur, & meo exemplo jugum legale rejicite. si gratum mihi facere vultis,

Vers. 16. *Itaque* num *inimicus factus sum vobis, dum vobis vera loquor.*

Arg. 8. Tantùm abest ut acriori hac reprehensione offensi, inimicum me existimare debeatis, quem ideirco nolletis imitari, ut contra, quia vobis veritatem dico in vestrum bonum, teneamini, me, & meam hortationem majoris facere.

Vers. 17. *Depereunt vos non bene, imò excludere vos volunt, ut se depereatis.*

Arg. 9. A dissimilitudine sui, & seductorum. Pseudapostoli, inquit, qui magno studio contendunt, ut jugum legale subeatis & gratis, male vobis consulunt, & præpostero erga vos zelo feruntur, imò vero reipsa vos eunt perditum, cupientes vos excludere à me, meaque Doctrina, & à societate CHRISTI per consequens, ut ipsos sectemini, & ipsorum discipuli fiatis. Redite igitur ad meam Doctrinam.

Vers. 18.

Vers. 18. *Sed præclarum est vehementer amare in re bona semper, & non solùm dum præsens sum apud vos.*

Arg. 10. Zelus meus pro vobis bonus est, & in re bona, & constans dum absum, non minus quam cum adsum: æmulorum meorum de vobis zelotypia perversa est, & simulata: Redite igitur ad meam Doctrinam.

Vers. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, usque quò formetur Christus in vobis.*

Arg 11. CHRISTI imago, in cognitione & fide veritatis de CHRISTO consistens, deformatur in vobis per vestram defectionem ad jugum legis, & justificationem per opera: Ergo redite ad meam doctrinam.

Parturio] Arg. 12. Non minus seriò anxius sum de vestra resipiscentia, nec minus solicitè laboro de reparatione fidei vestræ, & imaginis CHRISTI in vobis, quam parturiens in fœtu enitendo, vel quam ipse laborabam olim in vestri conversione ad fidem: Ergo ad meam doctrinam redite.

Vers. 20 *Velim autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam, quoniam hæsito in vobis.*

Hanc animi perplexam anxietatem confirmat, à signo, desiderio nempe suo coram eos videndi & erudiendi, seque ad ipsorum necessitatem accommodandi: deinde à causa anxietatis, scilicet quod hæsitet in iis incertus, leniter ne an severè, vel qua tandem ratione eos tractaret: nam quam alte radices egerit error in illis, quot infecti, quomodo singuli in hoc negotio affecti fuerint, nisi præsens fuisset, constare ipsi facilè non poterat.

Tertia Pars.

Vers. 21 *Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non auditis?*

Tertia pars Capitis in qua totam disputationem confirmat & illustrat, ex historia conditionis familiæ Arahami, in qua per allegoriam typicam, DEUS rem totam jam in disputatione positam præfiguravit: Cujus summa hæc est; DEUS olim præfiguravit, eos qui ex operibus seu fœdere operum justificationem quærunt, in servili, misera & maledicta conditione jam esse, & tandem a DEI facie & societate sanctorum ejicendos esse: eos verò qui ex gratia quærunt justificationem

ficationem per fidem in CHRISTUM, jam esse liberos DEI familiæ Filios, & beatos, tandemque hæreditatem vitæ æternæ plenè adituros. Quid igitur adeò amentes estis, O Galatæ, ut ultro affectetis hanc servilem, miseram & maledictam rationem justificationis, per Legis Opera, quærendæ?

In hunc finem, Apostolus in hac ultima capitis parte, primò provocat ad Legem, seu libros Mosis, ut tota quæstio decidatur, vers. 21. Deinde typicam historiam conditionis familiæ Abrahami proponit, vers. 22, 23. Tertio exponit typum & mysterium aperit, vers. 24, 25, 26. Quarto confirmat expositionem ex Isaia, vers. 27. Quinto allegoriam seu typum applicat ad Christianos verè fideles, & consolatur se & reliquos adversus persecutionem falsorum fratrum, à gratia DEI alienorum. vers. 28, 29, 30, 31.

Dicite] Quod ad primam attinet, arguit Galatas duplicis erroris. Primus error est, quod ultro affectarint esse sub lege, hoc est, sub fœdere legali, seu fœdere operum; cujus hæc conditio est, ut tu te astringas ad legem perfectè præstandam, & DEUS tecum agat secundùm legis pactum, *id est*, servet te, si in nullo peccaveris, maledicat verò & perdat, si in tantillo quod scriptum est in libro legis peccati reus peragaris, seu à norma deflexisse comperiaris: nam alioqui, sub lege ut regula, seu norma vitæ fideles omnes sunt, ut ei studeant sincere in omnibus obedire, per Gratiam à CHRISTO ministratam. Secundus error est, quod legis seu librorum Scriptorum à Mose, sensum scopumque planè ignoraverint.

Vers. 22. *Scriptum est enim, Abrahamum duos filios habuisse: unum ex ancilla, & unum ex libera.*

Vers. 23. *Sed is qui ex ancilla* natus est, *secundùm carnem natus est: qui verò ex libera, per promissionem.*

Secundo loco proponit, ex *Gen.* 16. & 21. Typicam historiam conditionis familiæ Abrahami, in qua familia duæ erant *uxores* Matres, Agar & Sara: *conditio* matrum *duplex*: Agar fuit serva, Sara libera seu ingenua: *Duo filii* Ismael servus ex matre serva: Isaac liber ex matre ingenua: *Duplex principium* nativitatis, nempe naturæ vis secundùm carnem, eminens in nativitate Ismaelis ex juvencula, & vis promissionis, seu virtutis divinæ supernaturalis, In nativitate Isaaci ex Sara vetula, & sterili conspicua.

Hinc *dissimile ingenium* Ismaelis & Isaaci, & dissidium tantum, ut Ismael: persequutus sit Isaacum & *dissimilis* utriusque *conditio in exitu*; Ismael ejectus ex familia est, Isaac verò potitus est hæreditate. Quo typo Deus figurabat Ecclesiæ visibilis & professentium Dei cultum diversam conditionem, ex diversis principiis, & causis natam. Nam, 1. Ut duæ uxores Agar & Sara, sic duo sunt fœdera Dei cum hominibus, fœdus operum seu legale, & fœdus gratiæ seu Euangelicum: 2. Utraque uxor habebat prolem, sic utrumque fœdus habet suos cultores, & professores, ut fœderis prognatos: 3. Sicut Agar juvencula secundùm naturam seu carnem genuit: Sara verò sterilis & vetula, juxta vim divinæ promissionis: Ita lex seu fœdus operum vim naturæ ordinariam, seu liberi arbitrii vires pro fundamento habet; Euangelium verò seu fœdus gratiæ, specialem Dei gratiam, & spiritualem virtutem pro fundamento habet: 4. Sicut Ismael servili, & malitioso fuit ingenio, ut qui fratrem persequeretur: Isaac autem liberali & pio ingenio præditus, persequutionem patienter ferens; Sic quotquot justitiarii sunt, quærentes justitiam ex operibus, servili & perverso sunt ingenio; verosque Dei Filios exagitant: Verè Fideles vero, & Filii promissionis, ingenuâ pietate Deum colunt, & persequutiones, ut decet, patiuntur.

Vers. 24. *Ter quæ aliud figuratur. Nam hæ sunt duæ illæ pactiones, una quidem quæ est Agar, ex monte Sina, generans* prolem *ad servitutem.*

Tertio loco Apostolus typi significationem exponit, quantùm ad præsens institutum attinet; & primo, duas uxores ostendit figuras esse duorum fœderum, seu pactorum, quorum alterum est fœdus operum, repræsentatum per Agar: Alterum est fœdus gratiæ, seu fidei, repræsentatum per Saram. Quod ad Agar, seu fœdus operum, docet Apostolus primo, hoc fœdus ortum habere à Sina monte; quia in illo monte lata est Lex, & sancitum hoc fœdus inter Deum & populum. Secundò docet hoc fœdus generare prolem ad servitutem, seu discipulos & professores suos servos tantum reddere, *id est*, mercenarios cultores Dei, qui nihil agant nisi externum opus: idque vel metu vel spe mercedis ducti; quique ignorantes finem Legis hunc esse, ut agnoscentes peccata confugiant ad Christum, abutantur Lege; quærentes per eam, impossibilem justitiam, quam nunquam assequuntur, sed manent in peccatis suis non liberati, meri hypocritæ.

Vers. 25

Vers. 25. *Sinaeum mons est in Arabia, pari autem serie respondet ei Hierusalem quæ nunc est, servitque cum filiis suis.*

Expositionis convenientiam ostendit: primò, ex eo quod mons Sina in Arabia situs, & à terra promissa longè remotus, vocetur apud Arabes & Caldæos *Agar*, speciali Dei providentia. Secundò, quod cognationem habeat cum *terrena* Hierosolyma, (qualis jam erat Apostoli tempore) seu cum Synagoga Judaica, *infideli* nempe, quæ *servire* dicitur cum filiis suis: quia tenax erat fœderis Operum, & in servili sua conditione, alienata à Redemptore, & gratuitâ per eum liberatione, cum discipulis suis manebat.

Vers. 26. *Illa verò sublimis Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrûm.*

Exponit quid figuratum sit per *Sara liberam*, nempe fœdus Fidei seu Gratiæ, cujus tenax est Ecclesia Christianorum verè Fidelium, quæ *cœlestis & superna* est Hierosolyma, à Deo procreata, & rerum cœlestium studiosa, mater omnium Fidelium ex Judæis & Gentibus evocatorum.

Vers. 27. *Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis, quoniam plures sunt liberi deserlæ, quàm ejus quæ habet virum.*

Quarto loco probat Apostolus expositionem datam, ex *Isa.* 54. 1. ub Ecclesia Fidelium, *superior Hierosolyma*, mater nostra, repræsentatur per sterilem & quasi viduam Sara: *Synagoga* verò *Judæorum*, infidelis & tenax fœderis Operum, repræsentatur per Agar fœcundam, cum marito habitantem. Comparatur autem Ecclesia Fidelium ante Christum, sterili quasi viduæ, quia ejus maritus, fœdus Gratiæ, ignorabatur ferè ab omnibus, exceptis paucis, qui dispersi huc illuc cœtum non faciebant: nec comparebat gratia, sed latebat instar mariti absentis aut demortui sub cerimoniarum involucris. Comparatur verò Synagoga infidelium justitiariorum, uxori fœcundæ, habitanti cum marito suo, nempe *fœdere Operum*, in externa Legis œconomia, conspicuo. Et prædicitur à Propheta fore, ut Fidelium Ecclesia, fœcundata per promissiones Dei, plures liberos sit paritura, sub Evangelio, quam Synagoga peperit servos sub Lege, & propterea jubetur lætari, & Deum laudare.

Vers. 28. *Nos igitur, fratres, secundùm Isaac, promissionis filii sumus.*

Ultimo loco applicat hanc typicam historiam, & verè fideles Christianos partim admonet, partim consolatur, argumentis quatuor:

Argumentum primum, Quod justificati per fidem simus Filii Redempti, & verè Liberi, vi promissionum Euangelicarum regeniti, ad similitudinem Isaaci, qui natu major est aliis post eum civibus cœlestis Hierosolymæ.

Vers. 29. *Sed quemadmodum tunc is qui secundùm carnem genitus fuerat, persequebatur eum qui natus erat secundùm Spiritum: ita & nunc.*

Arg. 2. Consolationis, Quod persequutionem patientes à falsis fratribus, liberi arbitrii & justitiæ operum Patronis, nihil alienum à sorte Isaaci experiamur: cum enim in Abrahami familiâ, is qui naturæ vi ordinaria tantùm genitus est, persequutus sit eum, qui divinitus & spirituali ratione est genitus; Quid mirum si idem nunc usu veniat nobis?

Vers. 30. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Arg. 3. Quod persequutores fidelium, & patroni justitiæ ex operibus, quum liberati non sint per filium, ejicendi sint à societate Sanctorum, & vitæ æternæ hæreditate; sicut figuratum fuit in Dei sententia, de ejectione Ismaelis cum matre sua ex familiâ, & exclusione ab hæreditate, cum Isaaco fruendâ.

Vers. 31. *Nempe, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.*

Quartum argumentum ex comparatione hujus versus cum superiori. Quod, cum simus filii non ancillæ sed liberæ, hæreditatem vitæ æternæ certò simus consequuturi: quod argumentum cum superioribus vim habet sicut consolationis, sic etiam admonitionis, ne hæreant in errore suo de justitia ex operibus quærendâ, & insuper etiam hortationis, ut justitiam ex gratia per fidem, in Christum mordicùs teneant, nisi vellent ab hæreditate seipsos excludere.

Caput

Caput Quintum.

DUÆ sunt Capitis partes: In prima pergit urgere ut excusso jugo fœderis Operum & Ceremoniarum Legalium, libertatem Christianam tueantur, ad vers. 13. *In altera præcepta dat de recto usu libertatis Christianæ, ad finem.*

Vers. 1. *IN libertate igitur qua Christus nos liberavit, perstate, & ne è contrario implicamini servitutis jugo.*

Propositio in priori parte confirmanda, apertè proponitur sub hortationis forma. Perstandum vobis est in libertate Christiana, quæ scopus est superioris doctrinæ & disputationis, ex eaque deducitur tanquam conclusio. Argumenta ad confirmandam hanc propositionem sunt tredecim.

Argumentum primum, Libertas à servili jugo legalis fœderis & Ceremoniarum ipsius, parta est per CHRISTI sanguinem: Ergo vobis perstandum est in ea.

Vers. 2. *Ecce, ego Paulus dico vobis, si circuncidamini, Christum nihil vobis profuturum.*

Arg. 2 Obtestatione Apostolica sancitum. Si ex lege Ceremoniali jam abolita circumcidamini, & vel unam hanc Ceremoniam ad gratuitam justificationem per CHRISTUM addatis; CHRISTUS, quem hoc facto imperfectum Servatorem declaratis, non est vobis profuturus ad salutem. Perstandum ergo. Nam si justificari non poterant nisi unâ cum gratia CHRISTI iungerent circumcisionem, dimidium justitiæ suæ facientes CHRISTUM, perdebant totum; imperfectum Salvatorem statuentes, faciebant eum sibi nullum.

Vers. 3. *Testor enim rursum omni homini qui circunciditur, eum esse debitorem totius Legis servandæ*

Arg. 3. Eadem obtestatione sancitum, Abrogato fœdere operum & lege ceremoniali jam abolitâ. si quis redeat ad circumcisionem, sacramentum inaugurale hujus legalis fœderis, seipsum facit debitorem ex pacto totius legis, & per consequens obligat se ad maledictionem, nisi

legem

legem perfectè præstiterit ex viribus suis, quæ est conditio fœderis Operum. Res patet. Quia, licet circumcisio ex DEI instituto fidelibus MESSIAM expectantibus usque ad CHRISTUM, sacramentum fuerit justitiæ fidei, (quomodo Abrahamus circumcisus est) & licet tolerationis tempore usque ad Christianæ libertatis claram manifestationem, Judæis natis, circumcisio fuerit in rebus mediis; (quomodo Timotheus ex matre Judæâ circumcisus est, & Titus non est circumcisus.) Omnibus tamen Judæis, & Proselytis ex Gentibus, justitiam ex operibus seu lege quærentibus, Circumcisio facta est pars justitiæ legalis, seu obedientiæ fœderis Operum: imo & Sacramentum illius fœderis. Et hoc modo Pseudapostoli urgebant Circumcisionem inter Galatas, quibus illicita erat Circumcisio religiosa, omni modo. Non mirum ergo si dicat CHRISTUM non profuturum iis, si circumciderentur, quia circumcisi fœdus Operum amplectebantur ipso facto.

Vers. 4. *Facti estis inanes Christi, quicunque per Legem justificamini, & à gratia excidistis.*

Arg. 4. Confirmans superius. Quicunque ad circumcisionem & legales ritus abolitos reditis, justificationem quærentes per Legem, CHRISTO, & fœderi gratiæ, ipso facto renunciatis; quia fœdus operum & fœdus gratiæ in CHRISTO, se mutuò excludunt, neque consistere possunt. Nam si justificatio est ex operibus, non est ex gratia, & contra: Ergo perstandum est in libertate, nisi à CHRISTO & Gratia separari velletis.

Vers. 5. *Nos enim Spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.*

Arg. 5. Nos Judæi & Apostoli circumcisi, post nostram conversionem ad fidem, per Spiritum edocti, renunciavimus fœderi operum & ritibus legalibus, & expectamus vitam æternam, ut fructum justificationis per fidem: vos naturâ Gentiles, neque poteritis aliter, seu per Legem vel Circumcisionem justificari & servari. Idcirco in libertate Christiana vobis perstandum.

Vers. 6 *Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem agens.*

Arg 6. Confirmans superius. In CHRISTI regno, seu novo statu Ecclesiæ sub fœdere Gratiæ, sublatum est discrimen circumcisionis & præputii: ad justificationem nihil illa prodest, nihil istud nocet: Ergo perstandum in libertate à jugo legis.

Sed

Sed fides] Arg. 7. Sola fides vera, seu quæ per charitatem est efficax, absque respectu ad circumcisionem vel præputium, ad justificandi actum valet. Ergo in hac justificationis ratione, vobis qui in CHRISTI regno estis, perstandum est necessariò.

Vers. 7. *Currebatis pulchrè, quis vos interpellavit, ut non obsequeremini veritati?*

Arg. 8. In stadio veritatis doctrinæ hujus currebatis benè non ita pridem, nec potest reddi ratio defectionis ab hac veritate: Ergo pergendum adhuc, & perstandum in illo cursu.

Vers. 8. *Hæc persuasio non* est *ex eo qui vocat vos.*

Arg. 9. Per occupationem objectionis. Etiamsi forsan persuasum vobis sit, vos rectam viam adhuc tenere; credulitas tamen ista, & persuasio ad recedendum ab eo, quod à me accepistis, non est à DEO vos vocante, sed aliunde, scilicet ab impostoribus, à vestra inconstantia, & à DIABOLO: Ergo rejicienda hæc persuasio & in libertate perstandum vobis est.

Vers. 9. *Paulùm fermenti totam massam fermentat.*

Arg. 10. Per occupationem objectionis. Etiamsi videri posset, non contendendum esse de paucorum aliquot rituum introductione, concordiæ causâ, & ut Judæi facilius lucrifierent; hoc tamen paululùm fermenti legalis seu Judaisini, totam sinceritatem doctrinæ fidei corrumpit: Ergo cavendum ab eo, & perstandum in libertate.

Vers. 10. *Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros; sed qui turbat vos, auferet condemnationem, quisquis fuerit.*

Arg. 11. Etiamsi erroris periculum, & vestra inconstantia suspicionem mihi injiciunt de eventu; meliora tamen sperare jubet charitas, & gratiæ divinæ constantia, quam dum respicio, persuasum habeo vos redituros in eandem mecum sententiam de Legis jugo abjiciendo, & libertate tuenda per fidem in CHRISTUM. Ergo expectationi meæ satisfacere æquum est.

Turbat] Arg. 12 Seductores vestri, qui vestram fidem turbant, in quacunque tandem sunt apud vos existimatione, graves DEO luent pœnas, ne igitur & vos iisdem plagis implicemini sed respicite, & in libertate perstate.

Vers. 11.

Vers. 11. *Ego autem, fratres, si circumcisionem etiam prædico, quid adhuc persequutionem patior? nempè abolitum est offendiculum crucis.*

Refellit calumniam adversariorum, & affert Arg. 13. Tuipse doces circumcisionem, quia circumcidisti Timotheum; Ergo immeritò nos reprehendis: Respondet negando se docere Circumcisionem, quia licet Timotheum ex Judæa matre oriundum circumciderit, (nam Judæis Ceremoniarum usus, post fractum jugum necessitatis ex decreto Synodi, ad tempus liber relictus est) nunquam tamen prædicabat circumcisionem observandam, sed & Judæos monebat de abolitione Ceremoniarum, & Ceremonias legales nulla ratione inter Gentes recipiendas docebat: Quod probat; Quia hoc nomine persequutionem patiebatur à Judæis, & quia non offensi fuissent Judæi prædicatione Euangelii seu crucis CHRISTI, sed libenter toleràssent Apostolum, si promovisset rituum Judaicorum inter Gentes receptionem.

Argumenti vis hæc est, Ego persequutionem pati malo, quam circumcisionem prædicare cum Euangelio jungendam; nam si conjungerem, cessaret offensio crucis, tolerarent Judæi meam prædicationem CHRISTI crucifixi, Ego autem latum unguem non audeo recedere ab Euangelii puritate. Ergo & vobis in ea perstandum est.

Vers. 12. *Utinam etiam abscindantur qui vos inquietant.*

Tandem ut claudat totam disputationem, Spiritu Apostolico, exitium imprecatur, & denunciat impostoribus, à quibus Galatæ decepti erant:

Secunda Pars.

Vers. 13. *Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem* arripite, ut detis *carni occasionem, sed ex charitate servite alii aliis.*

Secunda pars Capitis, in qua reddita ratione imprecationis, quia nempe seductores ad jugum revocabant, & retrahebant eos, quos DEUS ad libertatem vocabat, sub hortationis forma, tria dat præcepta de recto usu libertatis Christianæ.

Tantùm] Primum præceptum, Ut carnem seu pravam corruptæ naturæ concupiscentiam frænantes (ne illa effrænis libertatem Christianam

nam traheret in peccandi licentiam) sibi invicem serviant in charitatis officiis.

Vers. 14. *Nam tota Lex uno verbo completur isto*, videlicet, *Diliges proximum tuum ut teipsum*.

Rationes hujus præcepti dat duas. Prima, Quia charitate impletur lex, & non jejunis ceremoniis.

Vers. 15. *Quòd si alii alios mordetis & devoratis, videte ne viciſſim alii ab aliis conſumamini.*

Ratio 2. Quia nisi charitati studeant, contentionibus se mutuò conficient, devorabunt & perdent.

Vers. 16. Hoc *autem dico, ſpiritu incedite, & quod concupiſcit caro, ne perficite*.

Secundum præceptum in subsidium primi, ut ductum Spiritus sancti sequantur, prout ipse ex Scriptura incedendum suggesserit ipsorum cordibus.

Et quod] Rationes præcepti sunt sex: Ratio prima, Quia sic concupiscentia carnis non dominabitur vobis, ut jussa ejus tanquam servi exequamini. Idcirco Spiritus ductum sequimini.

Vers. 17. *Nam caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem. Hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.*

Ratio 2. confirmans superiorem, Quia qui sequitur Spiritus ductum, superior evadet in luctâ carnis & Spiritus. Ut hæc ratio plana sit, tria præsupponit Apostolus: 1. Eum qui Spiritu ducitur, naturam habere ex parte renovatam, quæ *Spiritus* dicitur: & ex parte corruptam, quæ *Caro* dicitur. 2. Præsupponit hæc duo principia contrariis studiis invicem pugnare, ut neque bonum, neque malum sine oppositione, & mutuo impedimento, possit executioni mandari. 3. Præsupponit SPIRITUM sanctum, in luctâ credenti auxilium afferre, per Verbum & Gratiam. Unde conficitur eum qui auscultat SPIRITUI, superiorem in lucta evadere.

Vers. 18. *Quòd ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub Lege*.

Ratio 3. confirmans superiorem, Quia qui Spiritus ductum sequuntur, non sunt mancipia peccati sub servili fœdere Legis; quibus notitia tantùm datur peccati, non verò victoria, vel vires adversus peccatum,

sed liberti Dei sub fœdere Gratiæ, qui vires à Deo nanciscuntur, ut peccato resistant.

Vers. 19. *Porrò manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, adulterium, scortatio, impuritas, protervia,*

Vers. 20. *Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, contentiones, dissidia, hæreses,*

Vers. 21. *Invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, eos* videlicet, *qui talia agunt, Regni Dei non fore hæredes.*

Ratio 4. Quia si Spiritum non sequantur, sed carnem potiùs, facientes opera carnis, (qualia enumerat septemdecim) tum regni Dei non sunt futuri hæredes.

Vers. 22. *At fructus Spiritus, est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia:*

Vers. 23. *Adversus eos qui sunt ejusmodi, non est Lex.*

Ratio 5. Quia si Spiritum sequantur, & fructus tales ferant (quales enumerat novem) non sunt habituri legem sibi adversam, id est, ipsis maledicentem, & ipsos condemnantem: sed propter ipsorum reconciliationem erga Deum, legem amicam experturi. Idcirco Spiritum sequi oportebat.

Vers. 24 *Qui enim* sunt *Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.*

Probat non habituros legem adversam, Quia qui Christi sunt, & in Christo judicialiter crucifixi, in satisfactionem Legis, etiam judicialiter obligati sunt, ad *Corpus peccati*, id est, corruptam naturam cum ipsius affectibus, & concupiscentiis crucifigendum. Quapropter qui actu studeant, id præstare, & fructus Spiritus ferre, non possunt Legem sibi adversam habere, utpote qui Legis fini & scopo promovendo jam seriò studeant.

Vers. 25. *Si vivimus Spiritu, Spiritu etiam incedamus.*

Ratio 6. Quia habemus per Spiritum consolationem, pacem & gaudium, in quibus vita consistit: Ergo Spiritus ductum sequi debemus.

Vers. 26. *Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.*

Tertium

Tertium Præceptum est speciale, de vitanda ambitione, cum istius vitii affectis, obtrectatione scilicet & invidiâ, quibus malis Ecclesiæ infestari solent. Quia autem obnoxii sunt his vitiis imprimis Ecclesiæ Doctores: idcirco se includit in exhortatione cum reliquis, ut Galatæ exhortationem faciliùs admittant.

Caput Sextum.

Officia Christiana pergit Galatis præscribere, Ceremoniis illis legalibus multò præstantiora, & digniora, in quibus se exerceant. Capitis duæ sunt partes, in prima ad superiora præcepta addit alia duo, ad versum undecimum. In altera, se cum Pseudapostolis comparat, & meritò se illis præfert, ne ipsorum admiratione deciperentur Galatæ.

Vers. 1. *FRatres, etiam si præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales, instaurate hujusmodi hominem cum spiritu mansuetudinis: considerans temetipsum, ne & tu tenteris.*

Præceptum primum de leniter tractandis fratribus, qui ex infirmitate labuntur, ut in Spiritu mansuetudinis instaurentur, ab iis qui confirmatiores Spiritu videntur, speciatim verò Presbyteros alloquitur, quibus ex officio incumbit lapsos in scandalum per censuras Ecclesiasticas, ad resipiscentiam revocare, & luxata Ecclesiæ membra, in locum suum restituere: Hos jubet lenitate uti erga eos, qui ex infirmitate lapsi sunt, nec severiùs eos tractare, quod proculdubiò pertinet ad eos, qui jus animadvertendi in peccatores habent. Rationes præcepti sunt sex. Ratio prima, Quia idem accidere potest ex tentatione, cuivis, etiam spiritualibus.

Vers. 2. *Alii aliorum onera portate, & ita complete Legem CHRISTI*

Ratio 2. Quia cum præsupponendum sit, fratres peccantes de lapsibus illis & peccatis suis tristari, & gravari: idcirco æquum est ut omni

animi moderatione & sympathia dejecti, & jacentes peccatores subleventur, & in onere suo portando adjuventur.

Et ita] Ratio 3. Quia id a nobis exigit lex dilectionis à CHRISTO renovata.

Vers. 3 *Nam siquis sibi videtur aliquid, quum nihil sit, hunc suus ipsius animus fallit*.

Ratio 4. Qui alios ex infirmitate labentes despicit, & sibiipsi videtur robustior, fallit seipsum, & inter infirmissimos ipse est, imò homo nihili est.

Vers. 4. *Opus autem suum probet unusquisque: & tunc in semetipso gloriationem habebit, & non in alio.*

Ratio 5. Per modum præcepti proposita, ad ἀυθαδειαν retundendam faciens, & contemptum fratris labentis evitandum. Quia si unusquisque se probaret, & secundùm regulam legis divinæ examinaret suas actiones, non arriperet sibi quisquam laudem sanctitatis, ex alienis peccatis, sed ex suis rectè factis tantùm, si quæ laude digna inveniret. Dictum hoc in illos, qui nullum finem faciunt exaggerandi peccatum alienum, ut ipsi videantur sanctiores.

Vers. 5. *Nam unusquisque onus suum portabit*.

Ratio 6. Confirmans præcedentem, Quia unusquisque reddet rationem factorum suorum DEO, non collatus cum aliis, sed per se spectatus: Ergo despicere labentes in peccatum & efferri, quia tu non similiter lapsus es, non est tutum.

Vers. 6. *Communicet autem qui instituitur in sermone, ei qui se instituit, omnia bona*.

Secundum præceptum ad populum spectat, de liberalitate erga verbi Ministros exercenda, ut communicemus corporalia bona iis, qui nobis ex officio communicant spiritualia, & huic negotio vacant.

Vers. 7. *Ne fallimini: Deus non irridetur, quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet*.

Rationes Præcepti dat sex, quæ omnes extenduntur ad beneficentiam in genere, & præceptum confirmant de benefaciendo Pastoribus, à fortiori. Ratio prima supponens eos qui ingrati sunt erga Doctores, tenaces etiam esse, & ad omne opus bonum tardos, quia tenacitatis excusa

tis excusationes sunt avarorum deceptiones; quibus ludificari sibi non patietur DEUS.

Quicquid] Ratio 2. Quia secundùm facta feret fructum unusquisque, qui verba tantùm dederit, & qui gratitudinem reipsa præstare recusaverit, dignum ingratitudine recipiet premium, & contra.

Vers 8. *Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam.*

Hoc argumentum explicat in specie: Qui bona seu facultates, & actiones suas ad carnis suæ cupiditates explendas refert, is ex factis reportaturus est interitum: qui verò contra se suaque omnia impendit ad DEI gloriam, & opera Spiritus promovenda, reportaturus est mercedem ex gratiâ, vitam æternam.

Vers. 9 *Torrò ne benefaciendo segnescamus: tempore enim suo metemus, si non elanguerimus.*

Ratio 3. Quia quæcunque dici poterint de beneficentia ab aliquo jam præstita, quasi satis ab ipso jam actum sit, tenendum tamen est, quod non sufficiant benefacta præterita, nisi perseveremus in benefaciendo.

Præstituto] Ratio 4. Priorem illustrans & confirmans. Quia solis perseverantibus in benefaciendo, & non succumbentibus, vel defatigatis in bene agendo, messis præmiorum certò futura est, tempore idoneo.

Vers. 10. *Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.*

Ratio 5. Quia breve tempus est beneficentiæ exercendæ, & ideo occasio observanda, dum vita & facultates suppetunt: nam satis tera est legatio morientium.

Maximè] Ratio 6. Commune naturæ vinculum beneficentiam requirit erga omnes egenos: vinculum fraternitatis majorem beneficentiam requirit erga fideles domesticos fidei; quantò igitur magis requirit vinculum gregis ad Pastores ut vellere & lacte gregis alatur Pastor.

Secunda Pars.

Vers. 11. *Videtis quàm longis literis vobis scripserim mea manu.*

Secunda

Secunda pars capitis, in qua post comparatam suam doctrinam cum errore adversariorum, jam comparat doctores cum doctoribus, id est, se cum seductoribus Galatarum, idque in eorum ædificationem, qui in admiratione habebant personatos istos doctores seductores suos.

Ante comparationem præmittit commendationem suæ dilectionis sinceræ in Galatas, Quod hanc Epistolam tam copiosam, manu propria, sine opera amanuensis alicujus descripserit, in amplissimum testimonium solicitudinis suæ, de ipsorum salute.

Vers. 12. *Quicunque volunt specioſi apparere in carne, ii cogunt vos circuncidi, tantùm ne ob crucem Christi persequutionem patiantur.* Ingreditur comparationem, & probat æmulorum hypocrisin ex 4 indiciis.

Specioſi] Indicium primum, Quod nihil aliud studeant, quam specioſe se gerere coram hominibus.

Tantum] Indicium 2. Quod, non ex dilectione, Galatas cogant circumcisionem admittere, sed tantùm ne persequutionem paterentur ipsi à Judæis pro doctrina crucis, seu justificatione gratuitâ, per passionem CHRISTI, & non ex operibus legis.

Vers. 13. *Nam ne ipsi quidem qui circunciduntur, Legem servant: sed volunt vos circumcidi, ut de vestra carne glorientur.*

Indicium 3. Quod etiamsi ipsi circumcisi jam pridem essent, observationem tamen legis, quam ab aliis requirebant, minimè curent.

Sed volunt] Indicium 4. Quod quærant occasionem in Galatarum circumcisione gloriandi apud Judæos, se multos Proselytos ad legem convertisse.

Vers. 14. *A me verò absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.*

In altera parte comparationis, Apostoli sinceritas demonstratur in his duobus. 1. Quod glorietur tantùm in CHRISTI crucifixi gratuita redemptione, & in passionibus suis pro hac doctrina. 2. Quod pompam mundanam non affectet, sed mundum qui ipsum persequebatur, & contemnebat, propter doctrinam crucis, vicissim contemnat cum omni pompa & gloria mundanâ, & per crucem discat indies magis magisque mundum contemnere.

Vers. 15. *Nam in Christo Iesu, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatio.*

Rationes

Rationes ſtudii ſui reddit 4. Quæ totidem ſunt ſinceritatis indicia: Ratio 1. Scio in CHRISTI regno neque reſpici à DEO circumciſionem, neque præputium, ſed novam tantùm creaturam, hoc eſt, Scio neceſſe eſſe, ubi per fidem jam admiſſus ſit aliquis in CHRISTI regnum, & juſtificatus, ut magis magiſque renovetur, & ſanctificetur, reliqua verò privilegia nullius eſſe pretii abſque vitæ renovatione. Idcirco gloriabor tantùm in cruce CHRISTI, *&c.*

Verſ. 16. *Et quicunque ſecundùm hanc regulam incedent, pax erit ſuper eos & miſericordia, & ſuper Iſraelem Dei.*

Ratio 2. Inſtituti mei regula eſt ſumma totius Scripturæ Canonicæ, ad quam tanquam unicam regulam ſeu Canonem unicum, doctrina & vita omnium ſit conformanda. Idcirco gloriabor in cruce CHRISTI *&c.*

Pax] Ratio 3. Perſuaſum habeo, quod quicunque fidem & vitam ſuam ad hunc Canonem compoſituri ſunt, *Pacem* etiam, id eſt, ſenſum reconciliationis ſuæ erga DEUM, omnimodam benedictionem, ſeu cumulationem bonorum, & *miſericordiam*, ſeu remedium ad averruncanda omnia mala conſequuturi ſint. Idcirco gloriabor tantùm in cruce CHRISTI *&c.*

Iſrael] Ratio 4. Soli ſequentes hunc Canonem ſunt verus Iſrael DEI. Idcirco ego rebus aliis, ſuſque deque habitis, gloriabor tantùm in cruce CHRISTI per, *&c.*

Verſ. 17 *De cætero, nequis mihi moleſtias exhibeto: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.*

Poſt comparationem; ut victor de æmulis triumphat, vetans ne amplius faceſſant ipſi negotium, ſive obloquendo ejus doctrinæ, ſive detrahendo ejus autoritati; eò quod inſignia geſtet ſuæ in CHRISTUM fidelitatis, ſtigmata ſcilicet ſervi CHRISTO addictiſſimi, hoc eſt, habeat omnia ſigna Apoſtoli, & fidelis Martyris apertè in ſe conſpicienda.

Verſ. 18. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti* ſit *cum Spiritu veſtro, fratres. Amen.*

Conſueto ſignaculo Epiſtolam claudit, optans, ut in ipſorum mentibus, cordibus, & tota vita, gratia IESU CHRISTI, patefacta, credita, &

ta, & opere efficax insideat, ut inde consolationem hauriant in vita & morte, cui subjicitur *Amen*, in Testimonium voti & fidei Apostoli, & in Sigillum veritatis præcedentis Doctrinæ.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI *AD* EPHESIOS.

Summarium.

Vrbs Ephesiorum Metropolis fuit Asiæ minoris, in qua Apostolus totum biennium Euangelium prædicavit, Act. 19. *Et cum postremo Hierosolymam ascenderet, Ephesiis imminentem Ecclesiæ mutationem prædixit*, Act. 20. *adversus quam ipsos munit per hanc Epistolam, cum jam Romæ captivus teneretur, deque reditu suo planè desperaret, animosque eorum in fide & veritate confirmare satagit.*

Partes Epistolæ, præter Præfationem & Epilogum, duæ sunt principales: Prima est doctrina Gratiæ, spectans ad confirmationem Fidei, ad caput 4. Altera est doctrina Gratitudinis, tendens ad sanctitatem vitæ, ad finem.

Quod ad primam partem attinet: Primò ostendit totam rationem salutis nostræ gratuitam esse, & in Christo solidè fundatam, Capite primo. *Deinde amplificat gratiam hanc à pristina Ephesiorum miseria,* Capite secundo.

Tertio sublato scandalo Crucis sibi incumbentis, per gloriosam Commendationem Ministerii sui, & expositionem Causæ pro qua patiebatur, hortatur eos ad Constantiam, & Progressum faciendum in Fide, Capite tertio.

In secunda

In secunda parte Præcepta dat de Ecclesia unitate servanda: De Vitæ sanctitate, cum in genere, tum in specie, in vitiis fugiendis, & virtutibus sectandis, quibus vita uniuscujusque, Christianum in modum componatur, Capite quarto, *& priori parte* Capitis quinti.

Est hæc descendit ad Officia œconomica: ad quæ & reliqua omnia officia Christiana præstanda, Fideles armat, posteriori parte Capitis quinti, *& priori parte* Capitis sexti.

Caput Primum.

Capitis Partes post Præfationem duæ sunt, in prima est gratiarum actio, tendens ad demonstrandam totam rationem salutis, & Judæorum, & Gentilium merè gratuitam, & totam in CHRISTO *fundatam esse, ad* vers. 15. *In altera est commemoratio assiduæ gratiarum actionis, cum precatione ab Apostolo Deo oblatæ pro Ephesiis, tendens ad fidei confirmationem, de certitudine salutis ipsorum, & omnium verè fidelium perficiendæ, ad finem.*

Præfatio, duobus primis versibus, in directione Epistolæ, & salutatione Ephesiorum continetur: Est autem ea brevis admodum, quia res ei hic est non cum æmulis vel hostibus, sed cum morigeris, quibus brevis significatio autoritatis divinæ in Epistolæ hujus scriptione, & benevolentiæ Apostoli erga ipsos, & existimationis ipsius de iis sufficiebat.

Vers. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Iesu Christo.*

IN directione Epistolæ descriptio est primùm Scriptoris, à nomine, officio & autoritate. Deinde eorum ad quos scribit, à statu in quo erant apud DEUM, & à loco in quo habitabant in terra. Scriptor est PAULUS Apostolus qui ex voluntate DEI à CHRISTO, de Cœlo loquente, extra ordinem legatus missus est ad Ecclesiam CHRISTO colligendam; satis hic autoritatis. Illi ad quos scribit sunt sancti, fideleſque Ephesii in CHRISTO, qui scilicet per fidem CHRISTO insiti, ad DEO serviendum consecrati erant. Satis hic æstimationis.

Vers. 2. *Gratia* sit *vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

In salutatione continetur Apostolica benedictio, in qua primò optat Ephesiis gratiam, id est, omnia bona cœlestia quæ ad sanctificationem & salutem necessaria sunt. Secundò optat illis specialem fructum hujus gratiæ, *Pacem* scilicet, seu omnia qua ad felicitatem faciunt, imprimis verò animi tranquillitatem ex redemptione CHRISTI ortam; quæ redemptio ipsis per Verbum & Spiritum DEI applicata, de reconciliatione erga DEUM certos, & de liberatione à malo securos, eos redderet. 3. Fontem & canalem gratiæ & pacis optatæ aperit, DEUM nempe *à quo*, & CHRISTUM Mediatorem, *per quem*, & *propter quem*, gratia & pax ad nos derivantur. Satis hic benevolentiæ erga Ephesios. Satis etiam argumentorum ad parandum ipsorum animos, ut doctrinam sequentem admitterent eâ quâ decebat animi submissione & benevolentia.

Vers. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælis in Christo.*

Post præfationem proponitur Gratiarum actio, continens propositionem probandam, in priori hujus Capitis parte, quæ hæc est; DEI gratia in CHRISTO cum benedictionis divinæ, erga nos agnitione celebranda est, in tota ratione salutis fidelium. Nam nostrum benedicere ad DEUM relatum, nihil aliud est quam DEUM omnis benedictionis seu gratiæ erga nos authorem modis omnibus agnoscere.

In hac autem propositione distinguit DEUM Patrem ab IESU CHRISTO Mediatore θεανθρωπῳ ut melius appareant Mediatoris persona & officium: Et DEUM patrem vocat DEUM CHRISTI: 1. Propter gratiam, qua prædestinata est humana CHRISTI natura ad unionem personalem cum λογῳ filio. 2. Propter fœdus redemptionis initum inter DEUM & Mediatorem CHRISTUM. Deinde Patrem vocat IESU CHRISTI, primo propter æternam Filii generationem, qua Pater totam infinitam suam essentiam ei ab æterno communicavit. 2. Propter humanæ naturæ assumptæ personalem unionem, qua filius hominis factus est filius DEI.

Argumenta ad probandam propositionem prædictam principalia sunt tredecim.

Benedixit] Argumentum primum, DEUS & Pater CHRISTI benedixit nobis fidelibus, seu gratuito cumulavit nos omnibus beneficiis spiritualibus & cœlestibus in CHRISTO: Ergo benedicendus est à nobis,

nobis, seu gratia ejus celebranda est à nobis: Ad hunc scopum ut Dei gratia appareat & celebretur, tendunt singula hujus argumenti verba, quæ omnia *gratiam* spirant. Nam primò donator beneficiorùm vocatur Deus, & *Pater* Iesu Christi, & per consequens Deus & Pater nostrûm omnium, qui sumus in Christo; idque ex fœdere inter Patrem & Christum, de nobis inito: & per consequens Pater noster qui *affectu paterno* omnia nobis donat.

Benedixit] 2. Beneficiorum donatio vocatur activè Dei benedictio, id est, actualis seu efficax gratiæ Dei secundùm verbum suum, in opere erga nos demonstratio. *Benedixit nobis*] 3. Et hic gratia est: Nam *Nos* quibus benedixit Deus, naturâ filii iræ sumus, & maledictioni Dei obnoxii, in quibus nihil est, nec esse potest, quod bonum aliquod promereri posset. *Omni benedictione*] 4. Ipsorum beneficiorum natura & ratio involvit *gratiam*; nam *benedictio* passivè sumpta, nihil aliud est quam beneficium ex gratia mera ortum habens.

Benedictione spirituali] 5. Et hic gratia est; Nam beneficia quæ nobis præ aliis donantur sunt spiritualia, ad salutem æternam spiritus, seu animæ spectantia, quæ excedunt omnem commensum proportionis ad opera terrena & temporalia, quæ à nobis in hoc corpore nostro præstari possunt, & idcirco sunt gratuita.

Omni benedictione] 6. Et hoc ad gratiam spectat; Quia *omne* donum spirituale, quod ad salutem animarum spectat, nobis datur: ex quibus donis *nullum* est, quod non ex gratiæ seu benedictionis fonte fluat, & gratis donetur nobis, sine omni nostro merito, seu respectu ad opera nostra, sive sit cognitio Dei, sive agnitio peccati nostri, sive resipiscentia, sive fides, sive fidei effectus aliquis, sive sit opus aliquod bonum, sive intentio boni operis: *omne* illud gratis ab illo datur, qui *omni* spirituali benedictione nobis benedixit. Ergo gratuita omnia sunt.

In Cœlo] 7. Et hic gratiæ radius est, Quia beneficia hæc, quibus nos præ aliis beamur, sunt *cœlestia*, quæ scilicet à Cœlo originem trahunt, in Cœlo conservantur, & in Cœlo complebuntur, nec nostram carnem ullo modo sapiunt, sed nostram conditionem in terra nobis condiunt.

In Christo] Hîc gratiæ oceanus aperitur, Nam omnia hæc beneficia, nostra sunt *in Christo*, qui *Ipse* noster est, & omnia hæc nostra fiunt in *Illo*, ut in radice & fonte, Capite & Parente nostro communi, antequam perveniant ad nos, ut *per Eum* ad nos deriventur: *In*

quo, prout ipsi uniti sumus, possidemus quæ habemus, & *in quo* jus habemus ad ea quæ nondum accepimus, & *per quem* postea quæ supersunt sumus accepturi; *quique* ut omnia nobis acquisivit, sic *in Se*, ea in nostrum usum, & nos, ut iis utamur, fruamur, conservat. Ex quibus singulis & omnibus sequitur omnia spiritualia beneficia esse gratuita, seu meræ gratiæ effecta, & propterea celebrandam esse DEI gratiam à nobis, ut fontem & causam omnium.

Vers. 4. *Sicut elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem.*

Arg. 2. Confirmans prius, DEUS actu in tempore, gratuitò nobis benedicit omnibus spiritualibus benedictionibus in CHRISTO, *quemadmodum* ante tempora *nos elegit* ex gratia in Ipso, ut omnia illa beneficia tandem consequeremur. Ergo à nobis benedicendus est: Omnia etiam hujus argumenti verba argumenta sunt gratuitæ electionis.

Primò enim electio à DEO fuit Nostri ad vitam, præ aliis nostris consortibus in eadem conditione constitutis, quibus præteritis & relictis DEUS nos elegit. Ergo ex gratia electi sumus.

Secundò, Elegit nos *in Christo*, ut *in capite* primò electo, ut in communi electorum parente, radice & fonte? *Post quem* in momento dignitatis & ordinis, & *in quo* nos, ut ejus corpus, membra & progenies, ordine naturæ posteriores eligimur. Gratuita ergo electio nostri est, cujus nulla causa in nobis, sed in solo DEO quærenda est.

Tertiò, *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta*, id est, ab æterno, priusquam mundus fuit; nedum antequam ulla nostra opera extiterunt; elegit nos antequam ulla ratio mundi conditi habita est, nedum antequam ratio ullorum nostrorum operum, seu operationum habita est: nam elegit nos ordine naturæ, antequam mundus futurus decerneretur: Decretum enim de mundo condendo, subservit ut medium producendi in effectum salutem decretam jam Electorum: Ergo ex Gratia elegit nos, & non ex prævisis operibus.

Elegit nos, ut essemus Sancti] Quartò, Non elegit nos quia eramus Sancti, aut quia prævidit futuros Sanctos, sed elegit nos sine sanctitatis ullius in nobis consideratione, imò ut non habentes sanctitatem elegit, in eum finem, ut jam electi, sancti fieremus, & inculpati tandem redderemur in conspectu ejus, id est, ut DEO consecrati, gradatim verè ac sincerè sanctificaremur, & tandem plenè, perfectèque sancti in

ctiin Cœlo sisteremur: imò verò etiam ut inculpati sine macula, sine ruga, sine vestigio, non peccati solùm, sed etiam omnis miseriæ, beati & glorioſi compareremus tandem coram ipso: Ergo electio non est ex fide præviſa aut præviſis operibus, sed ex gratiâ merâ, quæ simul causa est electionis, & simul etiam sanctitatis omnis, & felicitatis quæ sequitur electionem.

In charitate] Dilectio seu charitas merè gratuita est, in qua sicut elegit nos, ut redderemur sancti & inculpati, sic etiam ut in charitate illa sua, perficeret hanc noſtram felicitatem: quam charitatem DEUS tum demum plenè exeret, cum sanctitatem & felicitatem noſtram plenè consummabit. Atque ita charitas DEI, est & electionis causa, & bonorum, quæ electionem sequuntur complementum, & per consequens electio non tantùm est ex gratia, sed etiam ad poſſeſſionem perfectam gratuitæ felicitatis, in conſpectu DEI.

Vers. 5. *Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, ex benevolo affectu voluntatis ſuæ:*

Arg. 3. Sic ex gratia in tempore nobis benedixit DEUS, sicut ex gratia prædeſtinavit nos ad hæreditatem filiorum obtinendam per CHRISTUM in seſe, juxta beneplacitum voluntatis suæ: Ergo gratia ipsius à nobis celebranda est. Hujus rationis partes idem probant quod tota.

Prædeſtinavit nos] 1. Sicut fuit gratuita electio noſtri ante tempora, sic etiam & prædeſtinatio fuit noſtri ante secula ad vitam æternam, & ad omnia idonea media quæ ad eum finem nos ducerent efficaciter: Ergo prædeſtinatio Gratuita est, utpote quæ non tantùm finem & perſonas definivit, sed & media statuit, per quæ ad finem perveniremus.

Quos adoptaret in filios] 2. Etiam hîc DEI gratiam oſtendit Apoſtolus. Prædeſtinamur non quia jam filii præviſi sumus, sed ut non filii, ex gratia adoptionem filiorum consequeremur. Adoptio autem filiorum hæc quatuor includit: 1. Vocationem efficacem seu fidem ad amplectendam oblatam communionem cum CHRISTO filio unigenito: 2. Indolem & ingenium filiorum, seu renovationem naturæ ad DEUM diligendum ut patrem: 3. Dignitatem seu honorem filiorum: 4 Divitias seu hæreditatem filiorum, usque ad glorificationem corporum, ROM. 8 23. Ergo & prædeſtinatio & adoptio noſtri est gratuita, & non ex aliquo opere noſtro.

Per

Per Christum] 3. Et hoc ad gratiam illustrandam facit, Prædestinamur ad obtinendam adoptionem filiorum *per Iesum Christum*, qui filius est primogenitus, & unigenitus, ut per ejus meritum & efficaciam omnes prædictos gradus adoptionis consequeremur: Ergo prædestinamur ex mera gratia.

In sese seu ad sese] 4. Ut appareat gratia, finem adoptionis ostendit. Prædestinavit nos DEUS, ut filiorum adoptionem consequeremur per CHRISTUM, *ad sese*, seu *in usum suum*, scilicet, ad honorem sui prædestinantis, seu CHRISTI per quem nobis communicat gratiam, & gloriam illam filiorum DEI: Ergo prædestinatio est gratuita, alioqui enim non rediret honor ad DEUM, vel CHRISTUM, ex adoptione nostri.

Pro benevolo affectu voluntatis suæ] 5. Hîc causas omnes excludit extra DEUM, & gratiam DEI solam facit causam. Nam prædestinavit nos juxta beneplacitum voluntatis suæ. Sola igitur DEI gratia, sola voluntas, solum beneplacitum DEI causa est prædestinationis nostri, nullum vero opus nostrum.

Vers. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto:*

Arg. 4. DEUS eo ipso fine ut laudem gratiæ suæ gloriosæ consequeretur, elegit & prædestinavit nos in adoptionem filiorum. Necessario sequitur ergo DEUM ex gratia elegisse, & prædestinasse nos: alioqui, finem illum assequi non potuisset; & per consequens celebranda est nobis DEI gratia, & benedicendum DEO, qui benedixit nobis.

Gloriosæ] Emphasin etiam habent hujus rationis verba, siquidem 1. Gratia hæc gloriam habet in se, id est, gloriosa est omni modo, & dignissima in se, quam maximi æstimaremus, quam agnoscere mus, & prædicaremus, quia DEUS optimus maximus nos pessimos & indignissimos, dignatus est ad dignitatem filiorum, & divitias hæreditatis filialis evehere. *Ad laudem*] Deinde DEUS laudem hujus gratiæ gloriosæ, & intendit & expectat à nobis, ut beneficium agnoscamus verbis & factis, & ut quibuscumque poterimus modis, hanc admirandam DEI gratiam celebremus.

In qua] Arg. 5. Hac ipsa gratia qua Deus nos elegit & prædestinavit ad sanctitatem & felicitatem ante tempora, hac ipsâ (inquam) gratiâ gratos nos acceptosque reddidit sibi, in filio suo dilecto. Ergo nobis celebranda est hæc DEI gratia. In qua ratione insinuat quatuor: 1.

Deum

DEUM ex gratiâ salutem intendisse nostram in electione & prædestinatione, actu vero & opere gratiam exerere cepisse in efficaci vocatione nostri ad fidem. 2. CHRISTUM non solùm ut filium, sed ut Mediatorem spondentem pro nobis, & persolventem pro nobis pretium Redemptionis nostræ, dilectum esse & gratum DEO, in quo Patri plenè nostro nomine complacitum est. 3. In illo, & per illum, removeri peccatum, quod posset gratiæ cursum erga nos inhibere: 4. Denique insinuat, per CHRISTUM, & in CHRISTO, dissolutâ peccatorum nube, gratiam DEI resplendere erga nos, nosque complecti & fovere, ut reconciliatos, ut gratos jam acceptosque in CHRISTO, qui ut sponsor, & communis noster parens, in se nos omnes comprehendit.

Vers. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem*, inquam, *peccatorum ex divite ipsius gratia*:

Arg. 6. In CHRISTO ex divite DEI gratia, Redemptionem & remissionem peccatorum consequimur. Ergo celebranda nobis sola DEI gratia in salute nostra. In hunc scopum tendunt omnes hujus rationis partes.

Redemptionem] Primò, Fuimus nos in nobis perditi, & captivi detenti in cæcitatis, peccati, iræ & mortis vinculis, unde nosmet ipsos liberare nullo modo poteramus: unde nullus exitus dabatur, nisi gratia, & eam aperuisset, & nos eduxisset: Ergo ex gratia salus nostra.

In quo] 2. CHRISTUS solus sine ullo nostro merito aut adjumento nos redemit, redemptionis pretio pacto, & persoluto à se solo; ne laudis quicquam decederet DEI gratiæ.

Per Sanguinem] 3. Non redempti sumus argento vel auro, sed sanguine CHRISTI filii DEI, ut ipsum pretium ostenderet discrimen in quo versabamur, & DEI gratiam commendaret.

Remissio] 4. Per CHRISTI sanguinem impetrata est in specie remissio peccatorum nostrorum, in quibus jacebamus polluti, quibus solis divites eramus in DEI conspectu, & omni opere bono destituti, ut gratia DEI in nostris peccatis, & indignitate magis splenderet.

In Quo] 5. Hanc redemptionem, & peccatorum remissionem, jam fideles facti, habemus non in nobis seorsim à CHRISTO, sed in CHRISTO ut Sponsore, Redemptore & Capite nostro, ipsi per fidem insiti & uniti. *Ex divite*] 6. Sola causa & mensura tanti beneficii est *dives Dei gratia*, juxta cujus opulentiam CHRISTUS, & redemptio

demptio in CHRISTO, nobis donantur: Ergo celebranda meritò solæ DEI gratia, ut salutis nostræ causa.

Vers. 8. *Qua redundavit in nos omni sapientia & intelligentia.*

Arg. 7. Ex abundanti hac gratia tanquam fonte, CHRISTUS seu Pater in CHRISTO, in efficaci vocatione nostri in summa sua sapientia communicavit nobis perfectam sapientiam & prudentiam, *i.* dedit nobis fidem salvificam, in cujus objecto omnis sapientiæ, & intelligentiæ summa & perfectio consistit; nam licet fides salvifica in se imperfecta sit, per eam tamen CHRISTUM, thesaurum omnis sapientiæ & prudentiæ salutiferæ, agnitum applicamus nobis in panaceam, seu remedium omnium malorum, quod sapientiæ & prudentiæ compendium est: In hoc argumento singula idem probant. *In Nos*] Primo, *Nos* in nobis una cum reliquo mundo, insipientes, imprudentes & stulti errabamus, in cæcitate & vanitate mentis nostræ. Ex gratia igitur est quod nos donati simus sapientiâ. *Ille exundavit*] 2. CHRISTUS author fidei nostræ prior supervenit, & donavit nos fide quæ consistit in cognitione & applicatione salutaris DEI veritatis, quæ est vera sapientia & prudentia. Ex gratia igitur. *Qua* scilicet gratia] 3. Aperte asseritur gratia, Ex gratia effudit in nos hanc sapientiam & prudentiam. *Exundavit*] 4. Ipse plenus gratiæ, talem se ostendebat in hoc actu, ut qui gratiam ampliùs intra se quasi non posset continere, superabundans redundavit in nos. Ergo in efficaci vocatione, & fidei donatione obtinet sola gratia, quæ idcirco meritò celebranda est.

Vers. 9. *Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundùm gratuitam suam benevolentiam, quam proposuerat in sese.*

Arg. 8. Patefactio arcanæ voluntatis DEI de ratione salutis consequendæ per CHRISTUM, ad fidem seu cognitionem & prudentiam suis communicandam, est ex DEI mera voluntate, secundùm beneplacitum ipsius, quod in se proposuerat: Ergo & patefactæ voluntatis DEI, & donatæ fidei etiam nomine, DEI gratia meritò celebranda est. Horsum tendunt omnes partes hujus argumenti. *Mysterium*] Primo, Voluntas DEI de ratione salutis per CHRISTUM perficiendæ, mysterium erat secretum ab æterno in pectore DEI, obsignatum, & quod in apertam lucem producere, neque hominum, neque angelorum ullus unquam potuisset, nisi Deus illud revelasset ex gratia.

Notum

Notum fecit] 2. Mysterium hoc curavit Deus, non tantùm ut prædicaretur, sed & ablatâ cæcitate mentium & cordium nostrorum, ex gratia effecit ut à nobis intelligeretur. *Nobis*] 3. *Nobis* præ aliis manifestavit Gratiæ Euangelium.

Gratuitam] 4. Gratis hoc præstitit Deus, non inductus, non excitatus ab aliqua causa extra se, sed secundùm beneplacitum suum, seu gratuitam prædestinationem, & æternum suum propositum in se. Meritò ergo celebranda nobis est Dei gratia.

Vers. 10. Nempe *ut in pleni temporis dispensatione recolligeret omnia in Christo, tum quæ in Cœlis sunt, tum quæ in terra*:

Arg. 9. Ex Dei mera voluntate & arbitrio pendet, tempus plenum & opportunum præfigere, quo mysterium voluntatis ipsius in hominum notitiam veniat, quid, quantum, & quando, unicuique ætati, vel homini singulari de hoc mysterio dispensandum sit. Ergo etiam in tempore præfigendo quo fides danda sit, obtinet Dei voluntas, eoque nomine celebranda est gratia Dei.

Hoc ipsum insinuant singula quæ hoc Argumento continentur.

Dispensatione] Primo gratia agnoscenda est, quia hic œconomia seu libera Patrisfamilias de rebus suis domesticis dispensatio est, quâ unusquisque sicut vult de suo statuit: quæ libertas sicut unicuique Patri familias jure concedenda est, Sic etiam & Deo, ut pro libitu suo agat.

In plena] Secundò, est temporis matura opportunitas, in quâ singulis ætatibus & hominibus, quid & quantum idoneum sit revelare de Dei arcanâ voluntate, penes Deum solùm est statuere, & propterea quodcunque & quantumcunque nobis revelatum est, ex gratia est. Nam beneplacitum Dei quod in seipso proposuerat, de quo *vers.* 9. ad hanc de tempore dispensationem pertingit: Meritò ergo hîc etiam ejus gratia agnoscenda est.

Recolligeret] Arg. 10. Recollectio, & Demonstratio recollectionis omnium Electorum, seu Redemptorum, palantium alioqui, & à Deo separatorum, in unum caput Christum, summa est & finis revelati mysterii. Gratia ergo Dei qua nos cum aliis recolligimur, à nobis celebranda est Verùm quidem est per peccatum Angelorum & Hominum, totum mundum, tanquam lacerum & exanime corpus, cujus membra à se invicem divulsa & dissipata sunt, perditioni proximum factum fuisse, nisi Christus electos Angelos confirmasset, & ruentem mundum sti-

tisset; sed hic potissimùm respicit Apostolus restaurationem electorum hominum, quâ CHRISTUS homines ad se recollectos DEO reconciliavit, & in unum quasi regnum Angelos electos, & spiritus Justorum in Cœlo, Judæos & Gentes in terra, arctissimâ inter se unione, colligavit.

Vers. 11. *In ipso*, inquam, *in quo etiam in sortem asciti sumus, quum essemus prædestinati secundùm propositum ejus qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.*

Arg. 11. Cum applicatione ad Judæos: In CHRISTO vitæ æternæ hæreditas datur nobis Judæis electis, non ex operibus, aut arbitrii nostri viribus acquisita, sed sorte, seu dispensatione divinâ, donata nobis prædestinatis, secundùm propositum DEI, qui operatur omnia secundùm voluntatis suæ consilium. Ergo gratia DEI à nobis Judæis, & ab omnibus celebranda est. Ad gratiam ostendendam omnia hic faciunt.

Sorte asciti sumus in hæreditatis possessionem] Primò, Vita æterna seu glorificatio est hæreditas, quam nos ipsi non aquisivimus, sed quam *sorte* seu dispensatione divina nacti sumus. 2. Illam hæreditatem non valemus per nos, ne quidem accipere oblatam; vel nobis jam designatam hæreditatem ipsi adire non possumus; sed *sorte facti sumus* hæreditatis possessores; nam ἐκληρώθημεν passivum est: quid igitur hic nostrum est, & non ex gratia?

Prædestinati] 3. Prædestinati fuimus à DEO, ut vocaremur ad possessionem illius hæreditatis: non adhibuit nos DEUS in consilium suum, cum de nostra felicitate statuit.

Operatur] 4. DEUS qui prædestinavit nos ad hanc felicitatem, *operatur omnia*, non felicitatem ipsam tantùm præparando, nec solùm nos ad eam adeundam formando, sed etiam omnia media efficaciter, quæ ad nostri introductionem in possessionem faciunt, adhibendo.

Ex consilio] 5. Neque egreditur DEUS extra se, ad quærendum causas propositi, seu operationis suæ, sed omnia operatur ex consilio, seu ex libera sapientissimaque sua voluntate. Ergo glorificatio vel salus nostra est ex gratia, & non ex operibus, nec ex liberi nostri arbitrii electione; nam quod arbitrium nostrum feratur ad eligendum bonum & vitam, & quod nos operemur ulla bona opera, ex mero est libero beneplacito DEI, qui operatur omnia bona ex consilio voluntatis suæ: Merito ergo celebranda est ejus gratia.

Vers. 12

Vers. 12. *Ut nos simus laudi gloriæ ipsius, qui priores speravimus in Christo:*

Arg. 12. A fine ultimo vocationis Judæorum prædestinatorum in possessionem hæreditatis. Sicut DEUS nobis electis Judæis hanc præstitit gratiam, ut priores, seu prius quam Gentes crederemus in CHRISTUM venturum, & priores etiam crederemus in præsentem, seu exhibitum CHRISTUM, sic etiam secundùm prærogativam datam ex gratia Genti nostræ, priores nos ascivit in jus hæreditatis cœlestis, in eum ipsum finem, ut gloriam gratiæ suæ in nobis, & à nobis consequeretur. Ergo meritò DEUS benedictus agnoscendus est, ejusque gratia celebranda à nobis Judæis, & aliis omnibus.

Vers. 13. *In quo* sperastis *& vos audito sermone veritatis*, id est *Evangelio salutis vestræ: in quo etiam postea quam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto:*

Arg. 13. Cum applicatione ad Gentiles, nominatim ad Ephesios. Vos etiam Gentiles, non ita pridem alieni à republica Israelis, jam vocati & asciti estis in jus ad hanc ipsam hæreditatem, in hunc ipsum finem, scilicet in laudem glorioſæ gratiæ DEI. Ergo vobis Gentibus, & omnibus nobis agnoscenda & prædicanda est DEI gratia. Probat autem Ephesios consortes hæreditatis factos esse cum Judæis, sex rationibus.

Speraſtis] Ratio prima, Credidistis in CHRISTUM. Ergo consortes hæreditatis facti estis.

Audito] Ratio 2. Misit DEUS verbum Veritatis suæ, seu Euangelium salutiferum ad vos, ut audientes crederetis, & salutem consequeremini: Ergo non ut olim, tanquam Proseliti, sed pari honore, cum Judæis ornati, consortes hæreditatis facti estis.

Obsignati] Ratio 3. Ex arrha salutis data ipsis, & ejus, usu primo. Postquam credidistis, obsignati estis in *peculium Deo*, per SPIRITUS sancti donationem: Ergo consortes hæreditatis facti estis.

Promissiones] Ratio 4. Ab obsignationis usu secundo, Promissiones de hæreditate obsignatæ sunt vobis à SPIRITU promisso, qui promissiones confirmat credentibus. Ergo in sortem asciti estis.

Vers. 14. *Qui est arrabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipsius.*

Ratio 5. Ab obsignationis seu arrhæ salutis datæ usu tertio. Spiritus sancti donatio est arrabo hæreditatis, pignus scilicet & pars felicitatis vestræ tandem consum nandæ. Ergo, &c.

Ad obtinendum] Ratio 6. A quarto usu obsignationis: Ad consolationem vestram SPIRITUS est mansurus vobiscum, & non discessurus priusquam redemptio facta plenè sit perfecta & completa, in plena liberatione animarum & corporum vestrorum ab omnibus peccati & miseriæ vinculis: Ergo in sortem hæreditatis asciti estis.

Ad laudem] Denique finem indicat omnium horum beneficiorum esse laudem gloriosæ gratiæ DEI, ut in his & præcedentibus omnibus benedictus agnoscatur DEUS, & celebretur ejus gratia, nempe in nostri Electione, Prædestinatione, Redemptione, Vocatione, Fidei donatione, Peccatorum remissione, Adoptione, Recollectione ad CHRISTUM, & societatem populi ipsius, Assumptione ad sortem hæreditatis adeundæ, & Obsignatione per SPIRITUM sanctum.

Vers. 15. *Propterea etiam ego, quum audivissem eam quæ in vobis est fidem in Domino Iesu, & charitatem in omnes sanctos.*

Transit ad secundam partem Capitis, in qua fidem Ephesiorum confirmare nititur, Propositio confirmanda hoc vel simili axiomate in hunc sensum concipi potest; Vos Ephesii in fide Euangelii corroborari debetis. Argumenta ad propositionem confirmandam sunt quindecim.

Fide in] Argumentum primum, Vestra fides in IESUM CHRISTUM non est mortua illa & hypocritica, sed viva & efficaciter operans per charitatem, erga omnes sanctos, & palam manifestata mihi Apostolo & aliis: Ergo vos Ephesii debetis in fide corroborari.

Vers. 16. *Non desino gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis:*

Arg. 2. Digni comperti estis, pro quibus jugiter DEO gratiæ ab omnibus agantur, sicut à me fit: Ergo in fide Euangelii corroborari debetis.

Mentionem] Arg. 3. Propter vestræ fidei manifestatam sinceritatem in dilectione Sanctorum, constanter in memoria vos retineo, & mentionem vestri in precibus meis jugiter facio, orans, ut consummetur in vobis DEI opus, & confirmetur vestra fides: Ergo nisi instinctum SPIRITUS, in me precante, frustra esse putetis: Corroborari in Fide debetis.

Vers. 17

Vers. 17. *Ut Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater illæ gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionem ipsius:*

Proponit precationis suæ pro iis summam, in qua reliqua continentur Argumenta confirmationis Fidei ipsorum.

Det vobis] Precando ut Deus det illis Spiritum sapientiæ & revelationis, insinuat eos causas confirmationis Fidei suæ plures & graviores habere (in Scriptura scilicet, quæ fons est sapientiæ, & summa revelationis salvificæ,) quam adhuc intelligant, quod Argumentum quantum est. Habetis vestræ corroborationis in fide Argumenta tot & talia in Scriptura, ut nihil potius vobis optarim ad Fidei confirmationem, quam largiorem mensuram operationis Spiritus Dei, ut ampliori sapientiâ vobis datâ, & mysteriis Verbi clariùs recluſis, agnoscatis Christi & Dei erga vos animum: Ergo debetis vel ex hoc meo testimonio & voto, in Fide confirmari.

Deus Domini] Arg. 5. A descriptione Dei, à quo petitur hoc donum. *Deus* qui Spiritum Fidei, seu Sapientiæ largitur Sanctis, est Deus & Pater glorioſus Domini nostri, & nostrum omnium Christi servorum, qui & ex pacto, ut *Deus noster*, & ex Paterno affectu, ut *Pater noster*, velit dare Spiritum Fidei vobis, comprecantibus nobis. Ergo vel ex relationibus quæ inter Deum, & Christum, & vos intercedunt Corroborari in fide debetis.

Vers. 18. *Illuminatis oculis mentis vestræ: ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in Sanctis:*

Arg. 6. Non possum fando explicare, quæ quantaque bona sint, quæ Deus vos ad Christum vocando sperare jussit, vel quam glorioſæ sint opes hæreditatis, quæ vobis præparatur in Cœli Sanctuario, tantùm precor, ut illuminentur oculi vestri ad illa cognoscendum: Corroborari igitur in fide debetis.

Vers. 19. *Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius.*

Arg. 7. Ineffabilis est illa Dei potentia, quam in vobis convertendis, & hactenus in fide sustinendis actu exeruit, & quam quasi oppigneravit se porro exeruturum, ut pro infinita efficacia roboris sui, credentes

dentes ad salutem promoveantur, tantùm precor ut illuminatis oculis eam sciatis. Ergo corroborari in fide debetis.

Hoc argumentum confirmat triplici comparatione. Prima est potentiæ DEI cum omni adversaria potestate, & cum Ephesiorum imbecillitate, quo respectu dicit *superexcellentem* esse magnitudinem potentiæ, actu jam in illis demonstratæ, ut intelligerent, nullam esse potentiam in Satana, mundo, peccato, morte, vel ullo impedimento extra ipsos, quod non superet, & superatura sit in immensum, magnitudo potentiæ DEI: nec ea in ipsis imbecillitas, quam hæc potentia non sit sublevatura. Secunda comparatio est potentis operis DEI in conversione ipsorum cum operis fonte, id est, DEI omnipotentiâ, quo respectu mentionem facit *efficaciæ roboris fortitudinis ejus*, ut intelligerent opus DEI in ipsis convertendis, fide & sanctitate imbuendis, omnipotentiæ congruentem esse, & DEO omnipotente dignam expressionem efficaciæ illius, quæ procedit ab actuali & exerto robore omnipotentis DEI, opus scilicet planè dignum DEO.

Tertia comparatio est potentiæ DEI jam actu demonstratæ in ipsorum conversione, cum potentia illa quam demonstravit DEUS in suscitando CHRISTO à mortuis: Primò, ut intelligerent non minoris esse potentiæ hominem convertere, regenerare, & fide, reliquisque gratiis salvificis ornare, quam mortuum & sepultum à mortuis resuscitare, deinde ut intelligerent eandem numero potentiam exerceri in nostri conversione, quæ se exerebat in CHRISTI suscitatione: Denique ut intelligerent, non minus facilè DEUM effecturum reliqua, quæ ad salutem perficiendam restabant, quam supra dicta præstitit.

℣ Vers. 20. *Quam exeruit in Christo, quum excitavit eum ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in Cælis,*

Arg. 8. A suscitatione Capitis nostri CHRISTI. DEUS Caput nostrum CHRISTUM nomine nostro interfectum, nostro nomine, & bono suscitavit à mortuis, ad vitam immortalem. Vos ergo ejus membra etiam in mediis afflictionibus, adeoque morte ipsa, in fide liberationis vestræ corroborari debetis.

Collocavit] Arg. 9. A CHRISTI ascensione, & sessione ad dextram Patris. CHRISTUS Redemptor noster ascendit in Cœlum, & regnat cum Patre, consors imperii summi, ut redemptos in societatem felicitatis, & loci in quo est, consortes faciat. Ergo in fide & spe futuræ glorificationis

glorificationis vestræ in cœlis corroborari debetis, nisi frustra esse CHRISTI regnum putetis.

Vers. 21. *Longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & Dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, verumetiam in futuro:*

Arg. 10. Confirmans superius, CHRISTUS etiam in sua carne exaltatus est longè supra omnes sive homines sive Angelos, ita ut nihil sit tam sublime, vel potens, vel illustre, sive in terra, seu seculo præsenti: sive in Cœlo, seu seculo futuro, quo CHRISTUS non sit in immensum sublimior etiam qua homo, adeo ut nihil ei deesse possit ad perficiendam nostram felicitatem, neque illi quicquam resistere possit, quin eam perficiat: Ergo in fide Euangelii corroborari debetis.

Vers. 22. *Et omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ:*

Arg. 11. Hostes omnes nostri, DIABOLUS, impii in mundo, persequutores, hæretici & impostores, peccati in nobis potestas, carceres; exilium, & mortis omne genus, subjiciuntur CHRISTI pedibus, ut de iis omnibus statuat in bonum nostrum, subjiciatque hæc omnia pedibus nostris: Ergo in fide corroborari debetis.

Caput] Arg. 12. CHRISTUS constitutus est caput super omnia ipsi Ecclesiæ, id est, plenam rerum omnium potestatem & administrationem illi commisit Pater, ut ipse solus esset Ecclesiæ, catholicæ caput conjunctissimum: ad ipsius Ecclesiæ omniumque ejus membrorum illuminationem, vivificationem, excitationem ad omnia spiritualia officia, & vitæ spiritualis in illis conservationem, per SPIRITUS sui immediatam in tota Ecclesia, & singulis ejus membris præsentiam & operationem: Ergo nisi de Capitis vestri sapientia, potentia, & fidelitate in officio dubitare vultis, in fide corroborari debetis.

Vers. 23. *Quæ est corpus ipsius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus.*

Arg. 13. Ecclesia est corpus CHRISTI mysticum, & singuli fideles, membra ipsius. Ergo dubitandum non est quin vestræ saluti perficiendæ prospecturus, & incubiturus sit, nisi fideles membra ejus esse negetis.

Complementum] Arg. 14. Ecclesia est complementum CHRISTI, quatenus

tenus CHRISTUS est caput mysticum, ita ut perfici se & impleri non existimet, donec omnes & singuli electi in unum congregentur plenè ipsi uniantur, plenum incrementum, singulis membris conveniens & destinatum, nanciscantur, & tandem plena cum ipso felicitate fruantur: Ergo tam certi esse poteritis de salute vestra perficienda, quam quod CHRISTUS non passurus sit se incompletum, imperfectum aut mutilum permanere.

Implet] Arg. 15. CHRISTUS implet omnia in omnibus, id est, secundùm uniuscujusque creaturæ mensuram, ut DEUS naturæ operatur omnia, & ut caput Ecclesiæ perficit omnia, quæ pertinent ad vitam spiritualem, ad sanctificationem & salutem fidelium, omnia membra gradatim implens: Ergo non dubitandum est, quin inchoatum opus fidei, sanctificationis, & salutis, in vobis impleturus sit. Adjectum autem est hoc, quod *impleat omnia in omnibus*, per correctionem seu expositionem superioris dicti, de *Complemento Christi* per Ecclesiam, ne putemus Perfectionem CHRISTI, vel nostri, pendere ab alio quam ab ipso, qui sibi hanc necessitatem communicandi se nobis indignis homuncionibus ex libera sua dilectione fecit; qui hoc nostri desiderium in seipso excitavit; qui suo desiderio satisfaciendi potestatem ipse habet, & desiderium suum de nobis sanctificandis, & salute plenâ donandis gradatim implet, & implere perget, donec compleverit omnia ad salutem complendam necessaria: idque in omnibus fidelibus maximis, minimisque. Ei sit gloria Gratiæ, Potentiæ & Constantiæ suæ, in secula seculorum. AMEN.

Caput Secundum.

Dem argumentum prosequitur, probans nunc in hypothesi fideles Ephesios, nunc in thesi, omnes fideles ex gratia servari. Propositio confirmanda est: Gratia servati estis, O Ephesii, vel ex gratia servantur fideles. Argumenta sunt quindecim, in quorum ultimo insistit, ad finem Capitis.

Vers. 1. ET *vos* unà vivificavit, *quum essetis mortui in offensis & peccatis vestris*;

Arg. 1.

Argumentum primum, Si in communi statu naturæ consideremini, O Ephesii, comperietur ea vestra fuisse conditio, ut inde non nisi gratia liberari potuissetis. Hujus argumenti septem sant partes, quarum singulæ pristinam miseriam ostendunt, & solam gratiam salutis esse causam probant.

Mortui] 1. In statu naturæ non tantùm jacebatis in peccato inquinati, sed etiam mortui: & non tantùm mortui judicialiter, quia rei mortis, seu morti obnoxii, sed etiam reipsa in effectu spiritualiter mortui; ita ut non magis potuissetis vos inde liberare, vel quicquam boni spiritualis facere, quam mortui seipsos resuscitare, vel actiones viventium agere possunt: Ex gratia ergo servati estis.

Vers. 2. *In quibus olim versati estis, ut est vita mundi hujus, secundum principem cui potestas est aeris, & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus.*

Secundò, Quod ad vitam hanc naturalem attinet, eam totam transigebatis in peccatis, toti occupati & ambulantes in illis, seu proficientes in pejus: Ex gratia igitur servati estis.

Mundi] Tertiò, Mundanorum & carnalium hominum, qui vitam hanc naturalem tantùm sapiunt, mores & consuetudinem, tanquam vitæ regulam sectati estis, & secundùm eam ambulastis: Ex gratia ergo servati estis.

Principem] Quarto, Sequuti estis ducem viæ, Diabolum principem impurorum Spirituum, qui cum suis satellitibus, seu reliquis malis Angelis, in aere circumvolans, regnat, & efficaciter imperium exercet.

Agentis] Quinto, In vobis ante conversionem regnabat Diabolus, & voluntatem suam in vobis exequebatur, ut nunc in contumacibus exequitur: Ergo ex gratia servati estis.

Vers. 3. *Inter quos & nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramusque naturâ filii iræ, ut etiam reliqui.*

Sextò, Exequuti estis cupiditates carnis vestræ, & in illis volutati estis, quicquid vana mens dictabat, quicquid corrupti appetitus, & affectus carnis præscribebant, peragentes: His se annumerat Apostolus ante conversionem suam, ut sciremus argumentum hoc in hypothesi propositum, ad probandam thesin generalem facere.

Filii] Septimò, Naturâ eratis filii iræ, id est, rei mortis & iræ divinæ obnoxii, quam iram merito effundere in nos poterat DEUS ad extremam perditionem. His adjungit reliquos omnes homines, quatenus in statu naturæ spectantur. Gratiæ ergo debemus quod servati simus.

Vers. 4. *Sed Deus qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam qua dilexit nos.*

Arg. 2. DEUS ex divite sua misericordia & dilectione à miserrima hac conditione liberavit nos fideles omnes: Ergo ex gratia servati sumus. Hujus argumenti partes idem probant.

Deus] Primò, Ponitur liberationis autor DEUS solus, qui tanto operi solus par est. *Dives*] Secundò, Ut gratia appareat, Causa salutis nostræ datur, copiosa, seu dives misericordia DEI, quâ DEUS quasi sensu miseriæ nostræ tactus nos liberavit. *Propter*] Tertiò, Dilectio, quâ DEUS nos ab æterno dilexit, ponitur ut causa & misericordiæ, & salutis. *Nos*] Quartò, Ex gratia est quod DEUS voluerit nos *præ aliis* complecti, & eligere in filios: Ergo ex gratia servati sumus.

Vers. 5. *Etiam quum per offensas mortui essemus, una vivificavit nos per Christum*, cujus *gratia estis servati.*

Arg. 3. In momento redemptionis nostræ per CHRISTUM, & regenerationis per CHRISTI Spiritum, nos ut mortui in peccatis vivificamur unâ *cum Christo*, id est, in CHRISTO, & per CHRISTUM. Ergo ex gratia servati sumus; Nam ex gratia est, quod in pacto redemptionis inter DEUM & Mediatorem inito, nos ut mortui in peccatis, traditi simus Filio *Redemptori designato*, ut per eum ad vitam restitueremur. Ex gratia est, quod in pacti pretii redemptionis persolutione, *vita in Christo* à mortuis vivificato, danda nobis, *adjudicata sit.* Ex gratia est quod in redemptionis applicatione, in momento regenerationis, *vita in, & à Christo* actu nobis *communicata sit*, ut cum aliis Sanctis CHRISTO insiti, communi cum illis vita spirituali frueremur, & adolesceremus in illo; quibus rationibus vita nostra à vita CHRISTI semper dependet, & cum ea nexu indissolubili copulatur.

Vers. 6. *Unàque excitavit, unáque collocavit in cœlis in Christo Iesu.*

Arg. 4. DEUS in suscitato CHRISTO unâ suscitavit nos, & in collocato CHRISTO in Cœlis unâ collocavit nos. Ergo ex gratia nos servavit

servavit. Nam sicut nostrum censetur In DEI judicio, quicquid CHRISTUS nostro nomine & loco vel fecit, vel passus est, sic etiam nostrum censetur quicquid CHRISTUS accepit nostro loco & nomine. Ergo in resurrectione CHRISTI, redempti unâ resurrexerunt judicialiter, seu modo judiciali, ex fœdere redemptionis; In CHRISTI ascensione in Cœlum, redempti judicialiter una ascenderunt; In CHRISTI sessione, seu glorioſa possessione vitæ æternæ, redempti judiciali modo unà collocantur & sedent. Hoc jus redemptis à CHRISTO impetratum est, ante fidem actu datam: In conversione verò, per fidem, olim impetratum jus actu speciali nobis applicatur, ut sicut ascendenti CHRISTO licuit dicere ex fœdere inter DEUM & Mediatorem inito, seu *ex fœdere redemptionis*, Ego ascendo nomine Redemptorum, quibus hoc jus impetravi, ut in me ascendere censeantur: sic confugientibus ad CHRISTUM & credentibus in eum singulis licet dicere, jam mihi jus factum est, *Ex fœdere salutis inter Deum & Ecclesiam per Mediatorem inito*, ut resurrectionem CHRISTI meam jure censeam, ascensionem CHRISTI meam jure censeam, & sic in cæteris. Quanta hîc gratia est?

Vers. 7. *Ut ostenderet seculis succedentibus summas opes suæ gratiæ*, sua *erga nos benignitate in Christo Iesu.*

Arg. 5. Finis propter quem nos perditi peccatores ex Judæis & Gentibus donati sumus salute in CHRISTO, etiam post tam flagitiosam anteactam vitam, est, ut qui posterioribus seculis victuri sunt, videant & agnoscant gratiam DEI superabundantem; & ut in exemplo nostro, discant accedere ad DEUM, fontem salutis in CHRISTO, ut similiter gratiam, *etiam indignissimi* consequantur. Ergo ex sola gratia servati sumus.

Vers. 8. *Gratia enim estis servati per fidem: idque non ex vobis: Dei donum est.*

Propositionem probandam in terminis profert, & addit Arg. 6. Per fidem servamur, Ergo per gratiam. Fides enim renunciat meritis nostris, & recumbit in gratuitam promissionem DEI: & quod DEUS constituerit instrumentum salutis *fidem*, (cujus natura requirit ut nostris operibus, & viribus; nostræ sapientiæ & dignitati renunciantes, exeamus è nobis, ut salutem quæramus in DEO) etiam illud ex gratia est.

Et hoc] Arg. 7. Neque ex nobis *servamur*, neque ex nobis seu nostris viribus naturalibus *est fides*, sed sicut salus, sic etiam fides, est donum DEI gratuitum. Ergo ex gratia servamur. Cum enim SPIRITUS DEI incipit in nobis conversionem operari, mortuos in peccatis comperit nos, qui nisi vivificemur ab ipso, ad nostri regenerationem & salutem conferre nihil possumus; imò ne fidem quidem DEI promissionibus habere valemus, nisi supernè nobis fides, fideique actus concedatur.

Vers. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur,*

Arg. 8. Non ex operibus servamur. Ergo ex gratia, hæc enim se mutuò tollunt.

Neque] Arg. 9. Si ex operibus servaremur, & non ex mera gratia, gloriandi materia nobis suppeteret, At hoc est absurdum: Ergo ex gratia servamur, ut ROM. 3.

Vers. 10. *Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in eis ambulemus.*

Arg. 10. Nos quatenus regeniti, quatenus vita spirituali donati, CHRISTO inserimur, sumus opus DEI, & nova creatura, DEI solius potentia de novo creati, priusquam ullum opus bonum edere possemus. Ergo non servamur ex operum merito, sed ex gratia mera.

Conditi] Arg. 11. In CHRISTO sumus conditi ad bona opera edenda, & eâdem gratiâ qua CHRISTO inserimur, destinati sumus ad opera bona facienda. Ergo nulla vi bonorum operum nostrorum servamur.

Præparavit] Arg. 12. Ea opera quæ facturi sumus post regenerationem, præparata sunt à DEO, ut ea agamus, & ad ea agenda præparatur noster intellectus, præparatur & formatur voluntas, & præparantur vires nobis dandæ à DEO, qui operatur in nobis, & ut velimus, & ut perficiamus. Ergo non servamur ex operibus sed tantùm ex gratia.

Ambulemus] Arg 13. Finis præparatorum bonorum operum est, ut jam vivificati, & CHRISTO insiti, & renati, & justificati, & jus plenum consequuti, ad justitiam & salutem in CHRISTO obtinendum, ambulaiemus in iis, tanquam in via regia ad possessionem salutis, jam emptæ per CHRISTUM, & nobis jam concessæ in CHRISTO. Ergo non servamur ex operibus, sed solâ gratiâ.

Vers. 11.

Vers. 11. *Propterea mementote vos quondam Gentes in carne, qui dicebamini Præputium ab ea quæ vocatur Circumcisio in carne, & quæ manibus fit.*

Arg. 14. Continens amplificationem gratiæ factæ Ephesiis, respectu peculiaris ipsorum pristini status in Ethnicismo. Si vos Ephesii in speciali vestro statu, quatenus Gentiles eratis, spectemini, adeò misera & deplorata apparebit vestra conditio, ut non nisi gratiâ liberari inde potuissetis. Ergo vel vestræ conditionis mutatio, demonstrabit salùtem esse ex gratia. Miserum hunc statum describet in his octo: 1. Erant *in carne* viventes *secundùm* carnem, ita ut DEO placere non potuerint. 2. *Erant incircumcisi, id est*, in ignominia apud Judæos, qui externæ seu manufactæ circumcisionis honore gaudent.

Vers. 12. *Vos* inquam, *illo tempore fuisse absque Christo, alienos à republica Israelis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo:*

3. Erant *sine Christo*, seu destituti omni actuali applicatâ communione cum CHRISTO in SPIRITU. 4. Alieni à *republica Israelis, id est*, extra Ecclesiam DEI. 5. alieni *à pactis promissionum, id est*, à jure ad applicandum sibi pacta & promissiones DEI. 6. Destituebantur omnis futuri *boni spe certa*. 7. Erant sine DEO *vero, id est*, sine ejus cognitione & cultu. 8. Erant *mundani*, seu pars mundi, qui jacet in malo, & qui regnum est Satanæ. Ergo quod liberati sint ab hoc statu tam misero, non potuit non esse ex gratia.

Vers. 13. *At nunc in Christo Iesu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti estis, per sanguinem* inquam *Christi.*

Arg. 15. Si felicitas præsentis status comparetur cum pristino statu, tanta est, ut non aliunde quam à gratia ipsis contingere potuisset. Hujus argumenti octo sunt partes, quæ eodem tendunt. Prima pars, Ephesii qui longe aberant à fœdere & ab Ecclesia, ejusque bonis, jam *propinqui facti* sunt, aditu ipsis ad fœdus, & Ecclesiam patefacto, cujus beneficii causa meritoria est *sanguis Christi*; instrumentalis verò *fides*, per quam insiti sunt in CHRISTUM, & per consequens ex gratia.

Vers. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit.*

Secunda

Secunda pars argumenti confirmans priorem. CHRISTUS *reconciliavit Gentes* & Judæos sibi invicem; Mediator pacificus, & causa Ipse pacis; conjunxit utrumque populum in unum corpus, Sustulit legem ceremonialem, quæ tanquam maceries, septum, paries intergerinus, dividebat Gentes à Judæis, & inimicitiarum causam præbebat. Per passionem suam in carne, pacem hanc procuravit: Quomodo non ex gratia omnia ista?

Vers. 15 *Inimicitiis*, id est, *lege mandatorum* quæ *in ritibus* posita est, *per carnem suam abolitis* : *ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem, faciens pacem*.

Tertia argumenti pars, quæ specialiùs, & propriis verbis proponitur. CHRISTUS abrogavit legem mandatorum in decretis sitam, id est, legem positivam ceremonialem, quæ complementum nacta erat in ejus adventu, ut illa lege sublata, per quam inimicitiæ erant inter duos populos, in semetipso capite communi reconciliatos sibi invicem, utrosque quasi unum redderet hominem novum, compingens in unum mysticum CHRISTUM, seu ut unius mystici corporis membra conjungens Judæos & Gentes in unum corpus, cujus caput CHRISTUS ipse esset. Et hìc etiam summa gratia conspicienda est.

Vers. 16. *Et utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam*.

Quarta argumenti pars, in qua ostendit alium finem abrogatæ legis, nempe ut in uno suo corpore, utrumque populum non sibi invicem tantùm, sed etiam DEO reconciliaret, pretium Redemptionis ipsorum à peccatis, per mortem crucis persolvendo, interfectis inimicitiis inter DEUM & populum redemptum, per interfectionem sui, seu mortem suam. Hic ampliùs splendet gratia,

Vers. 17 *Et veniens euangelizavit pacem vobis qui procul* eratis; *& iis qui prope* erant.

Quinta argumenti pars, in qua ostendit quomodo hæc pax innotuerit mundo, nempe in prædicatione Euangelii per IESUM CHRISTUM, qui ut author fuit pacis, sic etiam primarius est præco hujus pacis in Euangelio, in consolationem & salutem Judæorum (qui propinqui dicti erant, propter fœdus) & Gentilium salutem (qui procul esse dicti erant, propter ipsorum alienationem à fœdere) Etiam hic se exerit gratia.

Vers.

Vers. 18. *Quoniam utrique per ipsum habemus aditum per unum Spiritum ad Patrem.*

Sexta argumenti pars, in qua rationem reddit prædicatæ pacis utrisque, quia per unum CHRISTUM persoluto jam pretio, unus aditus & accessus datur & Judæis & Gentibus, ut possimus Judæi pariter & Gentes, in uno Spiritu unum Patrem invocare, & idcirco Judæis & Gentibus pax prædicatur. Nihil hic præter gratiam.

Vers 19. *Nempe igitur non amplius estis hospites & inquilini, sed concives Sanctorum, ac domestici Dei:*

Septima argumenti pars, in qua tanquam per corrolarium colligit Ephesios jam non ampliùs hospites seu peregrinos, sed cives esse civitatis Sanctorum, & domesticos familiæ DEI, quod etiam nostrum omnium credentium privilegium est.

Vers. 20. *Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, cujus imus angularis* lapis *est ipse Iesus Christus.*

Octava argumenti pars, in qua amplius explicans unionem Ephesiorum cum CHRISTO, & sanctâ Ecclesiâ, declarat eos esse vivos lapides Templi DEI, non minùs arctè cum aliis fidelibus & cum CHRISTO constrictos; quam lapides ædificii uniuntur fundamento: & hic depingit Ecclesiam graphicè in Templi similitudine, cujus membra sunt 3. Primum, Ecclesia est similis Templo DEI, cujus fundamentum est CHRISTUS, non solùm sustentans totum ædificium, sed etiam diversos parietes Judæos & Gentes in seipso, inter se conjungens, atque uniens: 2. Apostoli aliique post eos fideles Ministri architecti sunt, qui Templi hujus unicum docent fundamentum CHRISTUM (qui solus molem totam, ut Redemptionis, sic etiam salutis, sustinere valet) & docendo ædificant Sanctos super CHRISTUM secundùm doctrinam Prophetarum & Apostolorum: 3. Lapides hujus Templi sunt electi, seu verè fideles omnes, qui superstruuntur CHRISTO, per veritatis prædicationem, inter quos erant Ephesii fideles.

Vers. 21. *In quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit, ut sit templum sanctum Domino.*

Pergit in allegorica descriptione Ecclesiæ veræ catholicæ, & quatuor conditiones ac proprietates Ecclesiæ, seu templi DEI explicat: 1.

Templum

Templum hoc dicitur affabrè factum, seu congruenter coagmentatum, quia summa cum prudentia totum ædificium Ecclesiæ, ejusque membra omnia congruenter coagmentantur, cum CHRISTUS & ipsius voluntas prædicatur, ita ut quisque fidelis convenientem habeat locum, & functionem, pro qualitate donorum Spiritus sancti, ut alii in munere publico, alii in privata sua statione ad ædificationem totius Templi, pro sua quisque parte concurrant: 2. Templum hoc est vivum, quia fundamentum vivum, & vivificans, est CHRISTUS: & vera ejus membra, singuli fideles, sunt lapides vivi, à CHRISTO vitali fundamento, vivificati, & in vita spirituali conservati: 3. Templum hoc vegetum est sicut arbor; quia totum ædificium per accessionem lapidum, seu conversorum fidelium, & per nutrimentum verbi DEI quod singuli lapides vivi, ut rami à radice trahunt à CHRISTO per SPIRITUM sanctum, tenentes caput CHRISTUM, infixi radici CHRISTO, quotidiè crescunt in pietate: 4. Templum hoc rationale & spirituale est, quia Templum sanctum est, id est, societas non terrenorum, profanorum, & immundorum hominum, sed societas Sanctorum spiritualis, quasi domicilium cœleste, in quo DEUS verè habitet, verè cognoscatur, ametur, invocetur, & colatur.

Vers. 22. *In quo & vos unà ædificamini, ut sitis habitaculum Dei per Spiritum.*

Applicat ista ad Ephesios, omnes partes argumenti contrahens in unum, ut felicitas conditionis ipsorum in CHRISTO, appareat simul & semel, ut sciant se esse habitaculum DEI, seu partem hujus templi, & communicare cum catholica Ecclesia; & per SPIRITUM Sanctum habitantem in ipsis, participes esse proprietatum Ecclesiæ; ex quibus omnibus conficitur tantam felicitatem nactos esse Ephesios, quantam sola gratia poterat largiri.

Caput

Caput Tertium.

Hoc capite, Ephesios Apostolus hortatur, ut superatè scandalo crucis Christi sibi ipsi incumbentis, pro Euangelii defensione, constanter perseverent in gratiâ Dei tuenda, hoc est ut firmiter credant, & apertè confiteantur, & in omnibus angustiis accuratè defendant, nos esse per gratiam electos in Christo, per gratiam redemptos, per gratiam vocatos, per gratiam justificari, per gratiam fide donari, per gratiam regenerari, per gratiam omnia bona in nobis perfici, ex gratiâ solâ nos servari, & tandem glorificari in Christo, per fidem & non ex operibus; & fidem non esse ex nobis, sed Dei donum esse, ut in tota ratione salutis nostræ Dei gratia sola glorificetur. Summa est, ut inoffenso pede pergant, & proficiant in fide Euangelii.

Capitis partes sunt duæ: In prima ne Ephesii offendantur crucis & captivitatis Apostoli scandalo, Ministerii sui & vinculorum suorum gloriam ostendit Apostolus, ad versum 14. *In secunda parte continetur Apostoli precatio pro Ephesiorum perseverantia & profectu in fide, ad finem. Primæ partis summa hoc enthymemate comprehenditur. Magna est gloria Ministerii mei & vinculorum meorum, peto igitur ne offendamini afflictionibus meis: Antecedens habetur, ad* versum 13. *Consequens,* versu 13.

Vers. 1. *Hujus rei gratia ego Paulus sum captivus ille Christi Iesu pro vobis Gentibus:*

Argumenta Commendationis Ministerii sui affert duodecim.

Hujus rei gratia] Argumentum primum, Quia propter supra descriptam veritatem à me prædicatam, de salute in CHRISTO, Judæis pariter & Gentibus per fidem obtinendâ vinctus sum, & idcirco vinctus CHRISTI, seu pro CHRISTI gloriâ assertâ captivus, & pro vobis Gentibus, seu pro jure vestro ad salutem, unà cum Judæis, asserto. Commendatum vobis idcirco debet esse Ministerium meum.

Vers. 2. *Siquidem audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi apud vos:*

Arg. 2. Ego Paulus à CHRISTO peculiaris Apostolus Gentium constitutus sum, si modo probè intellexistis dispensationem gratiæ, seu doctrinæ Euangelicæ, quæ commissa fuit mihi, ut eam vobis Gentibus prædicarem: Ergo commendatum debet esse vobis meum Ministerium.

Vers. 3. Deum videlicet *per revelationem notum mihi fecisse mysterium illud, (sicut antè scripsi paucis*:

Arg. 3. Cognitio Euangelii quâ donatus sum, certissima fuit, quippe quam à DEO immediatè per revelationem extraordinariam accepi, non autem ab hominibus: Ergo commendatum, *&c.*

Vers. 4. *Ex quo perlecto potestis intelligere quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi*)

Arg. 4. Intelligentiæ & cognitionis meæ mensura, quâ mysterium gratiæ revelatum scio, non mediocris est, ut ex iis quæ ex primo & secundo capite hujus Epistolæ scripta sunt à me, attentè legentibus manifestum esse poterit: Ergo *&c.*

Vers. 5. *Quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, ut nunc retectum est sanctis Apostolis & Prophetis per Spiritum*:

Arg. 5. Mysterium hujus Euangelii non innotuit multis, neque ulli tam perspicuè præteritis seculis, quam nunc revelatum est per SPIRITUM Sanctum, nobis Apostolis & Prophetis, quibus extra ordinem DEUS cognitionem Scripturarum, & suæ de salute hominum voluntatis, concessit: Ergo commendatum, *&c.*

Vers. 6. *Gentes* videlicet *esse cohæredes & concorpores, consorteseque promissionis ejus in Christo per Euangelium*:

Arg. 6. Pars illa mysterii, quæ est de complemento omnium promissionum gratiæ in CHRISTO, & de vocatione Gentium incircumcisarum in societatem hæreditatis cœlestis, ut in unionem Ecclesiæ Israeliticæ, & participationem CHRISTI per fidem Euangelii, absque circumcisione, & reliquis Ceremoniis, à DEO reciperentur, non minùs quam Israelitæ; Pars hæc, inquam, non ita pridem manifestata fuit. Ergo, *&c.* Neque enim ipse Petrus Apostolus hoc admittebat, priusquam de ea speciali revelatione edoctus fuisset, *Act.* 10.

Vers. 7. *Cujus factus sum minister ex dono gratiæ Dei, quod datum est mihi secundùm efficacitatem potentiæ ipsius.*

Arg. 7

Arg. 7. Authoritas ad dispensandum hanc DEI gratiam mihi commissa, conjuncta est, & cum donis necessariis ad munus Apostolicum, & cum efficaci DEI benedictione, ubicunque & quandocunque datur prædicandi opportunitas. Ergo, &c.

Vers. 8. *Mihi* inquam, *longè minimo omnium sanctorum, data est hæc gratia, euangelizandi inter Gentes imperveſtigabiles opes* CHRISTI,

Arg. 8. Gratia mihi facta in vocatione ad Apostolatum tantò illustrior est, quantò ipse olim hostis Ecclesiæ eram infestior, omnibusque Sanctis eo nomine inferior, quantoque Gentium multarum amplitudo major est, & denique quantò glorioſior est materia â me prædicanda, nempe gratiæ CHRISTI opulentia imperveſtigabilis. Ergo, &c

Vers. 9. *Et in lucem proferendi omnibus quæ* sit *communio myſterii quod erat abſconditum à ſeculis in Deo, qui omnia condidit per Ieſum Chriſtum*:

Arg. 9. Fines ministerii mei glorioſi sunt: 1. Ut res occultæ, in DEI consilio latentes, in lucem proferantur. 2. Ut cæci illuminentur ad videndum & intelligendum revelata. 3. Ut omnes sciant, participes salutis reddi posse homines per fidem solam IESU CHRISTI, sine circumcisione & operibus Legis. 4. Ut perspiciant omnes excellentiam CHRISTI; non modò ut Redemptoris, sed etiam ut Creatoris, per quem ut redempta est Ecclesia, sic etiam & creatus est mundus, & omnia quæ in mundo sunt: Ergo commendatum vobis esse debet meum ministerium.

Vers. 10. *Ut notà nunc fiat per Eccleſiam imperiùs ac poteſtatibus* quæ *in Cœlis* sunt *multiformis illa ſapientia Dei:*

Arg. 10. Glorioſus est usus hujus mei Ministerii, quia per illud multiformis DEI sapientia in apertione consilii sui de Ecclesia ex circumcisis & incircumcisis colligenda, clariùs quam unquam prius patefacta est, etiam Sanctis Angelis in Cœlo, nedum hominibus in terra. Ergo, &c. Angeli enim nisi ex revelatione facta Ecclesiæ de mysterio salutis humanæ nihil intelligunt.

Vers. 11 *Secundùm propoſitum æternum, quod conſtituit in Chriſto Ieſu Domino noſtro*:

Arg. 11. Totum hoc non fortuitò factum est, sed secundùm propòsitum æternum DEI, quod, sicut in CHRISTO constituit & fundavit, sic etiam in eodem tandem reipsa complevit atque perfecit. Ergo.

Vers. 12. *In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius.*

Arg. 12, Fructus hujus Ministerii gloriosus est, quia per prædicationem Euangelii credentibus in CHRISTUM Judæis & Gentibus, ex æquo conceditur libertas in CHRISTO, adeundi DEUM in fiducia, & liberè cum eo agendi, de omnibus ipsorum necessitatibus, ut cum Patre amicissimo. Ergo commendatum vobis esse debet Ministerium meum.

Vers. 13. *Quapropter peto ne segnescatis ob afflictiones meas pro vobis, quæ est gloria vestra.*

Ex omnibus præcedentibus, tanquam ex antecedente uno Apostolus infert consequens seu conclusionem, Quod non debeant ipsius vinculis seu captivitate offendi, id est, nec fatiscere, nec defatigari, nec segniores esse in causa fidei ob afflictiones ipsius, sed potiùs perseverare & profectus facere constanter. Cui hortationi annectit duas rationes: 1. Quia patiebatur has afflictiones pro ipsis, id est, pro ipsorum privilegiis in CHRISTO assertis, & pro fidei ipsorum confirmatione; 2. Quia ipsius afflictiones Ephesiis glorioſæ erant; inde enim apparebat quanti eos Deus faceret, cum Apostolos ad eos miserit, qui non solùm viam salutis eos docerent, sed etiam sustinerent afflictiones in testimonium veritatis prædicatæ, & confirmationem fidei ipsorum.

Secunda Pars.

Vers. 14. *Hujus rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,*

Secunda pars Capitis in qua continetur Apostoli precatio ut Ephesii perseverent, & progressus faciant in fide Euangelii. Quæ precatio non obscurè hortationem includit ad perseverantiam & constantiam in fide, insertis in eum finem argumentis duodecim. Quæ omnia probant constanter ipsis pergendum in fide.

Hujus rei gratia] Argumentum primum, Habetis me flexis quotidiè genibus

genibus comprecantem in eum finem, ut inoffenso pede pergatis in fide. Pergendum igitur eo alacriùs.

Ad patrem] Arg. 2. Propitium habemus, & facilè exorabilem DEUM, qui hanc vobis det gratiam, Patrem Domini nostri, & Patrem nostrum omnium servorum IESU CHRISTI, qui perseverantiam comprecantibus nobis, non recusabit vobis largiri: Sub hac spe pergendum igitur.

Vers. 15. *Ex quo tota familia in Cœlis & in terra nominatur.*

Arg. 3. DEUS noster, perseverantiæ largitor, Pater familias est Ecclesiæ catholicæ in CHRISTO adoptatæ, qui Gentibus & Judæis fidelibus ex æquo favet, eodemque paterno affectu militantes vos in terra domesticos suos complectitur, quo triumphantes in Cœlo, vosque filios suos unà cum illis à se denominari vult, vestram infirmitatem & indignitatem in gremium suum admittere minimè erubescens. Animosè ergo vobis in fide progrediendum est.

Vers. 16. *Ut det vobis, pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum suum in interiore homine:*

Pro divite] Arg. 4. Dives & glorioſa est DEI misericordia, & quæ gaudet pro glorioſa magnitudine sua illustranda, proficiendi in fide gratiam petentibus abundè largiri. Confidenter igitur gratiam petite, & pergite in fide.

Ut fortiter] Arg. 5. Etiamsi vos infirmi sitis & impotentes ad superandum viæ difficultates, satis tamen est roboris vobis communicandi in Patre vestro, ad vestri confirmationem propensissimo, pro qua gratia non frustra DEUM comprecamur: Ergo confidenter vobis pergendum est in fide.

In interiore] Apostolus interim insinuat ne quidem in interiori homine & intimis animæ regenitæ facultatibus, ullas esse liberi arbitrii vires, nec ullum esse boni operis meritum, vel efficaciam, quæ sufficiat ad perseverantiam, sed opus esse SPIRITU Sancto, qui ipsis & velle & facere suppeditet, qui robur & potentiam ad perseverandum subinde subministret, & ex gratia sua divite, præteritis ipsorum peccatis, constanter in illis opus suum foveat & promoveat.

Vers. 17. *Ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.*

Arg. 6. Etiamsi vos infirmi sitis, & potens sit DIABOLUS contra vos dimicans; fortior tamen est CHRISTUS per fidem habitans in vobis, ad imagi-

nem

ginem suam vos formans, confirmans, & gubernans ad voluntatis suæ obedientiam; qui ut constanter & plenius habitet in vobis, non deerunt vota nostra & preces ad DEUM: Ergo confidenter vobis pergendum in fide.

Vers. 18. *Ut in charitate radicati & fundati, valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo & longitudo, & profunditas, & sublimitas:*

Arg. 7. Charitas DEI erga vos immutabilis, firmiter jam posita est tanquam viva radix & solidum fundamentum salutis vestræ perficiendæ, unde & stabilitatem & incrementum capiatis; de qua charitate persuasi constantissimè in fide perseverare poteritis, quæ persuasio ut vobis detur comprecor ego: Confidenter ergo pergite.

Latitudo] Arg. 8. Gratiâ DEI in Euangelio vobis offertur comprehendenda in immensa longitudine ab æterno in æternum pertingens: in latitudine sua ad omnia secula, & ordines hominum se extendens: in profunditate sua se demittens ad abyssum peccati & miseriæ, unde homines eruat: & denique in altitudine sua se ad supremam in Cœlo felicitatem erigens: imo verò oblata hæc gratia vos jam comprehendit, cujus cognitionem ampliorem vobis opto, ut fitis firmiores in fide, donec tandem in plena felicitate, cum reliquis omnibus fidelibus experimento plenè cognoscatis, & comprehendatis hanc DEI dilectionem: Pergite igitur & promovete indies in fidei obedientia.

Vers. 19. *Et cognoscere charitatem illam Christi* omni *cognitione superiorem: ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam DEI.*

Arg 9 Tanta est dilectio DEI erga vos in CHRISTO, & dilectio CHRISTI tanta est erga suos omnes, & erga vos, ut satis sciri nunquam poterit, quippe quæ superat omnium cum hominum, tum Angelorum intellectum, cujus ampliorem cognitionem vobis opto, ut firmi in fide perseveretis.

Ut impleamini] Arg. 10, Omnis plenitudo DEI, quæ vobis implendis, & ad salutem plenè perficiendis sufficiat, in Euangelio vobis aperitur & communicatur, ut per fidem magis magisque uniti DEO in CHRISTO, magis magisque participes fiatis sanctitatis, seu divinæ naturæ, & magis magisque beati reddamini per CHRISTI pleniorem

inhabitationem

inhabitationem, donec tandem impleamini DEO, in futuro seculo, in quo DEUS erit omnia in omnibus, ad summam vestram sanctitatem & felicitatem: Quod ut fiat DEUM assiduè oro. Ergo cum fiducia vobis pergendum est.

Vers. 20. *Ei verò qui infinita cum redundantia potest omnia facere supra ea quę petimus, aut mente concipimus, pro vi illa agente in nobis*,

Concludit precationem cum gratiarum actione, addito argumento 11. DEUS & potens est ad dandum plura quam petimus, & ad dandum copiosè magis quam petere, vel desiderare possumus, & simul etiam benevolus est, ut velit quæ potest facere, Imo & jam potentiam & benevolentiam actu exerut, in nobis convertendis, & etiamnum exerit in conservandis. Ergo animari decet vos ad constanter pergendum in fide.

Vers. 21. Sit *gloria in Ecclesia per Christum Iesum in omnes ætates seculi seculorum, Amen.*

Arg 12. Laus perennis benevolentiæ & potentiæ efficacis DEI, ad salutem fidelium perficiendam per CHRISTUM, in Ecclesia perpetua futura est: Et huic veritati tenemini mecum AMEN subscribere, Ergo in fide, ad finem DEUM glorificantes pergite, & progressus facite. Ex his argumentis nonnulla probant etiam perseverantiam Sanctorum solidè fundatam, & certam esse.

Caput Quartum.

Secunda pars Epistolæ sequitur, In qua de Vitæ, Morumque sanctitate præcepta dat. Capitis duæ sunt partes; in priori hortatur omnes conjunctim, ad studium Pacis & Concordiæ Christianæ in Ecclesia, ad versum 17. *In secunda præcepta dat de vita Singulorum seorsim sumptorum sanctè componenda, ad finem.*

Vers. 1. *PRecor itaque vos, ego captivus in Domino, ut ambuletis ita ut dignum est vocatione qua vocati estis*,

Vers. 2.

Vers. 2. *Cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alii alios per charitatem* :

Vers. 3. *Studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis.*

Quod ad primam attinet, præmissa gravi obsecratione & hortatione generali ad sanctam conversationem, (quæ communiter spectat omnia sequentia) nempe ut sancti essent, sicut DEUS qui vocavit eos sanctus est, *vers.* 1. Descendit ad specialem hortationem ad studium pacis & concordiæ, propositis septem specialibus virtutibus quæ ad unitatem Ecclesiæ servandam necessariò requiruntur, ut concordia in omnibus membris vigeat. Quarum prima est, Humilitas, cui opponitur Superbia: 2. Est mansuetudo, cui opponitur ferocia: 3. Est animi lenitas, cui opponitur iracundia: 4. Est tolerantia, cui opponitur vindicta: 5 Est charitas, unde reliquas virtutes & tolerantiam præcipuè oriri vellet, cui opponitur odium proximi, &. φιλαυτια, absque quibus virtutibus unitas Ecclesiæ conservari non potest, *vers.* 2. 6. Virtus est Unitas Spiritus, in fide & in sententiis suis, de rebus ad religionem spectantibus: 7 Pax seu concordia externa: quibus præmissis ipsa Unitas Ecclesiæ & spiritualis & externa manebitur, ut cum his virtutibus unâ & eadem operâ retineatur, *vers.* 3.

Vers. 4 *Unum est corpus & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ:*

Argumenta hortationis sunt 15. Argumentum primum, Ecclesia est unum corpus ex variis membris conflatum. Ergo unitati & concordiæ Ecclesiasticæ studendum.

Spiritus] Arg. 2. Unus est SPIRITUS sanctus, quo totum corpus vivificatur & regitur. Ergo unitati studendum.

Unam spem] Arg 3 Omnes vocantur in unam spem vocationis, id est, ad eandem felicitatem æternam. Ergo concordiæ studendum.

Vers. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Arg. 4. Unus est Dominus omnium CHRISTUS, cui omnes inservire tenemur, qui in membris suis non debet dividi. Ergo unitati studendum.

Una fides] Arg 5. Una est fides, seu doctrina quæ credenda est, & ejusdem generis est salvificum illud donum gratiæ, fides nempe justificans quâ credimus. Ergo fidelium unitas servanda.

Baptisma]

Baptisma] Arg. 6. Unum est Baptisma, & quoàd symbolum & quoàd rem significatam, omnes in unius corporis mystici societatem obsignans; Ergo baptizatis colenda est Concordia.

Vers. 6. *Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.*

Arg. 7. Omnibus nobis est unus DEUS, qui cultores unanimes exigit, & unus PATER omnium, qui Filios suos fraterno amore inter se conjungi vult, qui excellentiâ infinitè superat omnia, qui providentiâ suâ sustentat & regit omnia, & qui speciali modo ex gratia habitat in Electis omnibus. Ergo Concordiam inter vos colere debetis.

Vers. 7. *Sed unicuique nostrûm data est gratia pro mensura doni CHRISTI.*

Arg. 8. Utcunque varia sint dona, non tamen inde rumpi debet Unitas Ecclesiæ, sed foveri potiùs, quia unicuique data est gratia pro mensura doni quod CHRISTUS censuit dandum. Colenda igitur Concordia.

Vers. 8. *Quapropter dicit, quum ascendisset in sublimè, captivam duxit captivitatem, & dedit dona hominibus.*

Hoc argumentum de donis, & variâ mensurâ donorum confirmat testimonio *Psalmi* 68. ubi vaticinium habetur primò de CHRISTI ascensione, deinde de triumphatis ab eo hostibus, DIABOLO, morte, & peccato; & denique de distributione donorum in usum Ecclesiæ.

Vers. 9. *Caterùm illud ascendit, quid est, nisi quòd etiam descenderat prius in infimas partes terræ?*

Ex hoc vaticinio de ascensione CHRISTI, primò probat Apostolus CHRISTI humiliationem præcedentem præsupponi necessariò, *id est*, incarnationem, & demissionem sui ad carnis infirmitates communes, ad passionem tum animæ tum corporis, & ad sepulturam: Unde ad unitatem Ecclesiæ servandam suppeditatur Argumentum nonum.

Ad Ecclesiam in unum colligendam, & DEO uniendam CHRISTUS descendit in inferiores partes terræ, (hac ipsa phrasi *David* suam describit conceptionem in utero, *Psal.* 139.18) & in eundem finem rursus ascendit. Ergo unitas Ecclesiæ colenda.

Vers. 10. *Qui descendit, ipse est qui etiam ascendit longe supra omnes cœlos, ut impleret omnia.*

Ex eodem vaticinio colligit CHRISTUM DEUM incarnandum descendentem, ut carnem assumeret, non factum esse alium, seu aliam personam, quando ascendit DEUS incarnatus; neque humanam naturam assumptam, aliquid ad personam FILII DEI constituendam, vel perficiendam addidisse, sed in unitatem personæ assumptam fuisse, & idcirco CHRISTUM & descendentem & ascendentem eundem esse, sicut qui vestem induit, idem est qui prius erat, non vestitus.

Finem porro ascensionis indicans, addit Arg. 10. CHRISTUS in Cœlum ascendit, ut compleret omnia, quæ ei complenda erant, scilicet ad Ecclesiam colligendam & servandam, eique quæcunque necessaria sunt, communicandum. Ergo unitati Ecclesiæ impensè studendum.

Vers. 11. *Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos: alios verò Prophetas: alios autem, Euangelistas: alios autem Pastores & doctores.*

Quomodo compleverit omnia, ostendit ex parte, quantum ad institutum sufficit, enumerando varios ordines Ecclesiastici Ministerii, partim temporarios & extraordinarios, ut *Apostolos*, *Prophetas*, *Euangelistas*, ad fundamenta jacienda omnium Ecclesiarum, partim ordinarios & perpetuos, ut *Pastores* & *Doctores*, ad Ecclesiam perpetuandam institutos.

Vers. 12. *Ad coagmentationem sanctorum, ad opus Ministerii, ad ædificationem*, inquam *corporis Christi.*

Arg. 11. A fine & usu in quem CHRISTUS dedit hæc officia & dona: 1. Ut instaurentur Sancti, tanquam luxata membra in proprium locum reducta: 2. Ut Ministri otio & dominationi renunciantes, opus Ministerii facerent, quo singuli electi, ut oves palantes ad CHRISTUM Pastorem revocentur, & in eo maneant: 3. Ut exædificetur totum corpus Ecclesiæ, & singuli proficiant in fide & sanctitate, ad incrementum corporis totius, unde Arg. CHRISTUS functiones in Ecclesia instituit, ut hominum Ministerio omnes Sancti sic coalescant, ut unum CHRISTI corpus mysticum constituant: Ergo unitati studendum est.

Vers. 13. *Donec evadamus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti CHRISTI.*

Arg. 12.

Arg. 12. A termino durationis Ministerii. Durabit Ministerium, donec nos omnes electi perveniamus in unitatem fidei & cognitionis CHRISTI, id est, donec non solùm uniamur CHRISTO per fidem, & cognitionem quæ est ex fide, sed etiam donec omnes nos redempti, seu electi quotquot vivimus vel victuri sumus perveniamus (inquam) omnes, alii post alios, ad perfectam cognitionem in visione immediata, seu ad perfectam regenerationem, & incorporationem in CHRISTO, quando jam omnes electi uniti & perfecti constituemus unum CHRISTUM mysticum, qui omnibus numeris sit absolutus, & plenam suam staturam assequatus, quod fiet in resurrectione: Ergo ut hic finis promoveatur unitati studendum est.

Vers. 14. *Ut ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ in hominum alea, veteratoria ad insidiose fallendum versutia:*

Arg. 13. Ab alio fine instituti Ministerii. Instituit CHRISTUS Ministerium, ne maneamus perpetuò pueri, ignari eorum quæ scire debemus; ne fluctuemus agitati vento contrariarum doctrinarum, ne separemur à CHRISTO, & ejus Ecclesia ex instabilitate in fide, ne decipiamur hominum corruptorum calliditate, astutia, & insidiosa seductione: Ergo ut hic finis promoveatur quantùm per nos fieri potest, unitati Ecclesiæ studendum est.

Vers. 15. *Sed veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum per omnia, qui est caput* nempe *Christus:*

Arg. 14. A tertio fine instituti Ministerii. Instituit CHRISTUS Ministerium in Ecclesia, non tantùm ut vitemus seductionem, sed etiam ut veritatem doctrinæ Cœlestis cum charitate sectemur, & sic per veritatem & charitatem adolescamus in virtutibus omnibus in unum CHRISTUM mysticum: Ergo unitati Ecclesiæ, & charitati, in hunc finem studendum est, ut CHRISTUS caput nostrum, inter nos emineat, & nos qui non nisi in ipso crescere poterimus, in eo fortes & proceri evadamus.

Vers. 16 *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius extructionem per charitatem.*

Arg. 15. A descriptione CHRISTI mystici, seu CHRISTI & Ecclesiæ, in qua descriptione, per similitudinem capitis & corporis naturalis, illustrat quod dixit de incremento faciendo, in veritatis cognitione & charitate, ad CHRISTI gloriam, & Ecclesiæ bonum augendum: in qua descriptione ostendit: 1. Quod ex CHRISTO ut capite, & fonte, dependeat totum corpus Ecclesiæ, & ab eo omne corporis sui alimentum, id est, omnis veritas salutifera, unà cum vitali CHRISTI SPIRITU in omnia vera membra dimanet, ita ut nemo quicquam sciat, nisi instituatur à CHRISTO: 2. Quod pro diversitate donorum Spiritus, & functionum, & conditionis uniuscujusque membri Ecclesiæ Catholicæ, corpus congruenter sit coagmentatum, seu ordine pulcherrimo, & maxime concinno compositum, & vinculo arctissimo Spiritus, fidei & charitatis alligatum CHRISTO, & in se compactum, accedentibus variis relationibus, partim inter CHRISTUM & nos (quales sunt Capitis & membrorum, sponsi, Patroni, sponsoris, &c.) Partim inter nos mutuò (quales sunt relationes fratrum & sororum, cohæredum, Pastorum & gregis, Parentum & liberorum, &c.) quibus arctiùs cum CHRISTO & inter nos indies vinciri poterimus: 3. Quod sint variæ junctura subministrationis alimenti, per quas, tanquam per canales, à CHRISTO derivatur veritatis salutiferæ cognitio, fides, sensus & efficacia, in variis functionibus & officiis in Ecclesia: in quibus sunt Apostolatus, Pastoratus, Doctoratus, Presbyteratus, &c. 4. Quod mera administratio seu Ministerium sit in membris: nam ipsa dispensatio benedictionis, efficaciæ, & virtutis pendet immediatè à solo CHRISTO: 5. Quod inter membra distributio sit necessaria, quæ propter finitam cujusque mensuram opus habent communicatione mutuâ, ut mutuò se ædificent: 6. Quod incrementum fiat per efficacem ejusdem Capitis CHRISTI operationem in Ministerio, & mutua membrorum inter se communicatione: 7. Quod pro mensura ac ratione cujusque membri, unumquodque membrum augescat, & proficiat in vita DEI, in pietate, in vera Religione, sicut visum est DOMINO unicuique distribuere: 8. Quod augmentum illud demum utile sit, & ex CHRISTI virtute profectum, quod universo corpori aliquid addit, & Ecclesiæ in communi aliquid affert, non verò illud incrementum, quod videtur accedere paucis cum reliquorum membrorum detrimento, aut paucis aliquot Ecclesiis cum reliquarum dispendio: 9. Denique, Quod per charitatem membrorum

membrorum inter se, hæc communicatio cognitionis & Doctrinæ Christianæ, & exædificatio corporis fiat, & sine charitate fieri non possit. Hinc arg. Sicut in corpore naturali & organico se res habet: Sic in Ecclesia, CHRISTUS qui Caput est Ecclesiæ, non eadem, sed alia atque alia charismata membris suis infundit, singulis distribuens, prout locus cujusque quem in corpore habet, postulat, ùt hac ratione corpus totum crescat, dum singula membra suo quæque loco, dona sua in communem utilitatem conferunt, quod non nisi per concordiam fieri potest: Ergo concordiæ & unitati Ecclesiæ in hunc finem studiosè incumbendum est.

Secunda Pars.

Vers. 17. *Hoc itaque dico, & obtestor per Dominum, ne amplius versemini sicut reliquæ Gentes versantur in vanitate mentis suæ:*

Vers. 18. *Cogitationem habentes obscuratam, & abalienatam à vita DEI propter ignorantiam quæ est in ipsis, ex obduratione cordis eorum.*

Vers. 19. *Qui posteaquam dedoluerunt, semetipsos dediderunt proterviæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem.*

Secunda pars Capitis, in qua præcepta dat septem de vita singulorum seorsim sumptorum sanctè componenda.

Primum præceptum, Ne amplius ambulent sicut reliquæ Gentes, sed sicut decet eos qui à statu peccati, ad CHRISTUM efficaciter vocati sunt. Rationes præcepti seu hortationis sunt quatuor.

Dico] Ratio prima, Ego Apostolus ex autoritate DEI mihi tributa, obtestor vos per Dominum, cui ratio reddenda est vobis, si hanc meam obtestationem contempseritis: Obedite igitur.

Vanitate] Ratio 2. A misera conditione Gentium, atque adeò omnium non renatorum; quæ conditio his septem membris exprimitur. Primum, quod mens vana illis fuerit pro viæ duce, quæ nihil certi in rebus divinis dictat, & in nullum utilem finem humanas actiones dirigit, *vers.* 17.

Tenebris] Membrum 2. Quod ratiocinatio non renatorum Gentilium, in rebus quæ ad DEUM & felicitatem spectant, obtenebrata & excæcata sit: 3. Quod *alienati sint à vita Dei* spirituali, & ab omni cum

Deo

Deo communione: 4. Quod nullam salutarem Dei cognitionem habeant, sed planè *ignorent Deum* ad salutem, seu pro ut in Ecclesia patefactus est in Christo: 5. Quod habeant *cor induratum* indurationè naturali, voluntaria, & judiciali: nam cum se sponte in peccato ob firmarint, etiam justo Dei judicio porrò obfirmati sunt in peccato, & mentis cæcitate, *vers.* 18.

Dedoluerunt] 6. Quod stupore & indolentia sopiti, non amplius metuant peccare, nec sentiant naturales conscientiæ morsus: 7. Quod effræni libidine peccandi abripiantur Gentes, non ad concupiscendum tantùm, sed etiam ad perpetrandum omnem immunditiem cum aviditate, & ad pergendum in suis voluptatibus, cum inexplebili desiderio & studio eis satisfaciendi, *vers.* 19. Hinc ratio 2. Miserrima est reliquorum Gentilium conditio. Ne ambuletis igitur sicut illi.

Vers. 20. *Vos autem non ita didicistis Christum* :

Vers. 21. *Si modo eum audistis, & per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Iesu*:

Ratio 3. Cognitio Christi, seu doctrina fidei in Christum, in qua instituti estis, & quam didicistis, aliam vitæ rationem quam sequuntur Gentes, exigit à vobis. Ne igitur Gentes imitemini, *vers.* 20.

Simodo] Limitat superiorem rationem, & restringit ad verè renatos, qui sincerè & verè audiverunt Christum, & efficaciter edocti sunt per ipsius Spiritum, quæ sit illa in Christo vera sanctitas, quæ sit præscripta illa ab eo recta vivendi ratio, quanta sit virtus & vis spiritualis in illo, ad efficiendum ut ipsius genuini discipuli vivant, secundùm ipsius instituta, apud tales saltem valebit (inquit) superior ratio, *vers.* 21.

Vers. 22. Nempe *deponere quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum hominem qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur*:

Vers. 23. *Renovari verò Spiritu mentis vestræ*,

Vers. 24 *Et induere novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram*.

Ratio 4. Christi doctrina expressè requirit à fidelibus, ut hæc tria præstentur: Primùm, ut resipiscentiam sectantes, magis magisque hominem veterem, seu corruptam naturam, quæ in priltina ipsorum conversatione

fatione se prodebat, exuant, & deponant, quæ corrupta natùra, seu vetus homo deterior & corruptior indies fit, per seductrices cupiditates, atque ita magis magisque hominem corrumpit & perdit, vers. 22.

Alterum est, Ut renoventur magis magisque in Spiritu mentis suæ, id est, ut fideles dent operam, per verbum & SPIRITUM DEI, magis magisque spiritualem reddere suum ipsorum intellectum, qui naturâ suâ sapientiæ Divinæ adversatur, & contra eam disputat.

Tertium est, Ut fideles induant novum hominem, seu studeant exhibere, & reipsa ostendere in se actiones, & qualitates novæ creaturæ ad imaginem DEI renovatæ, atque ita obedientiam legi divinæ sedulò præstare in iis quæ spectant DEUM & proximum. Hinc Arg. Christiana doctrina exigit à vobis ut exuentes veteris hominis mores, renovatâ mente studeatis vos novas esse creaturas, in justitiæ & sanctimoniæ exercitiis facto demonstrare: Ergo non ambulandum ut reliquæ Gentes.

Vers. 25. *Quapropter deposito mendacio, loquimini veritatem quisque proximo suo: nam sumus alii aliorum membra.*

Præceptum 2. In quo speciatim consuetudinem mentiendi deponere, & veritatem loqui jubet: Hortationis seu præcepti rationem affert unam. Quia nempe sumus alii aliorum quasi membra; sicut igitur in corpore naturali, si membra se invicem fraudarent, monstri simile esset: sic in Ecclesia haberi debet, cum ex iis qui fidem profitentur, alius alium decipit.

Vers. 26. *Irascimini, & ne peccate: sol ne occidat super iracundiam vestram:*

Vers. 27. *Neque date locum Diabolo.*

Præceptum 3. De moderandâ ira, ne vel injusta sit, vel diuturnior. Ne peccetis irascendo, id est, ne vel temerè vel nimium irascamini, ne foveatis iram in animis vestris, nec eam vobiscum dormire sinatis, sed etiam in justâ irâ modum servetis, & si injustè irasci contigerit, quod usu plerunque evenit, ut iram quam ociissimè deponatis suadeo.

Nec diabolo] Præcepti ratio est ab incommodo. Si ira foveatur, DIABOLO locus dabitur, ut vos ad amplius peccandum solicitet, & instiget, cui locus dari minimè debet, neque in hoc, neque in ullo alio peccato fovendo

Vers. 28 *Qui furabatur, non amplius furetur: sed potius laboret, operando manibus, quod bonum sit, ut possit impertiri cui opus fuerit.*

Præceptum

Præceptum 4. De consuetudine furandi, & fraudulenter agendi deponenda. Ratio præcepti est, Quia ad laborem manuarium vos ipsos demittere, quò & vestris, & aliorum necessitatibus succurratis, quam furari longè satiùs est.

Vers. 29. *Nullus sermo corruptus ex ore vestro egreditor, sed siquis est commodus ad ædificationis usum, ut gratiam auditoribus adferat.*

Vers. 30. *Et ne contristetis Spiritum illum sanctum Dei per quem obsignati estis in diem redemptionis.*

Præceptum 5. Ad cavendum vitium linguæ. Ne loquamini turpia noxia vel inutilia, quæ neque ad gloriam DEI, neque ad ullam vestram, vel aliorum utilitatem faciant; & contra, ea quæ honesta sunt, & quæ ad ædificationem proximi faciunt, loquimini.

Et ne contristetis] Ratio præcepti additur, Ne SPIRITUS Sanctus, qui in vobis habitat, putridis & obscænis sermonibus contristetur. Hanc rationem urget, & graviorem reddit, ex eo, quod obsignati fuerint in diem redemptionis, à SPIRITU Sancto, & ipsius præsentia quasi notati, & insigniti, tanquam DEI peculium, ut in die redemptionis consummatæ, qui est dies resurrectionis, introducantur in DEI domicilium, cui Spiritui gratiam meliorem referre debebant, quam spurcitie suâ eum offendere.

Vers. 31. *Omnis amaritudo, & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia, tollatur, ex vobis, cum omni malitia.*

Præceptum 6. Quo vetantur amaritudo, & animi rancor, & iracundia, & clamor, & maledicentia, & omnis generis acerbitas, & malitia, seu perversitas adversus proximum.

Vers. 32. *Sed estote alii in alios benigni misericordes, condonantes vobis mutuò* offensas, *sicut & Deus in CHRISTO condonavit vobis.*

Præceptum 7. Quo in contrarium præcipitur, mutua misericordia & benignitas, & offensarum condonatio mutua. Cui additur ratio præcepti gravissima, Quia DEUS in CHRISTO condonavit vobis peccata vestra, & gratiam fecit vobis multiplicem in CHRISTO. Ergo alii in alios benigni & misericordes sitis.

Caput

Caput Quintum.

Capitis partes sunt duæ, prior continet novem generalia præcepta de sanctimonia colenda, quæ communiter omnes fideles attingunt, ad versum 21. *Altera de officiis æconomicis præcepta specialiora continet quatuor, ad finem.*

Vers. 1. *ESTOTE igitur imitatores Dei, ut Filii dilecti.*

Præceptum primum, De sanctitate in genere, Ut studeant DEUM in sanctitate imitari: Ratio præcepti est, Quia estis Filii DEI dilecti. Idcirco DEUM Patrem vestrum, qui sanctus est, imitari debetis.

Vers. 2. *Et versamini cum charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.*

Præceptum 2. Ut ambulent in charitate mutua: Ratio præcepti additur, Quia CHRISTUS adeò dilexit nos, ut se in sacrificium obtulerit pro nobis, ut nobis peccata à DEO remitterentur; Hujus sacrificii efficacitas declaratur ex eo, quod DEO placuerit, eumque placaverit erga nos: faciunt etiam hæc duo præcepta ad confirmandam hortationem, quæ præcessit in fine superioris capitis, de condonandis mutuis offensis.

Vers. 3. *Scortatio verò & omnis impuritas aut avaritia, ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos:*

Præceptum 3. De cavenda scortatione, & omnis generis immunditie & avaritia, ut sine detestatione ne vel nominentur inter eos, nedum perpetrentur: Ratio præcepti est, Quia sic decet Sanctos se gerere, qui ad DEI sanctissimi servitium consecrantur.

Vers. 4 *Et obscœnitas, & stultiloquium, & dicacitas, quæ non conveniunt: sed potius gratiarum actio.*

Vers. 5. *Nam hoc nostis, nullum scortatorem aut impurum aut avarum qui est idololatra, habere hæreditatem in regno CHRISTI & DEI,*

Vers. 6. *Ne quisquam vos seducat inanibus sermonibus, propter hæc enim venit ira Dei in homines contumaces.*

Præceptum 4. Ut obscænitas sermonis, stultiloquium & scurrilitas vitentur: Horum duorum præceptorum rationes reddit quinque.

Quæ non] Ratio prima, Quia impurus sermo minime convenit sanctis.

Sed potius] Ratio 2. Quia materia lætitiæ aliunde suppetit, nempe ex beneficiis DEI ad gratiarum actionem, *vers.* 4.

Hoc nostis] Ratio 3. Quia impuritas & avaritia excludunt à regno Cœlorum, quod DEI Patris & CHRISTI dicitur, quia commune est regnum utriusque.

Idololatra] Ratio 4. Quia avaritia idololatria est, creaturam in creatoris locum surrogans; Idem etiam intelligi potest de aliis vitiis, *vers.* 5.

Nemo] Ratio 5. Quia quicunque his vitiis dediti sunt, censebuntur inter filios inobedientiæ, seu in DEUM rebelles, & gravissimam iram DEI sentient, quicquid contra seductores garriant, *vers.* 6.

Vers. 7. *Ne igitur estote consortes eorum.*

Tanquam consectarium infert Præceptum 5. Quo generaliter dehortatur à consortio prædictorum vitiorum, & aliorum omnium quibus filii inobedientiæ se polluunt. Rationes præcepti sunt octo: Ratio prima præcessit. Ne fierent participes iræ in rebelles incumbentis, & superventuræ.

Vers. 8. *Eratis enim olim tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut Filii lucis incedite:*

Ratio 2. A mutato ipsorum statu, Quia ante conversionem vestram ad fidem, eratis mancipia ignorantiæ & flagitiorum, nunc verò in CHRISTO, sapientiæ & sanctitatis luce illustrati estis, ut lumen aliis præferatis (unde infertur præceptum idem affirmativè, scilicet, ut ambulent non ut filii tenebrarum, sed ut filii lucis, obedientes verbo DEI, quod lucem ad vitam rectè instituendam exhibet) Idcirco ne consortes sitis contumacium.

Vers. 9 (*Nam fructus Spiritus* situs est *in omni bonitate & justitia & veritate.*)

Ratio 3. Quia fructus SPIRITUS Sancti, per quem translati estis à tenebris ad lucem, situs est in bonitate, justitiâ, & veritate: Ergo fructus

fructus hos debetis proferre, non verò consortes esse contumacium in fructibus carnis.

Vers. 10. *Probantes quid sit acceptum Domino.*

Ratio 4. Qua etiam præceptum explicat de ambulando in luce, Quia studentes ut filii lucis ambulare, poteritis experimento cognoscere & exploratum habere, quid sit Deo acceptum, quidnon. Idcirco ne sitis ambulando in tenebris consortes contumacium.

Vers. 11. *Et ne commercium habete cum operibus illis infructuosis tenebrarum: sed potius etiam arguite.*

Ratio 5. Qua etiam explicatur & repetitur præceptum. Quia ambulantes ut filii lucis, non tantùm non communicabitis aliorum peccatis, sed etiam exemplo sanctæ vitæ vestræ redarguetis aliorum peccata. Ne idcirco illorum cosortes sitis, sed ab ipsorum moribus potiùs alienissimi.

Vers. 12. *Nam quæ occultè fiunt ab ipsis, turpe est vel dicere.*

Ratio præcepti 6. Quia opera tenebrarum quæ occultè perpetrant reliqui non conversi Ethnici, præ fœditate indigna sunt Christianis auribus. Ergo commercium habere cum ipsorum peccatis non debetis, sed potiùs redarguere ea, ut filii lucis.

Vers. 13. *Sed omnia, dum arguuntur, à luce manifestantur; lux enim illud est quod omnia facit manifesta.*

Ratio præcepti 7. Quia reprehensio occultorum peccatorum, quæ fit per vestram spectatam in luce vitam sanctam, impiorum conscientias punget, & manifestum faciet quod opera ipsorum sint mala: hoc autem ad ipsorum conversionem magnopere faciet: sic enim adduci poterint in sui cognitionem.

Lux] Confirmat hanc rationem, & probat vitam sanctam esse lucem. Quia lucis proprietatem habet, quatenus manifestat impiis, quod ipsorum opera mala sint.

Vers. 14. *Quapropter dicit, Excitare qui dormis, & surge à mortuis, & illuceset tibi Christus.*

Ratio 8. Confirmans priorem, Quia Spiritus Sancti vox in Scripturis, seu Prophetica & Apostolica doctrina, summatim sumpta huc tendit, ut dormientes & mortui in peccatis excitentur ad resipiscentiam, & veniant ad Christum per fidem, ut luce gratiæ Christi

illuminentur & serventur: Ergo omnes filii lucis hanc doctrinam verbo & factis præferre aliis, & propagare debent ad conversionem aliorum, & simul etiam commercium peccatorum vitare.

Vers. 15. *Videte igitur quomodo accuratè incedatis, non ut insipientes, sed ut sapientes:*

Præceptum 6. Ad observandum superius conducens. Ut adhibeant studium ad accuratè incedendum, sicut decet imbutos sapientiâ DEI in Euangelio revelatâ, & ne de via deflectant decepti, sicut qui ignari sunt voluntatis divinæ.

Vers. 16. *Redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt.*

Præceptum 7. Eodem tendens. Ne sinant tempus in otio & voluptatibus sibi eripi, & infructuosè perire, sed ut cum jacturâ voluptatum, vel inertis otii, vel inutilis negotii, captent, & quasi redimant occasiones benè agendi; Rationem reddit, Quia tempora periculorum plena erant, propter malitiam hominum, qui ipsis (incertum quam citò) libertatem, bona, & vitam ipsam cum benè agendi occasione omni, auferre possent.

Vers. 17. *Propterea ne estote imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.*

Ex hac ratione infert conclusionem: Ergo (inquit) prudentes estote, & non insipientes, observantes quid à vobis DEUS requirat ut præstetis diligenter & sine cunctatione, dum datur tempus.

Vers. 18. *Et ne inebriamini vino, in quo luxus est, sed implemini Spiritu:*

Præceptum 8. Vetans ne inebrientur vino vel potu quovis. Ratio præcepti est, Quia in hac ebrietate perditio est fortunarum, famæ, corporis, & animæ.

Implemini] Præceptum 9. Per antithesin propositum ut impleantur potiùs, & se exhilarent salutari aqua SPIRITUS Sancti, id est, ut studeant abundare in sensu lætitiæ, quæ est à DEI SPIRITU: in qua repletione non datur excessus.

Vers. 19. *Loquentes inter vos mutuò per Psalmos & hymnos, & cantiones spirituales: canentes & psallentes in corde vestro, Domino:*

Ratio præcepti à fructibus melioribus, quos gignit spirituale gaudium, quales sunt omnis generis spirituales cantus, præcipuè illi qui in sacris

sacris literis extant, quibus se mutuò ædificent, & ex corde seu spirituali affectu DEUM glorificent: Psalmus est sacra cantio in genere, præsertim quæ fit citharæ pulsu. Hymnus propriè DEI laudes continet. Ode, seu canticum nomen generale est.

Vers. 20. *Gratias agentes semper de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri.*

Usum & finem specialem cantionum Christianarum ostendit, ut gratias semper agamus per IESUM CHRISTUM DEO, & Patri nostro, de omnibus suis beneficiis, in quocunque statu fuerimus.

Secunda Pars.

Vers. 21. *Subjecti estote alii alibi, cum timore Dei.*

Secunda pars Capitis, in qua ut descendat ad æconomica præcepta, præmittit hortationem de mutua submissione in genere, ut servato ordine qui à DEO ponitur, omnes mutuas sibi præstent operas, & officia mutua; nam ubicunque regnat charitas, ibi mutua est servitus: Addit in timore DEI, quia ab hoc fonte fluere oportet hujus præcepti sinceram ex animo obedientiam in gloriam DEI: solus enim timor CHRISTI nostram ferociam domare potest, ne jugum recusemus, & subigere arrogantiam, ne servire proximis nos pudeat.

Vers. 22 *Uxores propriis viris subjectæ estote, ut Domino:*

Sequuntur præcepta æconomica. Primum est, Ut uxores subjiciant se suis viris, castè, sincerè, ex animo, & in rebus licitis. Rationes præcepti sunt quatuor.

Ut Domino Christo] Ratio prima, Quia CHRISTUS præcipit ut uxor subjiciatur marito suo, subjectionemque illam, ut obedientiam sibi præstitam interpretatur, & similiter uxoris rebellionem adversùs maritum judicat rebellionem adversùs seipsum.

Vers. 23. *Quoniam vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ: & is est qui salutem dat corpori.*

Ratio 2. Quia vir dignitate seu authoritate superior est, sicut Caput est corpore superius. Æquum ergo est ut Uxor ei subjiciatur.

Ut Christus] Ratio 3. Quia in viri autoritate supra uxorem extare voluit DEUS similitudinem autoritatis CHRISTI in Ecclesiam.

Et ipse est] Ratio 4. Illustrata eâdem similitudine, Sicut CHRISTUS est caput

est caput Ecclesiæ in bonum ipsius: sic Vir est caput Uxoris in bonum Uxoris, quam defendere, alere, & consolari debet in omnibus: Et sicut Ecclesiæ prodest ut CHRISTO subjiciatur, ita Uxori prodest ut Marito subjiciatur.

Vers. 24. *Itaque sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & uxores suis viris* subjectæ sunto *in omnibus.*

Ex his rationibus infert conclusionem: necessarium scilicet esse ut uxor Marito subjiciatur in omnibus, quæ subjectionem debitam DEO & CHRISTO non impediunt.

Vers. 25. *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea:*

Præceptum secundum, Datum viris de diligendis uxoribus suis; Rationes præcepti sunt quinque.

Sicut] Ratio prima ab exemplo dilectionis CHRISTI erga Ecclesiam, quam dilectionem commendat Apostolus ex his quatuor indiciis: 1. est quod CHRISTUS ex dilectione tradiderit semetipsum pro Ecclesia jam perditâ.

Vers. 26 *Ut eam sanctificaret, postquam eam purgasset lavacro aquæ per verbum:*

Indicium 2. Quod dilexerit Ecclesiam, & tradiderit se pro ea in eum finem ut eam sanctificaret, seu è profana & impura sanctam redderet.

Lavacro] Indicium 3. Quod CHRISTUS efficaciter Ecclesiam mundet sanguinis sui, & promissionis suæ gratuitæ virtute, quam per ordinaria media baptismi, & verbi, nobis applicat, tanquam per instrumenta Spiritus sui, ad fidem confirmandam & virtutem communicandam, ordinata.

Vers. 27. *Ut sisteret eam sibi gloriosam*, id est, *Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta & inculpata.*

Indicium 4. Quod eo fine Ecclesiam dilexerit, ut tandem sistat eam sibi in cœlo gloriosam, sine ullo vestigio vel peccati vel miseriæ, semper prosequuturus opus suum, donec effectum reddiderit.

Vers. 28. *Ita debent viri diligere suas uxores, ut sua ipsorum corpora; qui diligit suam uxorem, seipsum diligit.*

Ratio 2.

Ratio 2. Præcepti viris dati, de diligendis uxoribus suis. Quia uxores sunt suorum virorum corpora, secundùm DEI legem illam. *Erunt duo in unam carnem.*

Qui diligit] Ratio 3. Quia qui diligit suam ipsius uxorem, diligit seipsum, & sibi ipsi dilectionis officium præstat, siquidem in viri commodum ista dilectio uxoris propriæ, modis omnibus redundat.

Vers. 29 *Nullus enim unquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit ac fovet eam, sicut & Dominus Ecclesiam:*

Ratio 4. Quia tam est alienum à sapienti & bono viro, uxorem propriam non diligere, quam carnem suam odisse, & rationi tam consentaneum est uxorem alere & fovere, quam carnem propriam curare.

Sicut] Hanc rationem confirmat & illustrat exemplo CHRISTI, quod semper nobis ante oculos positum vult, tanquam perfectissimum dilectionis exemplar.

Vers. 30. *Quoniam membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus.*

Probat CHRISTUM diligere nos ut carnem suam, nec odisse posse, sed ex dilectione quasi constringi, ut nos nutriat & foveat: quia sumus membra corporis ejus: caro ex carne ejus, & os ex ossibus ejus, id est, tam ipsi conjuncti, quam Eva conjuncta fuit Adamo, nam quod Eva debebat Adamo in corpore, nos debemus CHRISTO in SPIRITUS nostri regeneratione, & amplius multò. In Evæ formatione jacturam fecit Adam unius tantùm costæ: In Ecclesiæ reformatione jacturam fecit CHRISTUS vitæ suæ. Sola Evæ materia est ab Adamo: à CHRISTO verò est Ecclesiæ formatio naturalis, & reformatio Spiritualis respectu & corporis & animæ uniuscujusque membri.

Vers. 31. *Propterea derelinquet homo Patrem ac Matrem; & agglutinabitur uxori suæ, & qui duo erant fient una caro.*

Ratio 5. Qua simul probat Ecclesiam debere CHRISTO originem suam; simul etiam probat, diligendas esse uxores à maritis, ex conjugii nimirum institutione, quæ requirit ut propter conjunctionem Mariti & uxoris, relinquat vir patrem & matrem, & agglutinetur uxori suæ, & hi duo uniantur in unam carnem, per vinculum conjugii, per quod jam mutuum jus est & potestas utriusque in se invicem; cujus institutionis verba typicum habent sensum: nam DEUS, *Gen.* 2. 23. dicendo, Tu caro es ex carne

ex carne mea, & os ex ossibus meis, intendebat CHRISTI & Ecclesiæ unionem repræsentare, & docere nos esse os ex ossibus CHRISTI, & carnem ex carne CHRISTI, id est, arctissimè nos uniri CHRISTO, quia in Adami sermone ad Evam præfiguratum fuit, CHRISTUM (ut esset una caro nobiscum, & nos efficeret unam carnem cum seipso per conjugium spirituale) quasi derelicturum fuisse Patrem suum (sepositâ modo quodam gloriâ illâ quam habebat cum Patre, se exinaniendo cum in forma DEI esset, & formam servi accipiendo.) Similiter etiam præfiguratum est CHRISTUM, Matrem suam Mariam relicturum fuisse, ut moriendo sibi emeret Ecclesiam sponsam, cum qua esset una caro.

Vers. 32. *Mysterium hoc magnum est; loquor autem de Christo, & de Ecclesia.*

Hoc postremum respiciens Apostolus, magnum vocat mysterium, non conjuugium carnale, sed unionem CHRISTI cum Ecclesia: & ne quis secùs intelligeret dictum, expressis verbis significat se non de conjugio carnali Viri & Uxoris, dictum illud de mysterio intelligere, sed de spirituali CHRISTI & Ecclesiæ conjunctione, quæ Spiritus non carnis virtute, fide, non aliquo naturali nexu, constat.

Vers. 33. *Itaque & nos singuli ita facite, suam quisque uxorem ita diligat, ut seipsum: uxor autem videat, ut revereatur virum.*

Missio mysterio, redit ad præcepta de Mariti & Uxoris officiis, & ponit ultimo loco Præceptum tertium, In quo omnia officia virorum revocat ad dilectionem sinceram, qualis est dilectio qua Vir diligit seipsum, & hanc dilectionem urget; Ex altera parte omnia officia Uxorum revocat ad timorem seu reverentiam erga virum, ne eum offendat, sed ei in DOMINO placeat in omnibus.

Caput

Caput Sextum.

Pergit Præcepta dare de Officiis Christianis Œconomicis, & Communibus. Capitis partes sunt duæ: Prima continet quatuor præcepta de Officiis œconomicis, ad versum 10. *In altera est Conclusio Epistolæ, continens communia officia aliquot, ad finem.*

Vers. 1. *Liberi, auscultate in Domino parentibus vestris: id enim est justum.*

Præceptum primum Liberis datum, de honorandis Parentibus de observantia & obedientia præstanda erga Parentes in omnibus, quantum per DEI voluntatem fieri potest. Rationes præcepti sunt quatuor: Primâ, Quia omni, & jure Divino, & jure [illegible]ræ justum est, ut liberi obediant Parentibus.

Vers. 2. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam: (quod est præceptum primum cum promissione.)*

Ratio 2. Quia expressè in Decalogo exigitur liberorum obedientia, ut pars honoris Parentibus debiti, & in Lege præscripti.

Quod est] Ratio 3. Quia hoc Præceptum est primum, quod habet *specialem* promissionem *specialiter applicatam.*

Vers. 3. *Ut bene tibi sit, & sis longævus super terram.*

Ratio 4. Quia obedientia liberorum erga Parentes in bonum liberorum cedit, & in benedictionem specialem, per vitæ temporalis prorogationem: quæ promissio vel simpliciter impletur, vel per commutationem hujus beneficii in multo majus vitæ melioris.

Vers. 4. *Et* vos *patres, ne provocate ad iram liberos vestros, sed enutrite eos in doctrina & monitis Domini.*

Præceptum 2. De officio Parentum in liberos, ne vel ex altera parte, nimia in liberos suos severitate, abutantur patria sua potestate, (ne animos liberorum à se alienent) vel ne ex altera parte, nimiâ indulgentiâ juvenilem petulentiam in liberis suis foveant; sed ut studeant potiùs vitia eorum corrigere, & bonos mores in DEI timore, eos docere.

Vers. 5. *Servi, auscultate iis qui vestri Domini sunt, secundùm*

carnem cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis vestri, ut CHRISTO.

Præceptum 3. De officio servorum in Dominos: cujus partes sunt sex. 1. Ut obediant Dominis suis, agnoscentes suam externam servilem conditionem, à DEO esse, & quod non exempti sint à servitute politica per CHRISTUM, qui politias nec tollit nec mutat. 2. Ut meminerint Dominos suos non esse conscientiarum Dominos, sed carnis, seu externi hominis, & in rebus quæ hanc vitam attingunt. 3. Ut serviant in reverentia, & metu iræ ipsorum. 4. Ut sepositio dolo candidè & sincerè agant cum Dominis suis. 5. Ut propter CHRISTI mandatum illis serviant, atque ita in illis observandis CHRISTO serviant.

Vers. 6. *Non ad oculum servientes, ut qui hominibus placere student, sed ut servi Christi, facientes ex animo quæ vult Deus.*

Vers. 7. *Cum benevolentia servientes Domino, & non hominibus:* Sexta Præcepti pars, ut sine fraude adulatoria, res dominorum suorum procurent omnes, non minus cum Domini absunt, quam cum præsentes ipsos inspectant, & non tam in eum finem ut Dominis placeant, quam ut DEO placeant. Denique, Ut serviant, non ex φιλαυτια, vel metu mero, sed ex benevolentiâ ut DEO non hominibus servientes: Servit enim DEO, qui præcipienti DEO, ut serviat hero suo, obtemperat.

Vers. 8. *Ut qui illud sciatis, singulos, quicquid fecerint boni, hoc reportaturos à Domino, sive servus fuerit, sive liber.*

Præter argumenta quæ tacitè in prioribus comprehenduntur, ad præceptum confirmandum, addit spem mercedis reportandæ à DEO, qui liberaliter remuneratur opera suorum servorum, sive sint in carne liberi, sive servi.

Vers. 9. *Et vos Domini, eadem facite erga illos, remissis minis: scientes vestrum etiam ipsorum Dominum esse in Cœlis, nec personæ respectum esse apud eum.*

Præceptum 4. De officio dominorum in servos, ut easdem virtutes sibi ex proportione applicantes, Christianum in modum exerceant herilem suam potestatem in servos: & in speciè, ut temperent sibi in minis ne tyrannicè imperitent.

Scientes] Rationes præcepti addit duas: 1. Quia Dominum habent supra se, qui potens est ad ulciscendum impotens ipsorum imperium: 2. Quia

2. Quia Deus justus est, qui non acceptat personam Domini vel servi, sed causam & opus utriusque spectat secundùm æquitatem.

Secunda Pars.

Vers. 10 *Quod superest, fratres mei, corroboramini per Dominum, & forte in ipsius robur:*

Altera pars Capitis, continens Epistolæ conclusionem; cujus quatuor sunt articuli: In primo hortatur ad constantiam in fide & vitæ sanctitate, & ad induendam armaturam spiritualem contra omnes hostes, cum quibus pugnandum est nobis, quamdiu vivimus, *Fratres* (inquit) *corroboramini in Domino.* Argumenta hortationis sunt tria: Argumentum primum, Quia communionem habetis cum Domino, in quo est potentia & robur; in quo si maneatis per fidem, ejusque gratia utamini, habebitis ipsum paratum in subsidium, cum potentiâ & efficaci operatione, ut audeatis, & valeatis vos fortiter opponere omnibus hostibus, & impedimentis. Corroboramini igitur in Domino.

Vers. 11. *Induite universam illam armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.*

Arg. 2. Quia muniti estis omni genere armorum, quæ ad bellum requiruntur. Ad quæ induenda hortatur eos ut possint in pugna adversus Diaboli insultus & insidias stare.

Vers. 12. *Quoniam non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi dominos,* rectores *tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias* quæ sunt *in sublimi.*

Arg. 3. Quia non est nobis lucta simpliciter adversus homines, sive adversus nostram carnem, sive adversus homines solum, (quæ pugna videri posset tolerabilis) sed est pugna nobis adversus omnium horum malorum autorem, Diabolum, totumque exercitum impurorum spirituum, qui non sunt imbecilles & gregarii milites, sed omnes sunt principatus & potestates, seu Spiritus qui dominantur in mundanos: & regunt impios (qui tenebræ hîc & alibi dicuntur) eosque excitant adversus nos: quique ut potentissimi sunt & astutissimi, sic & pravissimi: Et denique spirituales sunt, quos oculis discernere non possumus, & in toto aperto hoc aere volitant, ut possint quando volunt nos aggredi incautos, nisi vigilemus.

Vers. 13. *Propterea assumite universam illam armaturam Dei, ut possitis resistere tempore adverso, & omnibus confectis stare.*

Hinc repetit hortationem, ut armaturam DEI totam induant, ut & in die malo, seu die tentationis, & in die victoriæ, possint stare, expectantes novas hostis impressiones, & tandem expugnatis hostibus, triumphare.

Vers. 14. *State igitur lumbis circuncinctis veritate, & induti thorace justitiæ.*

Similitudine sumpta à militia corporali, subsidia nominat adversus DIABOLUM, quæ armaturæ corporali respondent, ad defensionem, & ad depellendum hostem accomodatæ; & in hunc finem stare jubet unumquemque, id est, in vocatione sua generali, & speciali, se continere, & vigilare adversus hostem. Partes autem armaturæ ad defensionem veritatis, sunt septem.

Lumbis] Prima, est constantia in doctrinâ veritatis, quam *balteo* comparat, qui laxiores corporis partes continet ne diffluant: nam cognitio ne vacillemus ob infirmitatem, nos corroborat.

Induti] Pars 2. Armaturæ est *Thorax justitiæ*, quo nomine intelligimus justitiam CHRISTI nobis applicatam, cui semper adnascitur sanctæ vitæ, bonæquæ conscientiæ studium; quod munit quasi pectus nostrum adversus impetus adversarii in fidem nostram, eamque sinceram esse demonstrat.

Vers. 15. *Calceatis pedibus præparatione Euangelii pacis.*

Pars 3. Est animi promptitudo ad Euangelium confitendum & promovendum, pro vocatione nostra, contra omnia impedimenta, & difficultates: hoc est, *calceari pedes præparatione euangelii.*

Vers. 16. *Insuper assumpto scuto fidei, quo possitis omnia jacula mali illius ignita extinguere:*

Pars 4. Est *scutum fidei*, seu fiducia in CHRISTUM, quâ tanquam scuto excipiuntur, & refelluntur omnes venenatæ tentationes DIABOLI, quas ut tela vibrat in nos hostis ille.

Vers. 17. *Galeam etiam salutarem accipite, & gladium spiritualem, hoc est verbum Dei:*

Pars 5. Est *Galea salutis*, seu spes certa de salute futura, quâ muniti & de victoria certi redditi, in pugna confidentius perseverare poterimus.

Gladius]

Gladius] Pars 6. *Gladius Spiritus*, seu verbum DEI, quo districto & vibrato DIABOLUM ipsum depellere & in fugam vertere possimus.

Vers. 18. *Omni prece & supplicatione, precantes omni tempore per Spiritum, & illi ipsi rei invigilantes cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis:*

Pars 7. Est *Precatio* quâ Christianus miles conversus ad Imperatorem suum CHRISTUM, auxilium ejus implorat, non semel sed omni tempore, quo necessitas urget, non frigide in labiis, sed in Spiritu ardenti: non languidè, quasi hostem non metuens, sed summo studio in hoc officio vigilans, non tantum pro se, sed etiam pro totâ Ecclesiâ, seu toto DEI exercitu, & pro singulis sanctis, pro ut ipsorum necessitas ipsi innotescit.

Vers. 19. *Et pro me, ut mihi detur sermo ad apertionem oris mei cum libertate, ut notum faciam mysterium Euangelii:*

Artic. 2. Conclusionis est, Hortatio ut precentur pro Apostolo, ut DEUS det ei plenè, planè & intrepidè confiteri & prædicare Euangelium.

Vers. 20. *Cujus causa legatione fungor in catena ut*, inquam, *de eo libere loquar, sicut oportet me loqui.*

Rationes hortationis sunt tres. Ratio prima, Quia hujus causa ego Apostolus legatus sum cum autoritate, ut Euangelium patefaciam.

In vinculis] Ratio 2. Quia in vinculis detineor propter Testimonium datum, in quo vobis comprecantibus confirmari me à DEO necesse est. *Ut oportet*] Ratio 3. Quia decet me Apostolum Euangelium cum parresia, & libera agendi ratione prædicare.

Vers. 21. *Ut autem sciatis & vos res meas, & quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charus frater, & fidus Minister in DOMINO:*

Vers. 22 *Quem misi ad vos ob id ipsum ut cognoscatis res nostras, & consoletur corda vestra.*

Artic. 3, Est de missione Tychici ad ipsos, cujus rationem reddit, à fine, nempe, ut sic Ephesii cognoscerent de Apostoli rebus, & consolationem caperent, propter DEI cum ipso in vinculis præsentiam, atque ita confirmarentur in fide.

Vers. 23. *Pax sit vobis fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo.*

Vers.

Vers. 24. *Gratia* sit *cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Iesum Christum ad immortalitatem, Amen.*

Artic. 4. Est benedictio Apostolica in qua sub voti formâ pronunciat pacem in fratres fideles, & charitatem cum fide, à DEO & CHRISTO amplius in eos effundendam & communicandam.

Deinde gratiam pronunciat in omnes qui sincero affectu diligunt CHRISTUM: quæ gratia fons est fidei illius quæ operatur per charitatem, & per quam pacem habemus cum DEO in æternum.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI *AD* PHILIPPENSES.

Summarium.

Philippi, Vrbs Macedoniæ, in qua ut fundaret Ecclesiam Apostolus, & fecit insignia & passus est, ut Act. 16. *patet.*

Occasio scribendæ Epistolæ hæc fuit; Miserant Philippenses Pastorem suum Epaphroditum ad Apostolum cum pecunia, ad ejus egestatem sublevandam, dum Romæ in vinculis detineretur: Hac arreptâ occasione scribit hanc Epistolam Apostolus, ut confirmaret eos in fide & pietate: Primò corda ipsorum muniendo contra scandalum crucis, seu vinculorum suorum, & ad Constantiam hortando, Capite primo. *Secundò, hortando ad Concordiam inter se, reliquasque virtutes quæ huc spectabant,* Capite secundo. *Tertio, hortando*

tando ad dequiescendam cum gaudio in Christi gratia & virtute, tanquam ad sanctimoniam & salutem abundè sufficiente; utque caveant sibi à Pseudapostolis, & imitentur Apostolorum, & sanctorum Ministrorum Christi exemplar, Capite tertio. *Denique, Post præcepta data de Christianis virtutibus, gratitudinem suam, pro ipsorum erga se liberalitate, ostendendo,* Cap. 4.

Caput Primum.

Præter Epistolæ præfationem, quæ versu 1. *& 2. continetur. Capitis tres sunt partes: Prima est confirmatio Philippensium in fide, in qua etiam Apostolus certos eos reddit de sua erga ipsos dilectione, ad* vers. 12. *Altera est remotio scandali, ne offenderentur Philippenses afflictionibus quibus ipse exercebatur, ad* vers. 27. *Tertia est hortatio ad pergendum in cursu pietatis pede inoffenso, ad finem.*

Vers. 1. *Paulus & Timotheus servi Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, una cum episcopis ac diaconis.*

Præfatio continetur directione Epistolæ, & salutatione Philippensium. Directio Epistolæ est à Paulo & Timotheo discipulo, tanquam teste Apostolicæ diligentiæ, in hac sua ad Ecclesiam Philippensium parænesi, ejusque Episcopos & Diaconos, id est, Pastores, & alios rerum Ecclesiasticarum Moderatores, qui Pastoribus adjuncti erant, ad vitæ & morum, aliarumque necessitatum Ecclesiæ, curationem.

Vers. 2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Salutatio continet Apostolicam benedictionem, quâ optat illis Gratiam & Pacem à Deo per Christum, sicut optare solebat aliis Ecclesiis ad quas scribebat. Nota erat satis huic Ecclesiæ autoritas Apostoli: æstimatione enim & gratia apud Philippenses plurimùm valebat; breviorem idcirco esse in autoritate sua apud eos confirmanda, & benevolentia ipsorum erga se comparanda, consentaneum erat.

Vers. 3 *Gratias ago Deo meo cum summa memoria vestri,*

Prima pars Capitis, in qua confirmat Philippenses in fide Euangelii, & de sua dilectione erga eos, argumentis septem. Propositio confirmanda est, Debetis

est, Debetis corroborari, seu confirmari in fide: Argumentum primum, Status vester in gratia DEI dignus est, pro quo DEO jugiter gratias agam, quoties vestri meminerim. Ergo in fide corroborari debetis.

Vers. 4. *(Semper in omni precatione mea pro omnibus vobis cum gaudio preces faciens)*

Arg. 2. Adeo persuasum mihi est de salute vestra, ut non nisi cum gaudio possim pro vobis precari. Ergo.

Vers. 5. *Super vestri in Euangelio participatione, à primo die usque ad hoc tempus:*

Arg. 3. Postquam vocati estis ad societatem Euangelii constanter gessistis vos: sicut Fideles & Sanctos decebat, ut mihi semper suavissima fuerit communio vestra & societas in Euangelio. Ergo.

Vers. 6. *Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi:*

Arg. 4. Persuasum habeo, DEUM opus specialis gratiæ inchoasse in vobis, & non deserturum opus illud suum in vobis, donec illud absolverit in vestra perseverantia, & absolutum ostenderit in adventu CHRISTI: Ergo corroborari debetis in fide.

Vers. 7. *Sicut justum est ut ego id sentiam de omnibus vobis, propterea quòd animo teneam vos, & in vinculis meis & in defensione & confirmatione Euangelii, vos* inquam, *omnes unà mecum fuisse gratiæ meæ participes:*

Arg. 5 Confirmans superius. Æquum est ut ita de vobis sentiam, quippe qui ex certis indiciis compertum habeam, vos verè fideles, & viva CHRISTI membra esse? Cujus rei signum est, quod animo & opere participes fueritis, factæ mihi gratiæ, (id est, passionum mearum, quas per DEI gratiam sustinui pro Euangelio, quando in vinculis jacebam) & participes etiam laborum meorum, quos in defendendo & propagando Euangelio exantlavi: Ergo corroborari in fide debetis.

Vers. 8. *Testis enim mihi est Deus quàm propensè amem vos omnes in visceribus Iesu Christi.*

Arg. 6. Testis est DEUS, qui animum meum vobis agglutinavit, quantopere in visceribus CHRISTI, seu Christianæ dilectionis affectu intimo, vos

mo, vos diligam, vestrâque societate frui cupiam: Confirmari igitur in fide, & de mea erga vos dilectione debetis.

Vers. 9. *Et hoc precor, ut charitas vestra adhuc magis ac magis redundet in cognitione, & omni sensu:*

Arg. 7. Sicut agnosco in vobis non mediocrem fidem & charitatem, sensumque rerum divinarum experientiâ confirmatum, sic sub spe futuri incrementi oro, ut abundet magis magisque charitas vestra ex abundantiori cognitione & sensu dilectionis DEI erga vos in CHRISTO: Ergo nisi meam, de vobis spem, & pro vobis, orationem assiduam minoris faciatis quam par est, in fide corroborari debetis.

Vers. 10. *Ut dignoscatis quæ discrepant, ut sitis synceri, & inoffenso cursu pergatis ad diem usque Christi:*

Vers. 11. *Pleni fructibus justitiæ, qui* insunt vobis *per Jesum Christum, ad gloriam & laudem Dei.*

Fines ostendit hujus precationis suæ quatuor, & simul tot alios precationis suæ articulos addit: 1. Ut valeant discrepantia explorare, id est, discernere verum à falso in doctrina, & bonum à malo in vita instituenda: & id quod excellentius est eligere: 2. Ut sint synceri sine mistura humanarum traditionum in cultu & corde, simul etiam, in vita & moribus puri: 3. Ut & inoffenso pede, & sine offendiculo aliis posito, ambulent & profectus faciant in fide in occursum Domini: 4. Ut repleantur fructibus justitiæ, qui oriuntur ex fide in CHRISTUM, & in gloriam DEI tendunt.

Secunda Pars.

Vers. 12. *Velim autem vos scire, fratres, quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelii evenisse:*

Secunda pars Capitis, in qua removet scandalum quod objici ipsis forte posset ab afflictionibus suis, in quibus pro Euangelio versabatur; idque præstat propositis Arg. 9. Quæ probant non debere Philippenses Apostoli afflictionibus offendi.

Argum. 1. generalius: Afflictiones meæ evenerunt ad profectum Euangelii, & non ad ejus impedimentum: Ergo iis non debetis offendi.

Vers. 13. *Adeo ut vincula mea in Christo celebriæ sint in toto prætorio, ac reliquis omnibus locis:*

Arg. 2. specialius. Causa Euangelii pro qua passus sum, est celebrior facta, & in aula Neronis, & in aliis locis, ex afflictionibus meis. Ergo iis non debetis offendi, sed ex mea in vinculis Constantia corroborari potiùs.

Vers. 14. *Et plerique ex fratribus in Domino, freti vinculis meis, magis audeant impavidè sermonem loqui.*

Arg. 3. Plures ex fratribus animati sunt ad Euangelium liberiùs profitendum & prædicandum. Ergo non debetis cruce mea offendi, sed aliorum exemplo edocti, confirmari potiùs in fide.

Vers. 15. *Ac nonnulli quidem per invidiam & contentionem, nonnulli verò etiam propensa voluntate Christum prædicant.*

Vers. 16. *Alii quidem,* inquam. *per contentionem Christum annuntiant non purè, existimantes sese afflictionem addere vinculis meis:*

Vers. 17. *Alii rursus ex charitate, scientes me ad defensionem Euangelii constitutum esse.*

Arg. 4. Occupatione objectionis propositum. Etiamsi verum sit aliquos invidere meæ gloriæ, ex constantia in vinculis reportatæ, quales sunt Judæi Pseudapostoli aliquot, qui litem mihi movere solent de legalibus suis Ceremoniis, & prædicant CHRISTI Euangelium fermento suo admixtum, partim ut mihi molestiam, & invidiam creent, ab auditoribus suis, partim ne ego in quovis supra ipsos eminere videar, partim denique ut his rationibus afflictionem addant vinculis meis: Alii tamen sunt qui bono animo CHRISTUM prædicant, & meam causam ex dilectione sustinere nituntur, scientes me à CHRISTO in defensionem Euangelii constitutum esse Apostolum, & jam vinculorum gloriâ ornatum. Ergo ob catenam meam non debetis erubescere, nec cruce meâ offendi.

Vers. 18. *Quid igitur? attamen quovis modo, sive in speciem, sive sincerè, Christus annuntiatur: de hoc quoque gaudeo, atque etiam gaudebo:*

Arg. 5. Ego susque deque habeo quo fine Æmuli mei Euangelium prædicent; de hoc gaudeo, quod CHRISTI nomen ex meis vinculis, & ex prædicatione aliorum, quali quali, inclaruerit. Ergo etiam & vos mecum lætari debetis, nec vinculis meis offendi.

Vers. 19. *Novi enim fore, ut hoc mihi cedat salvti per vestras preces, & subministrationem Spiritus Iesu Christi,*

Arg. 6.

Arg. 6. Tantùm abeſt, ut ego hac afflictione animo dejiciar, ut contra perſuaſum habeam fore, ut hæc quoque afflictio mihi ad ſalutem cedat, utque etiam interventu precum veſtrarum Spiritus CHRISTI copioſiùs indies mihi ſuppeditetur. Ergo nihil eſt quod meis vinculis offendamini.

Verſ. 20. *Secundùm intentam expectationem & ſpem meam, quod nulla in re pudefiam, ſed cum omni libertate, ut ſemper*, ita *nunc quoque magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam ſive per mortem.*

Hanc perſuaſionem explicat ſpecialiùs, & addit Arg. 7. Exerto Capite ſperans expecto, fore, ut non tantùm nunquam pudefiam, tanquam deſtitutus auxilio CHRISTI, ſed etiam fore, ut libera prædicatione, & confeſſione Euangelii glorificetur CHRISTUS in me, ſive vitam produxero, ſive Martyrio eam finiero: Ergo non debetis offendi meis afflictionibus.

Verſ. 21. *Mihi enim* eſt *Chriſtus, & in vita & in morte lucrum.*

Arg. 8. Paratus ſum ad moriendum pro CHRISTO, & perinde habeo ſive vivam ſive moriar, ſive affligar, ſive non, modò CHRISTUS glorificetur: ſiquidem CHRISTUS mihi pro lucro eſt, ſi diutius vixero, quia vivus CHRISTUM prædicaturus ſum, & in lucro eſt CHRISTUS etiamſi brevi moriar, quia tum CHRISTUM aditurus ſum, & cum eo perpetuò manſurus. Ergo & vos, nihil ſpectantes præter id quod in gloriam CHRISTI cedat, mea catenâ non debetis offendi.

Verſ. 22. *Utrum verò vivere in carne mihi operæpretium ſit, & quid eligam, ignoro.*

Hoc argumentum confirmat ex eo quod difficilis eſſet futura electio, ſi optio ipſi daretur vivendi vel moriendi; nam ad vivendum nihil alliciebat, præter fructum operis ſui in Miniſterio: ad moriendum vero, alliciebat deſiderium potiundi CHRISTO, ita ut non facilè ſtatuere potuerit, utrum ex his eligeret. Unde perſpicuum erat Apoſtolum ſuis vinculis non moveri, quamdiu in CHRISTI gloriam cedere poſſent.

Verſ. 23 *Coarctor enim utrinque, deſiderans migrare, & eſſe cum Chriſto: nam id longè optimum eſt:*

Verſ. 24. *Sed permanere in carne, magis neceſſarium eſt propter vos,*

Idem amplius illustrat, ostendens se coarctari maxime, ab altera parte desiderio fruendi CHRISTO; quo nihil optabiliùs esse poterat, si suum emolumentum respiceret, ex altera verò parte in Ecclesiæ utilitatem cessurum videbat, si vita animalis ipsi prorogaretur. Manifestum igitur erat mortem etiam gratam futuram, non afflictionem tantum pro CHRISTO.

Vers. 25. *Et hoc confisus, novi me mansurum esse, & una permansurum cum vobis omnibus, ad vestrum profectum & gaudium Fidei.*

Vers. 26. *Ut abundet gloriatio vestra in Christo Iesu de me, mea rursus apud vos præsentia.*

Arg. 9. Ad amoliendum scandalum crucis ipsi incumbentis, in super addit, Etiamsi paratus sim ad moriendum, ex revelatione tamen novi me nondum esse moriturum, sed mansurum in vivis, ad promovendam vestram salutem, & fidei vestræ gaudium, & quod sim ad vos rediturus, & vobiscum versaturus, ut gloriatio vestra in CHRISTO abundet, ex observata & spectata CHRISTI potentiâ in mei liberatione, & reditu. Ergo meis vinculis offendi non debetis, sed in fide confirmari potius.

Tertia Pars.

Vers. 27. *Tantùm ut dignum est Euangelio Christi, vos gerite, ut sive venero & videro vos, sive absens fuero, audiam de rebus vestris, vos perstare in uno Spiritu, uno pariter animo decertantes per fidem Euangelii.*

Tertia pars Capitis, continens hortationem ad constantiam in Fide, Ut unanimes persitent in professione Euangelii, decertantes per fidem, adversùs omnes adversarios. Argumenta hortationis quæ probant constanter esse perseverandum in fidei professione sunt novem.

Tantum] Argumentum primum, Hoc unicum requiro à vobis, ut incedatis dignè Euangelio, id est, ut vestram conversationem ad normam Doctrinæ Euangelicæ componatis, vestrum officium tantùm respicientes, de reliquo vero securi. Ergo quicquid vobis accidere poterit, pergendum constanter in Fide Euangelii.

Dignè] Arg. 2. Dignitas Euangelii CHRISTI, & vestrum jus in civitatem

in civitatem Sanctorum id postulat à vobis : Perseverandum ergo constanter.

Vt sive] Arg. 3. Ex vestra fortitudine & constantia in fide consolationem accepturus sum, sive absens sive præsens : Constanter ergo vobis pergendum.

Vers. 28. *Nec ulla in re territos ab iis qui se opponunt : quod illis quidem est exitii indicium, vobis autem salutis : idque à Deo :*

Arg. 4. Nulla causa est, propter quam terreamini adversariorum minis vel potentia : Pergendum igitur fortiter.

Quod illis] Arg. 5. Imminentis omnibus vestris perfecutoribus perditionis præsagium est, quod hostili sint adversùs vestram Ecclesiam animo : Ergo sine metu perseverandum est vobis.

Vobis] Arg 6. Constans vestra defensio Euangelii adversùs oppugnatores, indicium est & signum firmissimum victoriæ & salutis à Deo, vobis Euangelii defensoribus concedendæ : Confidenter igitur perseverandum.

A Deo] Arg. 7. A Deo procedit ex speciali consilio ad salutem vestram qui defenditis Euangelium, quod cum adversariis committamini : Constanter ergo pergendum est vobis.

Vers. 29. *Quia vobis datum est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi :*

Arg. 8. Datum est donum singulare vobis, præ multis aliis fidelibus, idque propter Christi meritum, ut non tantùm credatis in Christum, sed etiam jam passi, vel postea passuri, sitis pro Fide Christi.

Vers. 30. *Idem certamen sustinendo quale vidistis in me, & nunc auditis de me.*

Arg. 9. Habetis me socium & commilitonem in afflictionibus vestris, qui, ut nostis, & Philippis, & alibi sæpiùs, multa passus sum, & nunc Romæ patior vincula : Ergo vobis sine metu pergendum in Fide, & professione Euangelii.

Caput

Caput Secundum.

Philippenses armatos contra hostes, hortatur Apostolus ad concordiam cum fratribus.

Capitis duæ sunt partes: Prima continet hortationem ad mutuam concordiam, ad vers. 19. *Altera continet ipsorum consolationem. Ad Concordiam suadendam Argumenta affert.* 15. *Quæ omnia probant concordiam in fide, charitate, & studio bonorum operum colendam.*

Vers. 1. *Si qua igitur consolatio* est *in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio Spiritus, si quæ viscera ac miserationes,*

Argumentum primum valdè patheticum est, Cujus sensus est, Ego vos obnixè rogo, ut concordiam inter vos colatis, per vestra officia, & omnia charissima, vos obtestans: Ergo, Si vel Apostolica exhortatio apud vos locum ullum habeat, vel si ullam experti estis consolationem in CHRISTO, Si mihi vincto solatium aliquod à vobis expectari potest, Si vobis mecum aliqua est Spiritus communio: Si vultis aliquam misericordiam erga me ostendere, Concordia inter vos mutua colenda est.

Vers. 2. *Explete meum gaudium, ut itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes, unanimes, & sententiis uni.*

Arg. 2. Gaudium mihi jam variis modis creatis, quod supereſt, si concordiam colueritis, gaudium meum complebitis: Ergo studendum ut eadem credatis, & eadem velitis, seu ut unanimes in charitate idem sapiatis, pariterque sitis affecti, animis & cordibus inter vos uniti: Atque hîc expressè habetur hortatio.

Vers. 3. *Nihil* gerite *per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem existimet.*

Subjungit quatuor adminicula, quæ hortationis suæ obedientiam reddant faciliorem, quæque pro membris hortationis numerari, simul & pro argumentis ad Thesin probandam, inservire possunt.

Adminiculum primum, & primum membrum hortationis, Ut vitent contentionem & inanem gloriam, quibus si quis indulgeat concordiam statim rumpet. Hinc Arg. 3. Si contentioni, & inani gloriæ renunciaveritis,

ritis, concordiam coletis: Ergo nisi velitis hæc vitia profiteri, Concordia vobis colenda est.

Sed ex] Adminiculum 2. & membrum hortationis secundum, Ut studeant in humilitate animi alios sibiipsis ex animo præferre, tanquam meliores: quæ quidem cogitatio cum veritate, & sine deceptione consistere potest, quia nostra hæc de aliis nostris fratribus sententia, non requirit absolutum judicium, sed contenta est partim suspenso, partim negativo judicio, quo vel dicitur, forte comparatis comparandis ille me melior est, vel quantum de me & illo mihi cognitum est, non illi me præfero; sed illum mihi, nempe quia ignoro occulta cordis illius, sed mei cordis perversitatem video. Hinc Arg. 4. Si ex animi humilitate alios vobis præcellere existimaretis Concordiam colere possetis. Ergo nisi superbiam vestram profiteri velletis, Concordia vobis colenda est: nam non æstimatur hominis præstantia ex donorum mensura, sed ex fidelitatis, sinceritatis, & probitatis mensura.

Vers. 4. *Ne sua quisque spectetis, sed unusquisque etiam quæ sunt aliorum.*

Adminiculum 3. & tertium membrum hortationis, tendens ad humilitatem simul, & concordiam fovendam, Ut unusquisque consideret, non suas virtutes tantùm, nec quæ ad commoditatem suam spectant tantùm, sed etiam aliorum virtutes, & quæ ad uniuscujusque utilitatem spectant; sic enim alios pluris, nosmet vero minoris æstimaremus, & minus iniqui in omnibus futuri essemus: Hinc Arg. 5. Si aliorum virtutes & commoda sicut vestra spectaretis, concordiam facilè coleretis: Ergo nisi iniqui esse, & haberi statuatis, Concordia vobis colenda est.

Vers. 5. *Itaque is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Iesu.*

Adminiculum 4. & membrum quartum hortationis est exemplum CHRISTI, quod imitandum ipsis proponitur, ut humilitatem discant, & simul veram charitatem ad concordiam exerceant, Hic primùm in genere requirit ut idem sit affectus in iis, qui fuit in CHRISTO, Hinc Arg. 6. Tenemini sic animo affici erga vos invicem, sicut CHRISTUS est affectus erga nos, ipsius modestiam & morum suavitatem imitantes. Ergo debetis concordiæ inter vos impensè studere.

Vers. 6. *Qui quum esset in forma Dei, non duxit rapinam, parem esse cum DEO.*

Arg. 7.

Arg. 7. specialiùs attingit exempli in CHRISTO propositi imitationem, *vers.* 6. & 7. in hunc sensum, CHRISTUS licet PATRI æqualis, humiliavit se tamen ad mortem crucis, ut Pacem & Concordiam inter PATREM & nos conciliaret. Ergo multò magis debetis Concordiæ inter vos colendæ causa, vosmet humiliare. Describitur autem CHRISTI excellentia hoc versu: Humiliatio verò ipsius, duobus sequentibus.

In forma Dei] CHRISTI excellentia in se ante assumptam carnem in his 5. describitur: 1. Quod sit persona subsistens: 2. In forma DEI, *id est*, quod habeat essentiam DEI, naturalibus proprietatibus Deitatis imbutam, seu quod sit verus DEUS. 3. Quod sit imago Patris substantialis. 4. Quod sit Patri æqualis per omnia; quia eandem habet cum Patre Deitatem: 5. Quod perfectè sciat se nullam Patri injuriam facere, dum æqualem se Patri affirmat, & nullam ei injuriam facturum fuisse, si non posito decreto de ipsius humiliatione, voluisset in gloria suæ Deitatis coram mundo se ostendere; hæc est CHRISTI excellentia.

Vers. 7. *Sed ipse se exinanivit, forma servi accepta similis hominibus factus*:

Vers. 8. *Et habitu compertus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Sequitur CHRISTI voluntaria humiliatio, quæ *exinanitio sui ipsius* dicitur, non quod desierit esse in se, quod erat, sed quod gloriæ & majestatis suæ manifestationem sepposuerit, & abdiderit in forma servi, quasi nullam habuisset, vel quasi ita abjecisset, ut nec à mundo, imò nec ab oculatis suis servis, nisi per rimas verborum & operum conspici posset, quantum æconomia operis redemptionis postulabat.

Gradus seu partes hujus voluntariæ humiliationis, seu exinanitionis sunt quinque, Primus gradus in eo consistit, quod sumpserit, seu assumpserit formam servi, seu veram naturam humanam, (qualis in servis vilissimis, seu infimæ sortis hominibus reperitur) naturamque humanam personali unione sibi univerit: hic se demisit à cœlo ad terram. Secundus gradus in eo consistit, Quod in humana natura demiserit se infra statum liberorum hominum, ad conditionem externam inter homines abjectissimam, id est, servilem: assumpsit enim formam servi.

Similis] Declarat veritatem incarnationis, quod factus sit similis nobis, sicut unus ex nobis, in naturæ humanæ partibus essentialibus, corpore

pore & anima; similis in proprietatibus naturæ humanæ naturalibus, & affectibus omnibus; similis in infirmitatibus communibus, quæ speciem humanam sequuntur: Denique quod sit nobis in omnibus similis, excepto peccato.

Habitu inventus] Confirmat incarnationis veritatem, quod habitu compertus sit ut homo, nam omnes qui cum eo versati sunt, boni pariter & mali, omnibus modis quibus quivis homo comperitur homo, observarunt & comperierunt eum esse hominem verum, & certò cognoverunt, ex vera corporis humani forma & substantia, ex veris humanæ vitæ actionibus, verisque verè hominis proprietatibus, omnique habitu in quo invenitur ullus homo.

Ipse se submisit] Tertius gradus humiliationis in eo est, quod cum jam homo factus esset, nec nisi ex pacto voluntario ad manendum in terra, vel jugum legis (meris hominibus impositum) subeundum obligatus fuerit, (quippe non merus homo, licet verus homo, sed DEUS in carne, cujus caro erat caro DEI, & idcirco DOMINUS legis, non sub lex erat) se tamen *ipse submisit*, seu ex voluntaria æconomia, se Patre minorem in humiliationis statu fecit. (nam naturæ divinæ respectu, quæ eadem est Patris & filii, minor esse non potuit) jugumque legis, meris hominibus destinatæ, in se recepit, nec id solùm, sed etiam absolute se submisit, ut faceret omnia quæ Pater imperaret ad hominum redemptionem perficiendam.

Factus obediens usque] Quartus gradus in eo consistit. Quod susceptum jugum tota vita patienter gesserit, in omnibus mandata Patris exequens, *usque ad mortem*, seu depositionem vitæ humanæ, pro ovibus suis, ex mandato Patris.

Crucis] Quintus gradus in eo est, quod ad violentam, maledictam, ignominiosissimam mortem crucis obediens fuerit.

Vers. 9. *Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen*:

Vers. 10. *Ut ad nomen Iesu omne genu se flectat, cælestium ac terrestrium, & subterraneorum*:

Vers. 11. *Omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum, ad gloriam Dei Patris.*

Sequitur tribus his versibus CHRISTI propter nos humiliati secundùm humanam naturam remuneratio, per ipsius exaltationem propter

nos: Unde deducitur Arg. 8. in hunc sensum, Sicut CHRISTUS postquam se humiliavit ad reconciliandos DEO homines, pacemque inter partes confirmandam à DEO est exaltatus, & gloriâ coronatus: Sic etiam vobis Concordiæ in Ecclesia tuendæ causa, vosmet humiliantibus expectanda est exaltatio. Ergo si verum iter ad gloriam tenere vultis, imitamini CHRISTUM, & Concordiæ fovendæ causâ vosmet humiliate.

Quapropter] Sensus est, Quia CHRISTUS propter nos in nostra carne ultrò sese humiliavit, obediens factus usque ad mortem, DEUS eum propter nos, in carne nostra etiam in summam extulit sublimitatem: Nam suscitato CHRISTO à mortuis ad vitam glorioſam & immortalem, elevato ad supremum Cœlum, & collocato ad dextram suam in dignitate & imperio, supra omnes creaturas; dedit secundùm gratioſam suam voluntatem, & dispensationem negotii de salute nostra gratioſam, nomen supra omne nomen, glorificans EUM ea gloriâ quam olim habuit apud PATREM, (patefactâ scilicet gloria Deitatis, quæ priùs occultabatur, & patefactâ hypostaticâ unione humanæ naturæ) imperans & efficiens, ut CHRISTUS crucifixus, ubique prædicaretur, dominaretur, adoraretur, invocaretur ut verus DEUS, & unigenitus DEI FILIUS.

Ad nomen] Efficaciam & effectum hujus exaltationis CHRISTI sequuturum ostendit Apostolus, nempe; Quod omnis creatura tandem subjicienda sit CHRISTO, ita ut nisi sponte se submittat, cogenda sit tandem, nomen, seu potestatem, autoritatem, & dominium ejus agnoscere (quod Metonymia *Genuflexionis* exprimitur). Quod ad Cœlestia attinet, non est dubium, quin Angeli, & Spiritus Justorum ei genuflectant, hoc est, ei se submittant; nam Spiritus genua propriè non habent. Quod ad terrestria, Omnes homines tandem confitebuntur, si non sponte, saltem inviti & coacti, CHRISTUM qui crucifixus est, Judicem esse, & Dominum, & DEI FILIUM. Denique, quod ad subterranea attinet: (quo nomine intelliguntur DÆMONES, & spiritus DAMNATORUM, qui jam sunt in carcere) sistendi sunt impuri omnes spiritus illi, ad ejus Tribunal, nolint velint, & sententiam Judicis cum agnitione Majestatis, & Dominii ejus admissuri. Atque ita tandem genuflectent, etiam omnes ejus hostes, quicunque nunc se ei opponunt.

Omnisque lingua] Denique, ne agnitio nominis, & potestatis CHRISTI tota differri videatur ad ultimum usque judicium, declarat fore ut omnis lingua, seu ex omni gente & natione, gloriam accepturus sit CHRISTUS, vel in voluntaria conversorum ex Gentibus agnitione & professione, quod

CHRISTUS

CHRISTUS sit Dominus, idque in gloriam PATRIS (qui vult honorari in FILII sui Unigeniti glorificatione) vel quia multi non convertentur fore tandem in Die Judicii, ut clarissimè & plenissimè patefiat CHRISTI dominium, cum omnes Creaturæ in Cœlo, Terra, & Inferno ipsum agnoscent DOMINUM.

Vers. 12. *Proinde, dilecti mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea solùm, sed nunc multò magis in absentia mea, cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.*

Arg. 9. Ad concordiam colendam, conclusionis forma ex superioribus deductum: Semper mihi auscultastis hactenus, & cum præsens essem, obedivistis meis exhortationibus. Ergo huic exhortationi ad Concordiam inter vos colendam obedire debetis multo magis in absentia mea, cum pauciora adjumenta ad ædificationem, & plures inimicos, qui vos in partes scindant, habetis.

Cum timore] Arg. 10. Cursus ad salutem inchoatus, in studio justitiæ conficiendus est vobis in timore & tremore, ne offendatis in via, vel DEUM ullo modo provocetis ad iram: Ergo colenda est vobis inter vos Concordia; nempe in Fide, Charitate, & Studio bonorum Operum, ut *vers.* 2. habetur.

Vers. 13. *Deus enim is est qui efficit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis, pro gratuita sua benevolentia.*

Arg. 11. Confirmans superius, Nihil habetis in vobis propter quod superbiatis, aut alii alios, in contentione contemnatis: Sed omne bonum in vobis est à DEO, qui & ipsum velle bonum, & ipsum agere efficit in vobis, pro gratuita sua benevolentia: Ergo colenda est concordia in fide, charitate & studio bonorum operum, & vobis conficiendus est inchoatus salutis cursus in timore & tremore, ne DEUM in vobis operantem provocetis.

Vers. 14. *Omnia facite absque murmurationibus ac disceptationibus:*

Arg. 12. Hortationis forma propositum, Alieni esse debetis tum ab omni maligna & occulta simultate, tum ab apertis contentionibus & rixis: Ergo colenda est inter vos concordia in fide, *&c.*

Vers. 15. *Ut sitis irreprehensi & sinceri, Filii*, inquam, *Dei, inculpati, in medio nationis pravæ ac perversæ; inter quos homines splendetis ut luminaria in mundo,*

Vers. 16. *Sermonem vitæ prætendentes: ut gloriari possim in die Christi me non frustrà cucurrisse, nec in vanum laborasse.*

Arg. 13. Studendo concordiæ, & vitando contentiones (& non aliter) præstabitis vos verè Christianos in conspectu impiorum; Ergo colenda est vobis concordia, & vitandæ contentiones: generalia autem quæ hic requirit officia Christianorum, aliis atque aliis expressionibus commendat, Debetis enim, inquit, *inculpati* esse, qui jure à quoquam argui non possitis, & *simplices* seu sinceri, in quibus innocentia & candor appareat, & *ut filii Dei inculpati* DEUM patrem vestrum sanctitate & innocentia referre, ut ne hostes *pravi & perversi* jure reprehendant, sive culpent quidquam in vobis; debetis tanquam *luminaria* spiritualia majora & minora, verbo & opere, exemplaria justitiæ vos mundo in tenebris jacenti ostendere, Denique illuminati à Sole justitiæ in Euangelio, seu sermone DEI vivifico, debetis hujus sermonis lucem, veritatem & virtutem verbis & operibus pereunti mundo præferre & exhibere, ut salventur, quantum fieri potest.

Vt gloriari] Arg. 14. Si concordes vixeritis, & vos, ut decet fideles, geratis, gloriabor ego in salute vestra in die judicii, quando labores mei in Euangelio non frustra fuisse, sed ad vestram salutem cessisse comperientur: Ergo nisi & mihi, & vobis invideatis tantam felicitatem, concordiæ in fide, & studio bonorum operum, vobis incumbendum est.

Vers. 17. *Quin etiam si pro libamento offerar super hostia sacrificioque fidei vestræ, gaudeo & gratulor omnibus vobis.*

Vers. 18. *Itidem autem & vos gaudete, & gratulamini mihi.*

Arg. 15. Consolationem includens, ne afflictionibus Apostoli contristentur, in hunc sensum, Ego per Euangelium adduxi vos ad CHRISTUM, tanquam sacrificium, ut mactatis affectibus vestris pravis, hostia sancta, & accepta DEO sistamini; Et jam si Martyrii mei sanguine, tanquam libamento addito, perfici poterit mei Ministerii, & vestræ fidei spirituale sacrificium, gauderem de meo bono, & gratularer vobis omnibus de vestro: Ergo vos mihi vicem rependite, & in unanimi sacrificii hujus perfectione gaudete, & de fructu laborum meorum mihi quidquid acciderit gratulamini: Quod idem est cum thesi, *vers.* 2. *Gaudium meum explete, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, &c.*

Secundæ

Secunda Pars Capitis.

Vers. 19 *Spero autem in Domino Iesu, me Timotheum brevi missurum vobis, ut & ego bono sim animo, cognito statu vestro.*

Secunda pars Capitis, in qua consolatur Philippenses, ex commendatione Timothei ad eos venturi; (addita spe adventus sui) & Epaphroditi jam profecti ad ipsos: opus enim erat Philippensibus his auxiliis adversus seductores, & male feriatos homines, qui ipsis insidiabantur, eisque negotium facessebant:

Ut & ego] Finem missionis Timothei ostendit Apostolus hunc esse, ut & illi consolationem caperent ex nuncio liberationis suiipsius à vinculis, ad eos perlato per Timotheum, & ut ipse per rediturum ab iis Timotheum consolationem etiam caperet ex nuncio, de prospero ipsorum statu.

Vers. 20. *Neminem enim habeo pari animo præditum, qui germanè res vestras curaturus sit.*

Argumenta commendationis Timothei sunt tria: 1. Quia nemo tam prompto & sincero animo affectus erat ad salutem, seu res ipsorum curandas, & ipsorum consolationem promovendam, quam Timotheus.

Vers. 21. *Nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Iesu.*

Arg. 2. Confirmans superius, quia cum omnes ferè alii qui cum ipso erant, commoda & quietem suam sequentes detrectabant tam longi itineris susceptionem ad Philippensium consolationem; solus Timotheus ad iter paratus fuerit, CHRISTI & Ecclesiæ negotiis, commoda sua & quietem suam, posthabens.

Vers. 22. *Porrò probationem ejus nostis, quòd veluti cum patre filius, mecum servierit in Euangelio.*

Arg. 3. Commendationis, Quia non ita pridem Timotheus eodem cum Apostolo animo Philippis servierat in Euangelio, quod ipsis experientia notum erat.

Vers. 23. *Hunc igitur spero me missurum simulatque videro rerum mearum statum.*

Vers. 24. *Confido autem in Domino, me quoque citò venturum ad vos.*

Tempus missionis Timothei ostendit futurum, quam citò sibi de suæ ex vinculis liberatione certò constiterit, Simul spem facit adventus sui, sperabat enim fore propediem per DEI bonitatem, ut è carcere liberaretur.

Vers. 25. *Sed necessarium duxi, Epaphroditum fratrem & collegam ac commilitonem meum, vestrum autem legatum, quique mihi subministravit quibus mihi opus erat, ad vos mittere.*

Fuit spes adventus Timothei, & ipsius etiam Apostoli, sequitur remissio Epaphroditi Pastoris Philippensium, qui pecuniam in Pauli usum attulerat, & Paulo in carcere ad tempus ministraverat: Hunc commendat quinque Epithetis honorificis: 1. Ut fratrem: 2. Cooperarium: 3. Commilitonem: 4. Fidelem legatum Philippensium: & 5. Publicum Ministrum necessitatis Apostoli in carcere.

Vers. 26. *Quoniam expetebat omnes vos, & gravissimè angebatur, propterea quòd audisset eum ægrotasse.*

Causas remissionis ipsius ostendit quatuor, quæ & commendationis sunt Argumenta. Prima est Epaphroditi in Philippenses Pastoralis amor: 2. Solicitudo ejus de Philippensium dolore, quia sciebat eos de ipsius morbo certiores factos, & de recuperata valetudine nihil audisse.

Vers. 27. *Et certè ægrotavit proximè mortem: sed Deus misertus est ejus, nec ejus solùm, sed & mei, ne dolorem haberem super dolorem.*

Rumorem de Epaphroditi morbo confirmat, & commendat specialem DEI gratiam factam, & erga Epaphroditum, & erga se, qua DEUS curabat, restituendum Epaphroditum, ad sanitatem ne Apostolus nimis affligeretur.

Vers. 28. Eo *studiosius itaque eum misi, ut quum videretis eum rursus, gaudeatis, & ego magis vacem dolore,*

Tertia causa eum remittendi, fuit gaudium Philippensium; Quarta causa fuit levatio ægritudinis Apostoli, qui in Philippensium gratiam maluit se privari Epaphroditi servitio, alioqui perneccssario, quam ferre ut illi diutius carerent suo ministro.

Vers. 29. *Excipite igitur eum in Domino cum omni gaudio: & tales in pretio habete.*

Hinc

Hinc hortatur ut eum excipiant sicut dignus erat, & tanquam gemmam aut thesaurum, eum & similes Ministros in pretio habeant.

Vers. 30. *Nam propter opus Christi accessit ad mortem usque, non habita vitæ ratione, ut suppleret defectum vestri erga me officii.*

Hortationis rationes addit quatuor: Primò, Quia opus CHRISTI peregerat in Apostolo consolando: 2. Quia cum periculo vitæ Apostolo ministraverat: 3. Quia servitium susceptum prætulerat vitæ suæ, negligentior valetudinis suæ, quam rerum Apostoli curandarum: 4. Quia suppleverat absentiam Philippensium, qui (sicut ex debito tenebantur) studiosè cupiebant Apostoli necessitatibus inservire.

Caput Tertium.

HOC Capite hortatur Apostolus, ut acquiescentes cum lætitia in solo CHRISTO, *seu solâ ejus justitiâ, gratia & virtute, tanquam ad sanctitatem & felicitatem abundè sufficiente, caveant sibi à Pseudapostolis, & sequantur exempla Apostolorum, & fidelium Ministrorum Christi.*

Hortationis primæ tria sunt membra tribus primis versibus proposita: Primum, Ut gaudeant in uno Christo. Secundum, Ut caveant sibi à falsis doctoribus judaizantibus. Tertium, Ut imitentur exemplum Apostolorum & Fidelium, qui Christo toti adhærent. Argumenta hortationis sunt novem, quæ omnia urgent, ut adhærentes Christo, imitentur Apostolorum exemplum.

Vers. *QVod superest, Fratres mei, gaudete in Domino. Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est.*

Primum hortationis membrum, ut gaudeant in CHRISTO, id est, cum lætitia acquiescant in ejus justitia & virtute, nec sibi extra eum subsidia quærant ad salutem: proponitur autem istud quasi finis totius superioris doctrinæ, & Christianorum omnium officiorum compendium.

Eadem] Argumentum primum, Per occupationem objectionis, Usque adeò utilis vobis est hæc hortatio, ut mihi non sit molestum eam

eam sæpius repetere & inculcare, nec debet vobis esse molestum, eandem sæpius audire: Ergo hanc doctrinam de CHRISTI sufficientia penitus imbibentes, ipsi adhærete.

Vers. 2. *Cavete canes, cavete malos operarios, cavete concisionem.*

Secundum membrum hortationis, Ut caveant sibi à Pseudapostolis, qui justitiam ex operibus & ceremoniis legis cum gratuita justificatione per fidem, nexu impossibili, conjungebant.

Canes] Arg. 2. Pseudapostoli ex Judæis judaizantes, justitiam legis cum justitia fidei confundentes, & sic in justitia CHRISTI sola non acquiescendum docentes, non sunt sancti DEI cultores, ut præ se ferunt, sed *impuri canes* oblatrantes puræ Euangelii doctrinæ, & sinceros CHRISTI servos conviciis proscindentes: non sunt bonorum operum Patroni, sed *mali operarii*, non digni qui circumcisionis honore gaudeant, sed *concisionis* & perditionis autores audiant, quippe qui falsa sua doctrina seipsos & alios à CHRISTO abscindunt & perdunt, à quibus, quia periculum imminet, vobis cavendum est: Ergo in CHRISTI gratia & virtute sola acquiescendum est.

Vers. 3. *Nos enim sumus circuncisio, qui Spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, nec confidimus in carne.*

Tertium membrum hortationis. In quo proponit exemplum Apostolorum & fidelium, qui CHRISTO totì adhærebant; Primo in genere, deinde specialius, subinde repetitâ exhortatione, usque ad vers. 18.

Nos sumus] Arg. 3. Soli nos Apostoli, reliquique Fideles, titulo verè circumcisorum honorandi sumus, qui acquiescimus in CHRISTI justitia, qui nempe 1. interno & spirituali cordis affectu DEUM colimus: & 2. in IESU CHRISTO, ut unico & sufficiente Servatore gloriamur: 3. Non autem fiduciam nostram in ceremoniis, in carnali circumcisione, in externis privilegiis ullis, aut aliis ejusmodi præsidiis repositam habemus. Ergo vobis in sola CHRISTI gratia & virtute nobiscum acquiescendum est, si verè circumcisi haberi vultis.

Vers. 4. *Quamquam ego habeo de quo confidam etiam in carne. Si quisquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego maximè* habeo:

Arg. 4. A speciali Apostoli exemplo, per occupationem objectionis propositum: Ego Paulus, cui materia gloriandi in carnalibus, seu externis privilegiis, amplior quam Pseudapostolis ullis suppetit, rejecta omni confidentia

confidentia in privilegiis vel operibus meis, acquiesco in solo CHRISTO, & in sanctitate ad salutem per solum CHRISTUM proficere studeo. Ergo etiam vobis in CHRISTI solius gratia & virtute mecum acquiescendum est.

Vers. 5. *Circumcisus octavò die, ex gente Israelis, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus:*

Vers. 6. *Quod ad zelum* attinet, *persequens Ecclesiam: quod ad justitiam quæ est in Lege irreprehensus.*

Suum hoc exemplum explicat luculenter, enumerando octo gloriationis carnalis causas, *vers.* 5. & 6. 1. Circumcisus sum, & in populum DEI relatus. 2. Circumcisus octavo die, secundùm Legem præcisè, non ut Proselyta quivis, sed ut natus Judæus: 3. Ex nobilissimo populo Israelitico: 4. Et ex nobiliori tribu Israelitarum, nempe Benjamin, qui ex Rachel matre libera, unà cum Josepho natus est, ex qua tribu primus rex Saul electus erat, ad cujus nomen datum videtur Apostolo nostro nomen Sauli: 5. Hebræus ex Hebræis sum, *idest*, ex ea familia quæ non commiscuit se matrimonio cum Gentibus: 6. Pharisæus eram, ex Secta inter Judæos clarissima: 7. Zelo supra reliquos Pharisæos fervens eram, usque ad persecutionem Ecclesiæ; hic zelus licet pessimus fuerit in se, in oculis tamen eorum qui zelo Legis gloriabantur, glorioſus erat: 8. In justitia externa, quæ quidem ex Lege obtineri potest, irreprensibilis eram coram hominibus.

Vers. 7. *Sed quæ erant mihi lucro, ea duxi propter Christum damnum* esse.

Primò enumeravit privilegia sua, & gloriandi in externis ampliorem materiam, quam Pseudapostolis suppetebat. Secundo loco abjicit hæc ornamenta religionis, quæ magni æstimabantur à Judaizantibus: Et licet ea olim in lucro posuerit ante conversionem ad CHRISTUM, falsò existimans ea plurimùm ad salutem contulisse, nunc tamen postquam CHRISTI cognitionem adeptus est, à SPIRITU Sancto edoctus nihili ea facit, imò verò propter CHRISTUM ista omnia damnosa esse judicat, quatenus à CHRISTI Fide abducebant ipsum, vel quatenus constabant ei aliquo negotio & labore, ut omnibus his renunciaret, purumque se conservaret, ne ista fidem ipsius in CHRISTUM quovis modo impedirent. Difficile enim est his qui in aliquo excellunt, vel qui privilegia aliqua habent nullatenus iis niti, seu confidere.

Vers. 8. *Quin etiam certè duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum multavi*, eâque *duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam:*

Tertio loco, præter ea quibus in Judaismo æmulis suis superior erat, omnia etiam alia abjicit. Notum enim est, quod millia multa animarum ad DEUM converterit: quod multa egerit & passus sit pro CHRISTO, in quibus si quisquam posset gloriari, ille magis: omnem tamen hanc suam justitiam inhærentem, seu opera omnia bona, etiam post fidem facta vel facienda, in causa justificationis simul omnia rejicit tanquam σκυβαλα & damna, non quod pœnituerit eum laborum, vel quod non expectarit promissum ex gratia mercedem, sed quod privilegia illa, & operum fiducia prorsus impediviſſent justitiæ CHRISTI applicationem, si illa in causa justificationis attuliſſet ad DEI Tribunal, ubi opera excludunt gratiam, & gratia excludit opera: nec pœnitet eum hujus jacturæ; quippe quæ compensetur superabundè per excellentiam justitiæ CHRISTI imputatæ, & per fidem magis magisque sibi applicandæ.

Propter quem] Sinceritatem propositi sui de rejiciendis omnibus rebus præ studio habendæ justitiæ CHRISTI probat duobus indiciis. Indicium 1. est, Quod jam jacturam fecerit amicorum, patriæ, & omnium, quæ chara ipsi esse poterant in carne, quando primùm se ad CHRISTUM prædicandum, & crucem ejus ferendam contulit. Indicium 2. est, Quod jam rejecta contemnat tanquam quisquilias, præ justitia CHRISTI, seu præ CHRISTO per fidem in justitiam applicato. Hinc argumenti vis melius jam apparet, Ego qui privilegiis externis & operibus possem confidere si quisquam, omnibus illis renuncio, ut in CHRISTI justitia & virtute acquiescam. Ergo & vobis unà mecum in CHRISTO acquiescendum est.

Ut Christum] Rationes sententiæ suæ fixæ reddit varias, quæ pro argumentis ad hortationem confirmandam faciunt.

Arg. 5. Ego omnibus privilegiis, & operum meorum meritis renuncio, ut lucrifaciam CHRISTUM, qui se suamque justitiam non communicat ulli, nisi ei qui justitiæ propriæ renunciaverit, fiduciamque omnem in operibus & dignitate propria abjecerit. Ergo & vobis idem mecum faciendum est, nisi CHRISTUM amittere velletis.

Lucrifacium]

Lucrifaciam] Arg. 6. Renunciando fiduciæ in operibus & privilegiis meis, Christumque ipsorum loco amplectendo, CHRISTUM & CHRISTI omnia lucrifacio, tantùm abest, ut quicquam amiserim hac privilegiorum & operum meorum renunciatione : Ergo & vos similiter unà mecum omnem carnalem fiduciam abjicite, & in CHRISTO acquiescentes ipsum lucrifacite.

Vers. 9. *Et comperiar in eo, non habens meam justitiam*, nempe *quæ est ex Lege : sed eam quæ per fidem est Christi*, id est, *justitiam* quæ est *ex Deo per fidem*.

Arg. 7. Explicans superius, Cum venerit DEUS ad judicium, non nisi renunciando meis meritis inveniri potero in CHRISTO, destitutus omni fiducia in meorum operum inhærente justitia, & indutus imputata illa CHRISTI justitia, quæ à DEO gratis datur, & per fidem nobis applicatur. Ergo vobis unà mecum renunciandum est vestris meritis, & in CHRISTI justitia & virtute acquiescendum, nisi extra CHRISTUM inveniri velletis in die judicii.

Vers. 10. *Ut cognoscam eum, & vim resurrectionis ipsius, & communionem perpessionum ipsius, dum conformis fio ipsius morti.*

Pendet sententia à versu 8. Constructio hujusmodi est. Omnem materiam fiduciæ extra CHRISTUM pro stercore duco, eo ipso fine ut cognoscam CHRISTUM, *&c.* Unde Arg. 8. Quia non nisi magis magisque renunciando omni materiæ, seu objecto fiduciæ extra CHRISTUM, experientiâ solide cognoscere potero, quam verax, bonus, potens, *&c.* CHRISTUS sit, nec experimento percipere virtutem resurrectionis ejus ad liberandum me à reatu & potestate peccati, nec experimento percipere communionem & virtutem perpessionum ejus; in quibus consistit conformitas cum ejus morte; propterea omnia pro stercore habeo, ut hoc fructu magis magisque potiar; Ergo & vos unà mecum, renunciantes omnibus excellentiis vestris, in CHRISTO acquiescite, ut magis magisque virtutem & gratiam ejus experiamini.

Vers. 11. Experiens *ecquo modo perveniam ad resurrectionem mortuorum*.

Explicat quod dixit de communione perpessionum CHRISTI & conformitate cum ejus morte, & addit Arg. 9. In hunc sensum. Postquam jam renunciavi omnibus privilegiis meis, & omni operum meorum dignitati, tanquam stercoribus, ut lucrifacerem CHRISTUM, eti-

amsi mihi in itinere ad salutem insistendum esse sciam CHRISTI vestigiis, per continuas crucis æruinnas, & communionem perpessionum ejus, benè tamen mecum actum existimo, si quovis modo deveniam tandem ad sanctimoniæ & felicitatis perfectionem in resurrectione mortuorum: Ergo & vos unà mecum idem sentite & agite.

Secunda pars Capitù.

Vers. 12. *Nedum ut jam* metam *apprehenderim, aut jam perfectus sim: sed persequor,* experiens, *an quoque apprehendam cujus etiam rei causa apprehensus sum à Christo Iesu.*

Secunda pars Capitis, in qua hortatur Apostolus ut imitantes seipsum, & alios fideles Ministros proficiant in sanctimonia, adhibitis septem argumentis: & hic etiam seipsum in exemplum illis proponit, per occupationem objectionis. Diceret forsan aliquis. O beatum Paulum, qui omnibus renunciavit, ut CHRISTUM cognosceret, eumque lucrifaceret, quique jam adeo conformis est factus CHRISTO, ut nihil ei restet, præter præmium immortalitatis. Respondet non esse hunc sensum dictorum suorum: quasi diceret, Non eo hæc dico quod sanctimoniæ perfectionem assequatus sim, aut jam sim consummatus, sed persequor metam perfectionis: Unde Argumentum primum, Ego non sum consummatus in sanctimonia sed persequor perfectionem. Ergo & vos itidem imperfecti unà mecum idem agite.

Apprehendam] Arg. 2. Apprehensus sum à CHRISTO in efficaci vocatione, in eum finem, ut ego conversus proficerem in fide & sanctimonia, donec consummarer; in eumque finem persequor hanc metam, ut eam apprehendam: Ergo & vos unà mecum idem agite.

Vers. 13. *Fratres, ego meipsum nondum arbitror* metam *apprehendisse.*

Vers. 14. *Unum autem* ago, *ea quidem quæ à tergo sunt oblivisscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.*

Vers. 15. *Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus: quod siquid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus reteget.*

Arg. 3. Ego ex sensu imperfectionis meæ in sanctimonia, progressus quos jam feci non respicio, nec in mentem revoco, sed quantâ contentione

tione possum percurro stadium mihi propositum, ut metam in hujus vitæ fine, & præmium vitæ æternæ, ad quam DEUS supernè in CHRISTO vocavit me tandem assequar: Ergo & vos omnes, etiam qui jam adulti estis, & maximos progressus hactenus feciſtis vel feciſſe videmini, sive aliis, sive vobis ipsis, unà mecum idem sentite & studete; hoc est, Abdicatâ omni carnali fiducia, in sola CHRISTI justitia gloriantes aspirate in ejus virtute ad proficiendum in sanctimonia: ut ad beatam resurrectionem tandem perveniatis.

Quod si] Arg. 4. Si quid de perfectione Christiana aliter sentiatis, seducti à Pseudapostolis, spero DEUM qui vos convertit ad fidem Euangelii, etiam hanc veritatem vobis ostensurum, & vel effecturum ut idem sentiatis mecum de justitia CHRISTI & virtute ipsius ad sanctimoniæ vestræ incrementum, vel periculo & magno malo vestro vos in aliam à mea doctrina sententiam seceſſiſſe, revelaturum: Ergo vos unà mecum idem de perfectione Christiana sentite.

Vers. 16, *Attamen* in eo *ad quod pervenimus, eadem incedamus regula & itidem simus affecti.*

Limitat spem suam de salutari revelatione veritatis, de qua agit ad studiosos veritatis & pacis, per specialem hortationem eos incitans ad constantiam, & sinceram concordiam colendam, in ea veritate in qua jam consentiebant, de gratia & salute per CHRISTUM secundùm Scripturæ Canonem, benè sperare ausus de illis solis qui hanc regulam sequuturi erant: quasi diceret, Nos qui veritatis & pacis cultores sumus, & Scripturam veritatis salutiferæ Canonem amplexi sumus, perseveremus in eo ad quod DEI beneficio pervenimus, & secundùm hunc Canonem incedentes, eodem animo affecti simus: reliquos verò DEO & disciplinæ ipsius in Scriptura positæ relinquamus.

Vers. 17. *Estote simul imitatores mei, fratres, & eos considerate qui ita incedunt, sicut habetis nos pro exemplari.*

Arg. hortationis 5. Præter me habetis alios DEI servos, qui eandem tenent viam quam ego, in doctrinæ & vitæ degendæ ratione, qui nihil præter fidem in CHRISTUM, & sanctimoniam per illum obtinendam spirant: Ergo & vos imitamini hæc exemplaria.

Vers. 18 *Nam complures incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes* esse *crucis Christi:*

Arg. 6.

Arg. 6. Hortationis, confirmans superius: Multi sunt doctores Pseudapostoli, & falsi fratres, qui inimici sunt crucis CHRISTI, id est, qui alia ratione quam per solam CHRISTI crucem, peccata expiari, & homines servari docent, & qui profiteri nolunt veritatem CHRISTI, ubi periculum est crucis, seu persecutionis: Ergo doctrinæ vitæque meæ, & mihi similium pastorum, rationem tantò diligentius observate, & imitamini.

Sæpe dixi] Hoc argumentum de vitandis impostoribus (qui à justitia & sanctitate, quæ est per CHRISTI crucem, abducebant) confirmat septem rationibus: Ratio prima, Quia non jam primùm, sed prius sæpius, de hujusmodi nebulonibus venturis, prænonui vos.

Nunc flens] Ratio 2. Quia nunc flens admoneo de illis vitandis; seriò dolens, quod istiusmodi irrepserint in Ecclesiam, & pro veris doctoribus ab aliquibus recepti sint.

Hostes] Ratio 3. Quia sunt Christi hostes hoc ipso nomine quod sint virtutis passionum Christi hostes: & qui crucem CHRISTI pro veritatis defensione nolunt ferre.

Vers. 19. *Quorum finis* est *exitium*, *quorum Deus* est *venter*, *& gloria in confusione ipsorum*, *qui terrestria curant*.

Quorum] Ratio 4. Quia perituri sunt illi impostores, & quicunque eorum viam sequuturi sunt: Vitate eos igitur.

Venter] Ratio 5. Quia servi sunt & cultores ventris sui, id est, nec DEUM, nec hominum salutem curant, sed cutem & voluptates suas tantùm.

Gloria] Ratio 6. Quia quam affectant gloriam inter homines, ex divitiis, prosperitate, & carnalibus prærogativis, ipsorum dedecus est.

Terrestria] Ratio 7. Quia terrena tantùm sapiunt, ut opes, honores, amicos, gulam, voluptates, & cætera similia: Ergo vitandi sunt à vobis qui spiritualem & cœlestem vitam expetitis.

Vers. 20. *Nos enim ut municipes cœlorum nos gerimus*: *unde etiam Servatorem expectamus Dominum Iesum Christum*:

Arg. hortationis 7. Cœlestis admodum est nostra conditio, qui sola CHRISTI gratia & virtute freti, contendimus ad proficiendum in sanctimonia: Nos veri sumus cœlorum municipes, & in cœlo, animo & affectu versamur, ubi aliquando glorificandi sumus. Ergo nostrum exemplum imitamini. Felicitas autem verè fidelium declaratur in his quatuor:

his quatuor. Primum est, Quod jus in civitatem cœlestem habeamus, in qua jam animo & affectu versamur, ut cives regni Superni: Secundum est, Quod scientes CHRISTUM corporaliter & localiter esse in cœlis, expectemus CHRISTUM ex eo loco in die novissimo venturum, non judicem qui condemnet nos, sed Servatorem nostrum, qui salutem nostram omnibus numeris absolvat.

Vers. 21. *Qui transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate qua potest etiam subjicere sibi omnia.*

Tertium est, Quod etiamsi corpora nostra jam sint corruptibilia, vilia & misera, ea tamen olim CHRISTUS immutabit prorsus, quo ad conditionem in qua nunc sunt, & à corruptibilitate liberabit.

Conforme] Quartum est, Quod CHRISTUS corpora nostra conformia reddet corpori suo glorioso, ut sicut secundùm substantiam, & lineamenta, idem manet Christi corpus, quod prius in terra erat, sed qualitatibus mutatum est: sic etiam & corpora nostra manebunt eadem substantia, & qualitatibus vilibus liberata, glorioſis induentur.

Pro efficacitate] Hujus conditionis futuræ certitudinem confirmat à Christi potestate & efficacia, qua potest mortem & sepulchrum abolere, omnesque adeò creaturas sibi subjicere, & proinde etiam corpora nostra quibus vult qualitatibus induere.

Caput Quartum.

Est at confirmationis Philippensium in fide & sanctimonia ratio ultima, per hortationes aliquot, & liberalitatis ipsorum erga se commendationem.

Capitis duæ sunt partes præcipuæ: In prima hortatur ad virtutes Christianas, ad vers. 10. *In altera gratitudinem suam ostendit erga Philippenses, ob honorarium ab iis ad se missum, ad* vers. 20. *post quæ sequitur Epistolæ totius Conclusio.*

Vers. 1. *ITaque, fratres mei chari & exoptati, gaudium & corona mea, ita state in Domino, dilecti.*

Hortationes

Hortationes ad Christianas virtutes sunt septem: Hortatio prima, Ut sartam tectam conservent doctrinam de CHRISTI gratia & virtute, constanter in Fide & Sanctitate perseverantes. Argumenta hortationis sunt duo: Primum à vehementi hortantis erga eos dilectione, quam variis Epithetis explicat. Alterum, Hactenus adeo constantes fuistis, & profeciſtis in Fide Euangelii, ut mihi Doctori vestro, & gaudio, & ornamento fueritis. Ergo pertiate.

Vers. 2. *Euodiam precor & Syntechen precor, ut sint itidem affectæ in Domino:*

Hortatio 2. est specialis ad duas fœminas in Ecclesia non obscuras, quæ in rebus ad religionem spectantibus, ut videtur, non consentiebant cum Ecclesia, & inter se etiam dissidium fovebant, quas nominatim rogat, ut positis dissidiis in sententiis & affectibus, Concordiam piam & sinceram colant, qualem Dominus approbaturus esset.

Vers. 3. *Et rogo te quoque, socie germane, opitulare ipsis, ut quæ in Euangelio unà mecum certarunt, unà cum Clemente quoque, & reliquis adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.*

Hortatio 3. ad unum aliquem ex Pastoribus, qui Apostolo familiaris, & præ aliis cognitus erat, ut operam suam accommodet ad has duas fœminas in viam rectam, & concordiam inter se reducendas. Ratio redditur, Quia quum primùm Apostolus Ecclesiam Philippis colligeret, hæ duæ mulieres studiosè pro Euangelii negotio promovendo, pro statione sua laborarunt & decertarunt, unà cum aliis aliquot fratribus, ex quibus erat Clemens, & alii privati aliquot fideles Adjutores Apostoli in Ecclesia Philippensium colligenda, quos omnes etiamsi nihil opus erat nominare, eorum nomina scripta tamen esse dicit in libro vitæ, *id est*, ex Electis eos affirmat, quod satis iis esse potuit.

Vers. 4. *Gaudete in Domino semper: rursum inquam, gaudete:*

Hortatio 4. Vt in rebus prosperis & adversis, omninoque in omni status ipsorum mutatione, lætitiæ materiam in CHRISTO agnoscentes, solidum gaudeant gaudium.

Vers. 5. *Moderatio vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus propè est.*

Hortatio 5. Ne cum proximis stricto jure agant, sed potiùs conditionem proximorum considerantes de jure suo remittant, utque omnes hanc

hanc ipsorum moderationem experiantur. Ratio redditur, Quia Dominus in medio nostri versatur, per SPIRITUS sui præsentiam, & non longè abest adventus Ejus visibilis ad Judicium.

Vers. 6. *De nulla re soliciti estote: sed omni in re precibus & supplicatione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

Hortatio 6 Ut studentes officiis suis satisfacere, caveant sibi à diffidenti anxietate in omni negotio, & curas suas in precationibus & deprecationibus, cum Gratiarum actione in DEI gremium conjiciant.

Vers. 7. *Et pax Dei quæ superat omnem intellectum, præsidio erit cordibus vestris, & mentibus vestris in Christo Iesu.*

Ratio hortationis, quia sic fieret, ut Pax, seu animi Tranquillitas, (superans omnem captum rationis naturalis) quæ fidelibus à DEO conceditur, quasi militari præsidio custodiret ipsorum corda, adversus Satanæ & mundi tentationes, & mentes ipsorum stabiles in CHRISTO conservaret.

Vers. 8. *Quod reliquum est fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque justa, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc cogitate:*

Hortatio 7. Ne abhorreant à virtute ulla, quam inter Ethnicos observarent, sed contra, post seriam examinationem amplectantur quodcunque verum, grave seu venerandum, justum & purum, & quodcunque in moribus amabile, vel commendatione dignum perspicerent.

Vers. 9. *Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc*, inquam, *facite, & Deus pacis* autor *erit vobiscum.*

Hanc hortationem confirmat duobus Argumentis: Arg. 1. Ab exemplo suo, quod Apostolus hæc & docuerit, & actu fecerit, quando inter ipsos versabatur, ut ipsi Testes erant. *Et Deus*] Arg. 2. Ab eventu salutari, quod hoc pacto pacem DEI, & communionem cum DEO Pacis, constantiorem experturi essent.

Secunda Pars Capitis.

Vers. 10. *Gavisus sum autem in Domino magnoperè, quòd jam tandem reviruistis in vestra pro me cura: qua de re tamen soliciti eratis, sed destituebamini opportunitate.*

Secunda pars Capitis, In qua ut gratitudinem suam ostendat erga Philippenses, pro pecunia ad ipsum missa per Epaphroditum, commendat ipsorum factum decem Argumentis: 1. Quia gratum sibi fuerat illud ab ipsis missum subsidium: 2. Quia missum honorarium ex virtute seu habitu Christianæ liberalitatis quæ in ipsis erat, provenerat; qui habitus tanquam viva radix in hoc actu reviruerat: 3. Quia hinc perspici poterat ipsorum tarditatem ad mittendum hoc subsidium, non ex defectu charitatis, sed opportunitatis potiùs provenisse.

Vers. 11. *Non quòd penurię* meæ *respectu loquar: nam ego didici, in quibus sum, iis ipsis contentus esse.*

Vers. 12. *Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritionem,* id est, *tum ad abundantiam, tum ad inopiam.*

Obiter occupando objectionem, amolitur à se suspicionem, quasi tristior fuisset ante acceptum subsidium, vel quod suâ causâ gavisus fuisset post missam pecuniam: Argumento sumpto ab æquanimitate sua in omni conditione, ut qui didicerat utramque sortem æquo animo ferre, iisque vitæ subsidiis, quæ præsto erant, contentus esse.

Vers. 13. *Omnia valeo per Christum qui me corroborat.*

Hujus æquanimitatis, & moderati in omnibus animi sui gloriam ascribit CHRISTO, cujus virtute ad hoc corroboratus fuit.

Vers. 14. *Attamen recte feciſtis, quòd simul communicastis meæ oppressioni.*

Quartò commendat factum, quod esset communicatio cum ipsius afflictione.

Vers. 15. *Nostis autem & vos, Philippenses, cum initio Euangelii proficiscerer è Macedonia, nullam mihi Ecclesiam communicasse in ratione dati & accepti, nisi vos solos:*

Arg. 5. Commendationis Philippensium: Quod soli illi ex omnibus Macedoniæ Ecclesiis inde ab initio prædicationis Euangelii, in ratione dati & accepti, cum eo communicassent.

Vers. 16. *Nam etiam Thessalonicam semel & iterum quod opus erat mihi misistis.*

Arg. 6. Quod jam tertio liberalitatem erga se ostendissent.

Vers. 17.

Vers. 17. *Non quòd requiram donum: sed requiro fructum exuberantem qui in rationem vestram indatur.*

Arg. 7. Quod hic fructus fuerit ipsorum fidei, quem DEUS compensaturus est in die judicii, quo fructu profitetur se magis delectari, quam suo ullo privato commodo.

Vers. 18 *Accepi autem omnia, & abundo: expletus sum*, inquam, *acceptis ab Epaphrodito quæ à vobis* missa fuerunt, *odore bonæ fragrantiæ hostia Deo accepta* ac *grata*:

Arg. 8. Quod summa pecuniæ de qua scripserant ad eum, satis ampla fuerit (saltem respectu æstimationis & frugalitatis Apostoli) quam summam totam & integram sibi redditam esse per Epaphroditum agnoscit.

Odorem] Arg. 9. Quod hæc beneficentia DEO non minus fuerit grata & accepta, quam oblata hostia quæ sub lege offerri solebat cum fragrantissimo suffitu.

Vers. 19. *Deus autem meus supplebit quicquid opus fuerit vobis secundùm divitias suas glorioſè, in Christo Iesu.*

Arg. 10. Quod DEUS etiam in hac vita remuneraturus sit quicquid in eum contulerant, idque non ex ipsorum merito, sed ex divite & glorioſa sua gratia per CHRISTUM.

Vers. 20. *Deo autem & Patri nostro* sit *gloria in secula seculorum, Amen.*

Restat conclusio Epistolæ, Cujus tres sunt articuli: In primo pro omnibus antedictis beneficiis præstitis & præstandis, laudatur DEUS, ut DEUS, & Pater Fidelium, qui ex Fœdere & Paterno affectu largitus erat, & largiturus erat omnia bona.

Vers. 21. *Salutate omnes sanctos in Christo Iesu. Salutant vos qui mecum sunt fratres.*

Vers. 22. *Salutant vos omnes sancti, maximè verò qui sunt ex Cæsaris domo.*

In secundo articulo ponit salutationes suas, & Euangelistarum qui secum erant, quos speciatim fratres vocat, respectu officii Pastoralis, & addit reliquorum Sanctorum qui Romæ erant salutationes, posita distinctione inter fratres, in Euangelii Ministerio laborantes, & Sanctos alios, inter

quos speciatim designat domesticos Neronis, ut intelligerent fuisse etiam Aulicos in aula Neronis, qui CHRISTI fidem, & cum Christianis alibi diligentibus, communionem profiteri audebant.

Vers. 23. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.*

In tertio articulo claudit Epistolam, usitatâ benedictione Apostolicâ, favorem CHRISTI, & omnia bona quæ inde fluunt Philippensibus optans.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI *AD* COLOSSENSES.

Summarium.

URbs Colossensium *sita fuit in Asia minori, nempe in ea regione quæ Phrygia Pacatiana dicebatur, non procul Hierapoli & Laodicea; quarum urbium Apostolus diserte in hac Epistola meminit.*

Occasio scribendi fuisse apparet, quod Apostolus ex Epaphra Colossensium Pastore, & aliis testibus fide dignis, accepisset Colossenses solicitatos fuisse à Pseudapostolis, partim ad Judaicas Cæremonias, partim ad Philosophicas speculationes, de Angelis adorandis, admittendas: Idcirco, ut in veritate ipsos stabiliret, evidenter ostendit in solo CHRISTO, *ejusque Euangelio universam divinæ voluntatis cognitionem, adeoque omnia salutis æternæ præsidia sufficienter nobis esse exposita, & proinde in hoc rerum genere nihil extra* CHRISTUM, *ejusque doctrinam quærendum esse.*

Ejusdem est argumenti hæc Epistola cum illa ad Ephesios, & hæc illius compendium, meritò dici potest.

Principales

Principales partes hujus Epistolæ, præter directionem & epilogum, (in quo salutationes & res privatæ continentur) sunt duæ. In prima, ad fidem Colossensium confirmandam, commendat doctrinam in qua ab Epaphra instituti sunt, speciatim, verò CHRISTUM *cum suis beneficiis magnificè describit; hortaturque ad Constantiam in fide* CHRISTI, *& ad fugiendum corruptelas sanæ doctrinæ contrarias*, Capite 1. & 2.

In secundi parte, Præcepta dat communia ad vitam omnium Fidelium rectè instituendam spectantia, admistis interim specialibus præceptis, ad omnes ordines in familia dirigendos, inservientibus, Capite 3. & 4.

Caput Primum.

Capite primo, post Epistolæ directionem, vers. 1. & 2. *confirmat fidem Colossensium, & suum in eos amorem, quatuor modis. Primo, gratias agendo pro ipsorum sincera conversione*, ad vers. 9. *Secundo, pro iis precando*, ad vers. 12. *Tertio, Eucharistiæ prædicando, certitudinem Redemptionis nostræ fundatam in gratia DEI, & excellentia Christi*, ad vers. 23. *Quarto, Hortando eos ad perseverantiam*, ad *finem Capitis.*

Vers. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater,*

IN Epistolæ directione describuntur primò personæ salutantes, Paulus & Timotheus: Paulus, ab authoritate legationis, à CHRISTO immediatè, à DEO Patre verò mediante CHRISTO concessæ: per cujus voluntatem Apostolatu fungebatur: Timotheus verò (qui testis diligentiæ Apostolicæ in confirmandis Colossensibus assumitur) describitur à consortio cum Paulo, ut frater ipsius, non propter fidei professionem tantùm sed etiam propter officium prædicationis ejusdem Euangelii.

Vers. 2. *Iis qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo, Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Deinde describuntur personæ salutatæ, seu membra Ecclesiæ Colossensis & vocantur, 1. Fratres, quia regeniti ab eodem Patre, in eandem spem hæreditatis: 2. Sancti, quia DEO consecrati, & à SPI-

RITU

RITU Sancto sanctificati; & 3. Fideles, quia per fidem CHRISTO insiti fuerunt: Denique, per benedictionem Apostolicam applicantur Colossensibus Gratia & Pax: Gratia comprehendit omnia specialia DEI favoris effecta, quæ per modum sanctificationis ad felicitatem tendunt: Pax verò comprehendit omnes felicitatis gradus, usque ad perfectionem in Cœlo; Autor & efficiens bonorum statuitur DEUS PATER, & IESUS CHRISTUS, qua Filius & Mediator, in efficiendo, Patre suo ordine posterior.

Vers. 3. *Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi semper pro vobis precantes:*

Vers. 4 *Audita fide vestra in Christo Iesu, & charitate in omnes sanctos:*

Primus modus confirmationis fidei Colossensium est per gratiarum actionem, pro ipsorum sincera conversione. Hujusmodi argumenta sunt septem, quæ omnia probant corroborari in fide debere Colossenses: Argumentum primum, Post acceptum nuncium de vestra conversione ad fidem, amplam mihi materiam præbuistis gratiarum actionis & precationis ad DEUM: Ergo vel hoc nomine confirmari debetis in fide.

Charitate] Arg. 2. Fidei vestræ in CHRISTO sinceritas per dilectionem erga omnes Sanctos, palam innotuit, cujus rei fama ad meas aures pervenit, Ergo in fide corroborari vos consentaneum est.

Vers. 5. *Propter spem sepositam vobis in cœlis: quàm prius audistis per sermonem veritatis*, id est, *Euangelii.*

Arg. 3. Certò scio repositam esse vobis in cœlo speratam felicitatem, & tanquam DEI beneficio jam vobis dato DEO gratias ago: Corroborari debetis igitur in fide.

Audistis] Arg. 4. Confirmans superius, Pro fundamento fidei & spei vestræ, habetis indubitatum verbum DEI, verbum veritatis Euangelii: In fide confirmari debetis igitur.

Vers. 6. *Quod pervenit ad vos, sicut & in totum mundum, & fructum profert, sicut apud vos quoque, ex quo die verè audivistis & cognovistis Dei gratiam:*

Arg. 5. Verbum Euangelii, per quod vos conversi estis, idem illud Euangelium est, quod per Apostolos personuit in reliquo mundo eandemque habet efficaciam ad fructificationem inter vos, ab eo die quo per fidem

fidem amplexi estis DEI gratiam, quam habet in reliquis Ecclesiis Christianis: Ergo in fide corroborari vos æquum est.

Vers. 7, *Sicut & didicistis ex Epaphra dilecto conservo nostro, qui est fidus pro vobis minister Christi:*

Arg. 6. Pastor vester Epaphras, non alia docuit vos quam quod nos Apostoli passim docemus, qui idcirco Epaphram nostrum conservum & fidelem CHRISTI Ministrum, lubentes agnoscimus: In fide igitur stabiliri debetis.

Vers. 8. *Qui & declaravit nobis vestram per Spiritum charitatem.*

Arg. 7. Speciale indicium sinceræ vestræ fidei dedistis, nempe Christianæ dilectionis vestræ erga me demonstrationem, cujus rei testem habeo Epaphram vestrum Ministrum. Quod ut reliqua superiora omnia, & mihi gratiarum actionis erga DEUM, & vobis confirmationis fidei in DEUM, argumenta suppeditat.

Vers. 9. *Propterea & nos ex quo die* id *audivimus, non desinimus pro vobis orare, & petere ut impleamini omni agnitione voluntatis ejus, cum omni sapientia & intelligentia spirituali:*

Secundus modus confirmationis fidei Colossensium, & dilectionis Apostoli erga eos, est ardens & constans ipsius precatio pro ipsis excitata per famam fidei ipsorum in CHRISTUM, & dilectionis erga Sanctos; precationis autem articuli sunt sex. Articulus 1. Precor ut amplam mensuram cognitionis voluntatis divinæ revelatæ in verbo Euangelii de CHRISTO, ejusque beneficiis adipiscamini.

In quem] Articulus 2. Precor ut hæc cognitio in vobis abundet in sapientia & intelligentia spirituali, id est, in sancta contemplatione mysteriorum fidei spiritualium, & in prudenti applicatione cognitionis datæ ad praxin, in uniuscujusque virtutis exercitio.

Vers. 10. *Ut incedatis sicut Domino dignum est, ut per omnia placeatis, omni opere bono fructum proferentes, & crescentes in agnitionem DEI.*

Articulis 3. est, Precor ut incedatis, seu vitam degatis, sicut dignum est Domino, seu ut decet conversos in conspectu DEI, nempe ut per omnia ei placeatis.

Omni] Articulis 4. Precor ut fructificetis non in uno tantùm, sed in omni genere bonorum operum.

Crescatis

Crescatis] Articulus 5. Precor ut crescatis in experientia, & vivâ agnitione virtutis Divinæ per obedientiam voluntatis ipsius, studentes cum magis magisque cognoscere diligere, eique adhærere.

Vers. 11. *Omni robore corroborati, secundùm gloriosam vim ipsius ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio:*

Articulus 6. Precor ut ea mensura roboris cœlestis, ex divite penu gloriosæ potentiæ DEI vobis suppeditetur, ut quodvis onus afflictionis, seu persecutionis fortiter pati, idque quamdiu DEO visum fuerit, cum longanimitate sustinere possitis, non tantùm sine animi ægritudine, sed & maxima cum delectatione & gaudio: Ergo corroborari in fide debetis, nisi preces meas quas SPIRITUS Sanctus excitat in corde meo pro vobis irritas putetis.

Vers. 12 *Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce:*

Tertius modus confirmationis ipsorum fidei, est eucharistica prædicatio certudinis nostræ redemptionis, fundatæ in gratia DEI, & excellentia personæ CHRISTI. Rationes εὐχαριστίας seu gratiarum actionis sunt quinque. Ratio 1. est, Quia præparavit nos DEUS Pater ad regnum cœleste adeundum: hoc beneficium specialius perspicitur in sequentibus: 1. Beneficii donator, ponitur *Deus Pater*, omnis boni autor, & fons primus, paternum erga nos gerens affectum: 2. Cum dicimur *idonei* facti, &c. Miseria nostra præsupponitur, & quod natura simus inidonei, tenebriones nati, peccato inquinati, & filii iræ: 3. Etiamsi inidonei fuerimus, gratia DEI tamen *nos idoneos reddidit*, per efficacem vocationem, & nostri regenerationem: 4. Felicitas ad quam vocamur est *permanens hæreditas*, κλῆρος quæ sorte aditur, id est, non merito aliquo humano, sed electione gratuita obtinetur, & data semel non aufertur: 5. *Sanctorum* vocatur hæreditas, quia in eâ nobis societas futura est cum solis Sanctis, quorum communio hæreditatem nobis faciet jucundiorem. 6. Hæreditas hæc consistit *in luce* perfectissima nempe cognitionis, sanctitatis, gaudii, gloriæ, vitæque immortalis seu æternæ.

Vers. 13. *Qui*, inquam, *liberavit nos à potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filii sibi dilecti.*

Secunda ratio gratiarum actionis explicans priorem, Quia Pater *eripuit* nos è

nos è potestate tenebrarum, & *transtulit* in regnum filii dilectionis suæ: hoc beneficium commendatur nobis ex his quatuor: 1. Quod vis adhibita sit perversæ nostræ naturæ, & potestati Satanæ, à quo victi, detinebamur: unde DEUS vi nos eripuit: 2. Quod eripuerit nos à tenebris ignorantiæ, peccati & miseriæ: 3. Quod ereptos nos non siverit vagari & errare sine rege & defensore, sine regimine & societate, sed transtulerit in melius regnum, id est, regnum lucis, cognitionis, sanctitatis & vitæ spiritualis, ubi tutò & securè possimus agere, ne relabamur aut revocemur in tenebras: 4. Quod regnum in quod transferimur sit regnum filii sui; regnum DEO amicissimum, in quo præsidet & regnat filius DEI, filius dilectionis, quem Pater intimè diligit, & qui dilectione erga nos Patrem repræsentat, cujus regnum & res omnes sunt DEO dilectissimæ, imo in cujus regno omnes subditi sunt filii dilecti.

Vers. 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum.*

Tertia ratio gratiarum actionis est beneficium liberationis à DEI justitia vindicatrice; hoc beneficium specialiùs apparet in his quinque: 1. Nos non tantùm vi detinebamur in potestate tenebrarum, unde ut eriperemur requirebatur vis major, sed etiam legis & justitiæ captivi fuimus, unde non nisi pretio persoluto emitti poteramus, quod pretium ubi jam persolutum est, redemptio legitima jam facta est: 2. Redemptionem hanc habemus nostram factam, ex consensu partium, *jure optimo*: 3. Habemus eandem in persona filii, qui Advocatus est noster, & qui nos nostraque omnia custodit: 4. Habemus eam per sanguinem filii, qui in forma DEI existens, id est verus DEUS assumpsit naturam nostram, in eaque obediens factus usque ad mortem crucis, persolvit pro nobis pretium redemptionis: 5. Redemptio hæc est gratuita respectu nostri, qui nihil persolvimus, & tamen peccatorum remissionem consequuti sumus, & per consequens etiam gratuitam liberationem ab ira & morte, quæ persequuntur peccata.

Vers. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*:

Quarta ratio gratiarum actionis, ostendens soliditatem fundamenti redemptionis, in descriptione excellentiæ CHRISTI Redemptoris, cujus descriptionis Articuli sunt duodecim.

Imago] Articulus 1. CHRISTUS imago est perfectissima DEI inconspicui, non tantùm quia est substantialis character personæ Patris, substantialiter Patrem repræsentans, ita ut Pater non nisi in Filio & splendore ipsius conspici possit, sed etiam quia filius incarnatus verbo & opere, sanctitate, potentia, misericordia, Patris naturam, voluntatem & bonitatem mundo repræsentavit.

Primogenitus] Articulus 2. CHRISTUS primogenitus est omnis creaturæ, id est, ab æterno genitus ante omnem creaturam, & propter æternam generationem ex Patre, jure Dominus omnium creaturarum est, sicut in lege primogenitus est Dominus fratrum & familiæ.

Vers. 16. *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates: omnia*, inquam, *per eum & ejus respectu condita sunt*:

Articulus 3. Illustrans superiorem: CHRISTUS est efficiens seu Creator omnium creaturarum: per eum enim omnia condita sunt: hunc Articulum amplificat triplici distributione creaturarum: 1. A loco in quo sunt, in cœlo & in terra: 2. A natura sua, in visibiles & invisibiles: 3. Divisione Angelorum à dignitate & officio & nominibus honorificis: ex quibus apparet gloria CHRISTI qui creavit omnes.

Respectu] Articulus 4. CHRISTUS est finis omnium, propter quem seu cujus gloriam omnia condita sunt: nam quæcunque & qualiacunque condita sunt, ea omnia in gloriam CHRISTI Θεανθρωπε condita sunt; ille Alpha & Omega est omnium, cujus gloriæ omnia inservire necesse est, suo quæque modo, ut media ad finem.

Vers. 17. *Estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt*,

Articulus 5. CHRISTUS est æternus, quia in se ante omnes creaturas est, nec mutuatur ad sui subsistentiam à creaturis quicquam.

Per eum] Articulus 6. CHRISTUS non Creator tantùm, sed & conservator & sustentator omnium est.

Vers. 18. *Estque caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas teneat*:

Articulus 7. CHRISTUS est Caput Ecclesiæ, id est, sui corporis, unde influit vitalis Spiritus, sensus motusque spiritualis in omnia membra, quique regit & protegit ea omnia.

Principium] Articulus 8. CHRISTUS est principium, fons & scaturigo

rigo Ecclesiæ, novus scilicet ille Adam, radix & principium regenerationis Sanctorum, cujus virtute procreantur Sancti omnes.

Primogenitus] Articulus 9. CHRISTUS est primogenitus ex mortuis, & primitiæ eorum qui obdormiverunt, quia solus virtute sua resurrexit, & causa est resurrectionis mortuorum ad vitam æternam.

Vt inter] Articulus 10. Ille in omnibus primatum tenet, & tenere debet in Angelos & homines, in viventes & mortuos: Et hic finis est superiorum graduum excellentiæ CHRISTI.

Vers. 19 *Quoniam in eo placuit* Patri, *ut omnis plenitudo inhabitaret*:

Articulus 11. Confirmans primatum CHRISTI, & primatus dignitatem, quia ex DEI beneplacito in CHRISTO homine habitat, non tantum donorum SPIRITUS plenitudo, sed etiam deitas ipsa pleniſſimè comprehendens omnem plenitudinem.

Vers. 20 *Et pace per sanguinem crucis ejus facta, per eum reconciliare omnia sibi, per eum*, inquam, *tum quæ in terra, tum quæ in cœlis.*

Articulus 12. CHRISTUS ex DEI beneplacito, & proposito Mediator est, per quem voluit DEUS expiationem peccatorum fieri, positâ ejus vitâ in cruce, & expiatione per ejus mortem factâ, reconciliationem fieri, seu amicitiæ redintegrationem inter DEUM & eos qui sunt membra Ecclesiæ: non minus inter DEUM & ea membra quæ sunt in terrâ, quam inter DEUM & ea membra quæ sunt in cœlo: imo & reconciliationem, fieri voluit in se εἰς ἕνωσιν seu intuitu gloriæ ipsius inter Angelos cœlestes, & homines terrestres, inter quos propter peccatum naturale dissidium est: Denique confirmari voluit electos Angelos, quorum natura varia & mutabilis jam demonstrata est per lapsum Angelorum reproborum, idque *recapitulatione facta* illorum ad seipsum. Nam Angeli quasi auctarium additi sunt CHRISTO in fœdere redemptionis, in usum corporis sui, id est, Ecclesiæ, ut essent Spiritus ministrantes in usum Redemptorum hominum: Quæ omnia ut soliditatem & certitudinem redemptionis, sic fidem Colossensium in CHRISTUM magnopere confirmabant, & nostram etiamnum confirmare debent.

Vers. 21. *Itaque vos quondam abalienatos & hostes, mente operibus malis* intenta, *nunc sané reconciliavit*,

Vers. 22. *In corpore illo carnis suæ, per mortem, ut sisteret vos sanctos & irreprehensos & inculpatos coram se:*

Quinta ratio gratiarum actionis est Gratia reconciliationis facta Colossensibus nominatim. Hoc beneficium novem Argumentis amplificat: 1. Quod aliquando abalienati fueritis, inquit, à DEO, extranei à republica Israelis, & vita DEI: 2. Extranei non tantùm nati, sed magis magisque extranei facti fuistis per peccatorum consuetudinem: 3. Neque id tantùm, sed etiam quod hostes, & hostili animo DEUM aversati, & prosequuti fueritis: 4. Quod hostes fueritis non appetitu sensibili, & affectibus tantùm, sed etiam ipsa mente vestra, quam oportuit esse præstantissimam facultatem, & aliarum Dominam ac ducem: 5. Quod inimicitias mente conceptas operibus malis expressertis. 6. Quod nihilominus tamen CHRISTUS nunc vos reconciliaverit: 7. Quod in corpore carnis suæ assumendo humanam naturam, nobis in omnibus, excepto peccato, similem, reconciliationem impetraverit: 8. Quod per mortem redemptionis & reconciliationis vestræ, pretium persolverit: 9. Quod CHRISTUS statuerit apud se vos Sanctos in conspectu suo, & DEI, tandem sistere, sine omni peccati & miseriæ labe, nempe in die adventus sui; quorum singula apprimè faciebant ad fidem ipsorum fulciendam.

Vers. 23. *Siquidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimovemini a spe Euangelii quod audistis, Euangelii*, inquam, *prædicati omni creaturæ quæ sub cœlo est: cujus factus sum ego Paulus minister:*

Sequitur quartus modus confirmationis fidei Colossensium per hortationem ad perseverantiam in fide Euangelii, ad quam transit, addita cautione in hunc finem ut suspendat beneficium communiter illis applicatum, data quasi characteristica nota eorum ad quos beneficium reconciliationis pertineat, nempe quod quicunque jus habent ad hæc beneficia, permaneant in fide CHRISTI, unde reliqui gradus perseverantiæ dependent: Argumenta hortationis præcipua sunt tria.

Siquidem] Argumentum primum, Est in conditione perseverantiæ positum, Constantia vestra in fide CHRISTI, & spe Euangelii, indicium est non tantùm reconciliationis factæ per CHRISTUM, sed etiam sanctitatis & salutis vestræ per eum perficiendæ: Perseverate ergo. Interim ad ipsorum perseverantiam requirit tria: 1. Ut fundentur in fide,

fide, id est, fundamenta fidei, in DEI veritate, bonitate, & potentia, jacta solidè apprehendant: 2. Ut firmi sint, id est, jam fundati in CHRISTO sedem fixam teneant, CHRISTO adhæreant, & agglutinentur veritati ejus: 3. Ut resistant omnibus tentationibus, quibus possent ullo modo à vitæ æternæ & bonorum in Euangelio promissorum spe dimoveri: Argumenti vis hæc est, Prædicta bona in vestram non venient possessionem, nisi perseveraveritis in fide, Persistite igitur.

Prædicati] Arg. 2. Hortationis ad perseverantiam; Euangelium quod audivistis à Pastore vestro Epaphra, idem est cum Euangelio ab aliis DEI servis annunciato in toto mundo omni creaturæ, seu omnis generis hominibus Judæis & Gentibus sine discrimine. Permanete ergo in illa fide fundati & stabiles.

Cujus] Arg. 3. Hujus Euangelii Gentibus prædicandi ego ipse Paulus factus sum Minister, magna cum DEI approbatione, & benedictione effusâ in omnes qui ex Gentibus sunt Fideles: Perseverate ergo in illa Fide.

Vers. 24. *Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Christi vicissim expleo in carne mea, pro corpore ipsius, id est Ecclesia:*

In hoc Argumento insistit, suumque Ministerium illis commendat Argumentis 14. quæ omnia glorioſum ejus Ministerium confirmant: 1. In hujus Euangelii administratione ego Paulus cum gaudio fero afflictiones. Glorioſum ergo est meum Ministerium: 2. Pro vobis Coloſſensibus, seu pro vestra confirmatione in fide eas afflictiones sustineo. Glorioſum apud vos igitur meum Ministerium: 3. Cum post personales & ἀπολυτρωτικὰς CHRISTI passiones, reliquæ maneant passiones Martyrum, in testimonium veritatis doctrinæ CHRISTI, ego Paulus aliquâ ex parte harum afflictionum mensuram destinatam impleo ita, ut vel morte mea obsignare hoc meum Ministerium paratus sim. Glorioſum igitur hoc meum Ministerium est: 4 Ego pro CHRISTI honore & ædificatione totius Ecclesiæ CHRISTI, scilicet ut coagmentetur in fide corpus ejus mysticum, afflictiones eas patior. Glorioſum igitur Ministerium meum. Hæc omnia etiam ad tollendum offendiculum crucis Apostolo incumbentis faciunt.

Vers. 25. *Cujus Ecclesiæ factus sum minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos, ad implendum Dei sermonem:*

Arg. 5.

Arg. 5. Ecclesiæ Catholicæ sum Minister constitutus, & speciali autoritate, & dispensatione Divinâ Gentium Apostolus factus sum. Gloriosum ergo Ministerium meum.

Implendum] Arg. 6. In Apostolatu constitutus sum in eum specialem finem, ut plene manifestando Euangelium inter Gentes non tantùm munus meum, sed etiam DEI decretum & prophetias de vocandis Gentibus & de gratia CHRISTI ad eas ventura, per meum Ministerium implerem: Glorioſum igitur est hoc meum Ministerium.

Vers. 26. *Nempe ministerium absconditum à seculis & ætatibus, nunc autem illud patefactum est sanctis ejus,*

Arg. 7. Sermo hic Euangelii administratus inter vos, ejusque futura inter Gentes annunciatio, olim fuerat mysterium: nunc vero planius quam unquam ab initio mundi patefit per nos Apostolos, fidelibus: Ergo.

Vers. 27. *Quibus voluit Deus notum facere quæ sint divitiæ gloriosi hujus mysterii inter Gentes, id est, Christi inter vos,* qui *est spes illa gloriæ:*

Voluit] Arg. 8. Revelatio hujus mysterii per meum Ministerium facta est Sanctis, non ex ipsorum merito, sed ex DEI beneplacito: Ergo.

Divitiæ] Arg. 9. Gloriosa & dives est gratia hujus mysterii jam revelati, omnia quæ ad plenam felicitatem faciunt perspicuè aperiens: Ergo.

Christus] Arg. 10. Summa hujus gloriosæ & divitis gratiæ per meum Ministerium manifestata, est CHRISTUS per fidem receptus & habitans in vobis: Glorioſum igitur.

Spes illa] Arg. 11. CHRISTUS à me prædicatus & in vobis habitans per fidem est spes illa gloriæ futuræ, jam in arrabone & primitiis manifestatæ; nempe quia CHRISTUS est author, pignus & complementum omnis spei nostræ: nullam enim aliam gloriam quærunt fideles, quam ut CHRISTO potiantur magis magisque in hac vita, & tandem plenè in vita futura.

Vers. 28. *Quemque nos annuntiamus, admonentes quemvis, & quemvis erudientes omni sapientia: ut quemvis sistamus perfectum in Christo Iesu:*

Arg. 12. Finis mei Ministerii & prædicati CHRISTI hic est, ut omnis generis homines admoneam, & instituam in Euangelii doctrina, quæ est perfectis-

est perfectissima sapientia, ut credentes tandem sistam in conspectu Dei, omnibus sanctitatis & felicitatis numeris in Christo, absolutos; Glorioſum ergo est hoc meum Ministerium.

Vers. 29. *Ad quod etiam enitor, decertans secundùm efficacitatem ipsius agentem in me potenter.*

Arg. 13. Strenuè hactenus per Dei gratiam prosequutus sum meum Ministerium, decertans contra omnes hostes & impedimenta quæ mihi objiciebantur: Unde glorioſum redditum est Ministerium meum:

Secundum vim] Arg. 14. Denique per Dei operantis in me gratiam & potentiam, Ministerium meum potens & efficax redditum est ad effectum destinatum, id est, ad salutem Electorum & reliquorum convictionem: Quæ omnia, sicut commendationis Ministerii Paulini argumenta, sic etiam totidem argumenta sunt hortationis ad Colossenses, ut in fide Euangelii à Paulo prædicati perseverent: Ex omnibus enim sequitur: Ergo in fide Euangelii cujus Ministerium adeò glorioſum est, constanter permanete & promovete.

Caput Secundum.

Capitis tres sunt partes, in prima parat sibi viam ad hortationem, ut uno Christo contenti, fugiant corruptelas quæ à Christo abducerent, idque ostendendo studium suum de ipsorum constantia in fide; ad vers. 6. *In secunda hortationem prosequitur, ut Christo mordicus adhæreant, caveantque in genere quicquid à Christo posset ipsos abducere, ad* vers. 16.

In tertia, admonitio est specialis, ut caveant sibi à corruptelis specialibus, ad finem.

Vers. 1 *VOlùm enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis, & iis qui sunt Laodiceę, & quotquot non viderunt faciem meam in carne:*

Quod ad primam attinet, Studium suum de ipsorum salute, & constantia in fide ostendit membratim; membra sex sunt. 1. Solicitus sum de omnu-

de omnibus Ecclesiis quæ me non viderunt coram, & nominatim, de vobis Colossensibus, & vicinis vestris Laodicensibus, ne igitur vos neglectos à me putate.

Vers. 2. *Ut consolationem accipiant eorum corda ipsis charitate compacta, & omni opulentia certò persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem mysterii Dei & Patris & Christi:*

Membrum 2. Operam do, ut scientes vos mihi non minùs charos esse quam alias Ecclesias à me plantatas, consolationem capiatis in cordibus vestris ex eodem Euangelio. *Charitate*] Membrum 3. Percupio, ut Ecclesiæ illæ omnes inter se, & cum aliis Ecclesiis, evitatis vel sublatis dissidiis, & quæstionibus quæ à Diabolo ipsiusque membris excitantur, nexu charitatis compingantur.

Omni] Membrum 4. In votis habeo, & non mediocre certamen sustineo, ut in fide & spe coagmententur omnes illæ Ecclesiæ. Hoc explicatur specialiùs, studebat enim ut *intelligentiam* nanciscerentur: quia fides cæca seu ignara esse non debet; nec ut fidei gustum aliquem tantùm haberent, sed πληροφορίαν consequerentur, qua hæsitationes ex ipsorum cordibus excluderentur; nec ut persuasionem tantùm, sed etiam *omnem opulentiam persuasionis* in fide haberent, ut fides in ipsis abundaret, inque solida & tranquilla certitudine corroboraretur, & stabileretur in omni opulentia plene certioratæ intelligentiæ: adhuc specialius, studebat Apostolus, ut *proficerent* in cognitione *mysterii*, seu Euangelii olim absconditi, sed nunc revelati, de Christi gratia quæ extenditur erga Gentes, non minus quam Judæos: his addit, ut proficerent non in *cognitione* tantùm, *sed etiam in agnitione mysterii* ex vivo sensu, & experientia suavissimæ gratiæ Christi, quæ ab hominum captu naturali longissimè removetur. Denique operam dabat specialissimè, ut *proficerent* in agnitione mysterii de *unitate essentiæ divinæ*, de distinctione personarum & officiis Mediatoris Christi, & in usum suum ista magis magisque applicantes conquiescerent in tanti boni cognitione, & primitiis, donec per Christum felicitate plenâ perfruerentur.

Vers. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi.*

Rationem hujus desiderii reddit, ab excellentia Christi, qui Summa est, & Fundamentum Euangelii, cujus gloriam describit non tantùm à perfectione personæ ipsius per se spectatæ (in qua absconditi sunt omnes

omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ, infinitè quoàd divinam naturam, & quantùm capere potest quoàd humanam, sed etiam & potissimùm à perfectione personæ ipsius, quatenus officio Mediatoris vestitur, quatenus ille est CHRISTUS unctus ille DEI, objectum, author & consummator fidei nostræ, seu omnis cognitionis salutiferæ: quo respectu in CHRISTO est omni sufficientia ad salutem æternam, ut non opus sit quicquam nosse præter eum, qui factus est nobis à DEO Sapientia, Justitia, Sanctificatio, & Redemptio: Hanc CHRISTI sufficientiam vocat *thesauros*, & *omnes* thesauros, & *absconditos* thesauros, quos mundus non potest perspicere; quos perscrutari non potest Sanctorum sagacitas, nec exhaurire omnium necessitas.

Vers. 4. *Hoc autem dico, nequis vobis imponat probabilitate sermonis.*

Membrum 5. Studii & solicitudinis Apostoli est, ne seducantur Colossenses per Pseudapostolos, & ut muniantur adversùs omnes impostoras Pseudapostolorum, qui docendo quod CHRISTUS non docuit, instabiles & incautos à CHRISTO abducebant, partim Paralogismis & Sophistis Argumentationibus, partim fucata eloquentia errores suos insinuantes & tegentes: ad quas Pseudapostolorum artes digitum intendit in vocibus παραλογιζηται & πιθανολογια.

Vers. 5. *Etsi enim corpore absum, Spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem, & soliditatem vestræ in Christum fidei.*

Membrum 6. Studii sui de ipsorum salute est, Gaudium quod de rectè constitutâ inter eos doctrinâ & disciplinâ percipiebat, non ex relatione Epaphræ tantùm, sed ex Spiritu Prophetico, seu inspiratione SPIRITUS Sancti dictantis hanc Epistolam; nam licet corpore absens fuerit, Spiritu tamen contemplatus omnia, perfusus fuit gaudio ex observatione ordinis in omnibus rebus Ecclesiasticis pulcherrimi, & fidei ipsorum in CHRISTUM solidæ: adeo ut non potuerit non esse solicitus de tam præclari inter eos Divini operis conservatione, ne Pseudapostolorum & DIABOLI artibus perturbaretur ordo, vel corrumperetur doctrina.

Secunda pars Capitù.

Vers. 6. *Sicut igitur accepistis Christum Iesum Dominum, ita in eo incedite:*

Secunda pars Capitis, in qua ex suo de ipsorum salute studio, & causis susceptæ hujus disputationis adversus Pseudapostolos, infert hortationem ad perseverandum in fide CHRISTI, & ad cavendas corruptelas. Hortationis membra sunt quinque: 1. Ut fide jam receptum unicum & verum Salvatorem JESUM CHRISTUM retineant, nec alium confictum à Pseudapostolis admittant. 2. Ut in CHRISTO insiti per fidem maneant, & vitam suam ad ejus præscriptum traducant, sequentes Spiritus CHRISTI ductum.

Vers. 7. *Radicati & superstructi in eo, ac confirmati fide, sicut edocti estis, abundantes ea cum gratiarum actione.*

Tertium membrum, ut arctissimæ & firmissimæ cum CHRISTO conjunctioni studeant per fidei suæ corroborationem, secundùm doctrinam Epaphræ: Hanc fidei soliditatem illustrat similitudine sumptâ partim à firmitate arborum, altas radices in terra agentium; partim à stabilitate ædificiorum, solidè fundatorum.

Exundantes] Membrum quartum, Ut non solùm confirmentur in fide; verùmetiam in ea proficiant, & proficiendo abundent, per pleniorem mysteriorum CHRISTI cognitionem; idque cum quotidiana gratiarum actione erga DEUM, hujus tanti boni authorem.

Vers. 8. *Videte nequis sit qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.*

Membrum 5. Hortationis, ut caveant sibi à seductoribus, qui imposituris suis tanquam retibus, DEI populum veluti pecora capiunt, & in prædam abigunt. Impositurarum autem tres species recenset; quarum prima est *Philosophia*, seu inanis deceptio, sic dicta, non simpliciter, sed quatenus suos limites excedit, & assurgit ad res cœlestes seu spirituales, deque doctrina in DEI Verbo statuit ex modulo corrupti & carnalis judicii: quo respectu licet speciem Sapientiæ præ se ferat, inanis tamen deceptio comperitur: Altera species est *Traditio Hominum*, de vanis & superstitiosis ritibus, ab humano ingenio confictis. Tertia species est *Injunctio Legalium*, seu *Leviticorum Rituum*, qui hîc dicuntur *Elementa mundi*, quia sunt mundana & carnalia rudimenta veteris populi, quibus tanquam Pædagogo ducebatur ante CHRISTI adventum, quæque post adventum CHRISTI, tanquam umbræ evanuerunt.

Vers. 9.

Vers. 9. *Nam in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter:*

Argumenta hortationis subjungit decem, quæ omnia probant non esse recedendum vel latum unguem à CHRISTO.

Argumentum primum, Frustra quærendum est extra CHRISTUM quidvis ad salutem necessarium, cum in ipso seu ejus personâ plenitudo deitatis hypostaticè unita humanæ naturæ comperiatur; adeo ut necessariò extra DEUM quærat aliquid ad salutem, qui extra CHRISTUM quærit quidvis salutiferum: Ergo non recedendum à CHRISTO.

Vers. 10 *Et estis in eo completi, qui est caput omnis imperii ac potestatis:*

Arg. 2. Non tantùm fons plenissimus est CHRISTUS in se, sed etiam plenè complet omnes fideles in ipsum credentes, quatenus justitiam & vitam æternam quam in se habet, communicat illis, primum imputatione, deinde gratiæ pro gratia infusione, donec tandem perficiantur. Ne ergo quæramus aliquid extra eum.

Caput] Arg. 3. ILLE est Caput omnis principatus & potestatis, etiam excellentissimarum creaturarum, & in terra & in Cœlo, partim quia creavit omnia, & gubernat etiam ipsos Angelos; partim quia influxu virtutis suæ, sustinet etiam Angelos, nedum homines, communicatque illis quicquid habent: Ab eo ergo solo, & ne vel à præstantissimis etiam Angelis expectemus quicquam boni.

Vers. 11. *In quo etiam circuncisi estis circuncisione quæ fit sine manibus, corpore peccatorum carnis exuto in circuncisione Christi:*

Arg. 4. Veritas omnium legalium ceremoniarum est in CHRISTO: nam in eo fideles habent rem per illas præfiguratam, Verbi causa, Spiritualem habent circumcisionem, SPIRITU CHRISTI factam in corde, quæ consistit in depositione veteris hominis, seu carnis, seu corporis peccati, quæ circumcisio in manufacta carnali circumcisione præfigurabatur. Ergo non est quod in carnali judaizantium circumcisione quicquam quæratis extra CHRISTUM.

Vers. 12. *Consepulti cum eo per Baptismum, per quem etiam cum eo resurrexistis, per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitavit eum ex mortuis.*

Arg. 5. Baptismum externum internæ circumcisionis legitimum sig-

num, surrogatum in locum circumcisionis à CHRISTO; habetis vos fideles in CHRISTO, adeo ut nec res interna, imo nec externum quidem signum rei internæ, extra CHRISTUM quærendum sit. Non igitur à CHRISTO recedendum.

Consepulti] Arg. 6. Vos fideles jus habetis ad CHRISTUM mortuum & sepultum, & communionem cum ipso, in morte & sepultura, adeoque jus ad omnia beneficia & effecta mortis, & sepulturæ ipsius, in baptismo, & per baptismum vobis obsignatum; adeo ut nihil opus sit extra CHRISTUM quicquam quærere, quod ad plenum redemptionis pretium persolvendum attinet: Non igitur ab eo recedendum.

Resurrexistis] Arg. 7. Vos fideles per Baptismum adducti estis in communionem resurrectionis CHRISTI; seu victoriæ ejus de morte & peccato reportatæ, per quam non tantùm resurrexistis ad vitæ novitatem in sanctitate, sed etiam resurgetis respectu corporum, ad vitam gloriosam & immortalem, ita ut ad sanctitatem & vitam æternam, extra CHRISTUM nihil desiderandum sit. Non ergo ab eo vel minimum recedendum est.

Per fidem] Cæterùm ne externo baptismo nimium tribuatur, ex opere (quod dicunt) operato, requirit in baptizatis fidem DEI efficaciter agentis, id est, ut credamus DEUM qui potenter suscitavit CHRISTUM ex mortuis secundùm promissiones suas, eundem etiam efficaciter secundùm promissiones resuscitaturum nos ad omnimodam vitæ novitatem. Quanto enim arctiùs amplectimur virtutem DEI quæ suscitavit CHRISTUM Caput nostrum à mortuis, tantò proficiemus magis in vitæ novitate.

Vers. 13. *Vosque mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ, cum eo vivificavit, condonatis vobis omnibus peccatis,*

Arg. 8. Vos Colossenses olim mortuos in peccatis, & jacentes in naturæ irregenitæ incircumcisione, DEUS participes fecit vitæ CHRISTI, sanctæ & immortalis, & quoàd jus, & quoàd possessionem inchoatam, ex gratiâ condonatis omnibus peccatis vestris: Ergo ad plenariam remissionem peccatorum, vitamque sanctam & immortalem, nihil extra CHRISTUM quærendum est. Dicitur autem hoc beneficium *vivificatio una cum Christo*, licet CHRISTUS ante aliquot annos resurrexisset, priusquam illi conversi essent, quia quo momento quis per fidem unitur CHRISTO, eodem etiam jam regnanti in Cœlo, judiciali seu forensi modo,

modo unitur, imo & morienti, & sepulto, & resurgenti, adeoque in omnibus in quibus nostram personam sustinuit vel sustinet, non minus quam si Physico modo fuissemus præsentes, & consensissemus in omnem actum ejus pro nobis.

Vers. 14. *Ac deleto quod adversum nos* erat *rituum Chirographo, quod*, inquam, *erat nobis contrarium*, ipse *vero cruci affixum é medio sustulit*:

Arg 9. In quo etiam explicat quomodo CHRISTUS remissionem peccatorum nobis impetraverit, nostrum Chirographum scilicet tollendo, in hunc sensum, Fœdus operum seu legale, quasi Chirographum, partim comminationibus, partim decretis positivis ceremonialibus, Gentes ab Ecclesia secludentibus, sancitum, adversùs nos erat, & nobis contrarium: CHRISTUS verò chirographum hoc sublatum è medio & affixum cruci delevit: Ergo vobis non est retrospiciendum ad fœdus legale, vel ceremonialia decreta, ut in iis aliquid quæratis, nec vobis est à CHRISTI, morte, (per quam liberati estis ab illo Chirographo) vel latum unguem recedendum: Hoc fœdus operum cum appendicibus, comparat *Chirographo*, quo quis se obligat ad debitum persolvendum; nam per naturæ lucem quicunque convicti tenentur peccati; ex vi fœderis operum obnoxii etiam sunt iræ, & quotiescunque arguimur peccati, toties etiam per naturam mortis pœnam, seu fœderis legalis conditionem, conscientiæ nostræ sententia adversùs nos ipsos, quasi calculo, seu Chirographo nostro confirmamus; Multò magis id præstat conscientia uniuscujusque qui legem scriptam accepit, & pœnam violatæ legis quotidiè audit. Maximè verò omnium coguntur huic Chirographo subscribere justitiarii omnes, qui justitiam nullam agnoscunt præter inhærentem, seu eam quæ est ex operibus: ex quibus erant Judaizantes, & ceremoniarum observatores, qui fœderi huic adhærebant, quærentes ex operibus & ceremoniarum decretis, justitiam: nam quantò manifestiùs hoc modo justitiam suam stabilire conabantur, tantò apertiùs mortem, violatæ legis pœnam, vi pacti in se derivabant: Nemo enim fœdus init quin etiam fœderis conditiones omnes admittat.

Dicitur *Chirographum in decretis positum*, vel potius *decretis subscriptum*, quatenus qui mandata seu decreta illa legalia recipiebant in se, perficienda, obligabant etiam se, ad pœnam mandatorum violatorum sustinendam.

Vocat

Vocat Chirographum *adversus nos* seu contrarium nobis, partim quia Judæos à Gentibus, & Gentes à Judæis separabat, partim quia erat jugum, quod nec ipsi, nec patres eorum poterant ferre: partim denique, quia quotiescunque opus aliquod legis sive moralis, sive ceremonialis justificandi sui causa exercebant, toties per imperfectionem operis, & imperfectionis professionem in exercitio Leviticæ Ceremoniæ, se reos peragebant, seu potiùs se reos agnoscebant mortis. Exempli causa cum sacrificia offerebant, eaque repetebant, non tantùm agnoscebant se peccatores adversùs Legem Moralem, sed etiam reipsa confitebantur repetita sacrificia non potuisse conscientiam suam à peccato mundare, atque ita Chirographum Fœderis Operum semper erat illis contrarium: Sed CHRISTUS hoc Chirographum delevit, & cruci affixum è medio sustulit, quatenus in gratiam suorum, per mortem crucis mulctam ex Chirographo debitam pro Redemptis persolvit; & decreta positiva de Ceremoniis umbratilibus reali Corporis sui sacrificio semel oblato, complevit & abolevit.

Vers. 15. *Et expoliata imperia ac potestates traduxit palàm triumphatis illis per eam.*

Arg. 10. CHRISTUS omnes DIABOLOS, potestatem & tyrranidem in Electos exercentes, per pretium Redemptionis in cruce persolutum re ipsa prostratos, palam etiam in conspectu DEI, Angelorum, & Hominum quorum oculi aperti sunt, glorioscè triumphatos, traduxit in ipsorum ignominiam, & nostram liberationem. Nihil ergo restat extra CHRISTUM quærendum.

Dicuntur Cacodæmones *Principatus & Potestates*: 1. Quia in mundo potenter imperium exercent in omnes reprobos filios inobedientiæ, & in omnes irregenitos, qui nihil aliud agunt, quam ut voluntatem DIABOLI exequantur: 2. Quia sunt lictores exequentes DEI judicium, captivos detinentes eos qui DEO non reconciliantur in CHRISTO: 3. Quia pugnant contra CHRISTUM Redemptorem, nec dimittunt Redemptos, & Reconciliatos ex carcere tenebrarum, nisi à CHRISTI fortiori potestate coacti.

Dicuntur *spoliati à CHRISTO* in Cruce, 1. Quatenus CHRISTUS persoluto pretio redemptionis, ex pacto à PATRE obtinuit, ut omnes Redempti ex carcere tenebrarum, ignorantiæ, peccati & mortis liberarentur: 2. Quatenus CHRISTUS potentiâ infinitus, ubi semel justitiæ satisfecerat

satisfecerat in cruce, claustra & retinacula peccati, judicii & legis, quibus Diaboli constrictos tenebant redemptos, effregit ut amplius nullam vim possint habere. 3. Quatenus redemptos suos fecit possessionem & peculium suum, ne amplius essent Satanæ pecus.

Dicitur Christus *Diabolos traduxisse*, & de iis palam triumphasse in cruce: 1. Quatenus omnes ipsorum tentationes & venenata tela, sive immediatè ab iis projecta, adversus se in cruce pendentem, sive per venenatas linguas furentium adversariorum contorta, sive per suorum discipulorum fugientium ab ipso ingratitudinis provocationem vibrata, fortiter excepit, superavit & extinxit: 2. Quatenus malitiam Diabolorum, artes & machinationes omnes ipsorum (quibus illi ipsius vitam petebant, indesinenter instigantes mancipia sua ad ipsum crucifigendum, donec in crucem egerunt) convertit Christus in Diabolorum perniciem, & apertissimam dominii ipsorum ruinam: 3. Quatenus se Cœli terræque Dominum, signis & prodigiis demonstravit, ipso tempore crucifixionis: 4. Quatenus palam exeruit potestatem suam per conversionem furis illius ad dextram pendentis; & centurionis ad pedes stantis; 5. Quatenus pretio redemptionis jam persoluto, victor non in conspectu Dei tantùm, & Angelorum, sed etiam in conspectu ipsorum Diabolorum, & auditu insuper omnium inspectantium, clamavit opus suum consummatum esse, idque in gloriam suam æternam, & hostium perpetuam ignominiam: Ex quibus sequitur à Christo non esse recedendum, vel ut quicquam boni adipiscamur, vel ut ab ullo malo liberemur.

Tertia Pars Capitis.

Vers. 16. *Nequis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut respectu diei festi, aut novilunii, aut sabbathorum*:

Tertia pars Capitis, In qua per consectarium infert admonitionem specialem de cavendis Pseudapostolorum specialibus quibusdam corruptelis.

Admonitiones sunt tres: Admonitio 1. Ne curent sententiam seu censuram ullius qui audebit eos condemnare, propter non observatas ceremonias Mosaicas, exempli causa, propter cibum aut potum assumptum, vel propter ullum diem festum, vel aliquam diei festi partem neglectam, vel propter non observatum Sabbatum Judæorum.

Vers. 17 *Quæ sunt umbra rerum futurarum, at corpus*, est *CHRISTI*.

Ratio

Ratio admonitionis est, quia Ceremoniæ illæ legales erant umbræ rerum futurarum, duraturæ tantùm usque dum corpus, seu veritas & substantia illarum CHRISTUS, veniret; quæ idcirco post ejus adventum cessare debent.

Vers. 18. *Nullus voluntarius moderator de vobis statuat in submissione & cultu angelorum, sese ingerens in ea quæ non vidit, & temerè turgens carnis suæ sensu:*

Admonitio 2. est, Ut caveant sibi à cultu & invocatione Angelorum: Argumenta in hunc finem affert septem. Arg. 1. Quia quicunque hunc cultum vos docet, reipsa dat operam, ut vos præmio religionis, seu vita æterna defraudet.

Vltro] Arg. 2. Quia non ex DEI autoritate, sed ex sua voluntate & libidine hanc doctrinam tradit.

Submissione] Arg. 3. Quia qui cultum Angelorum docet, abutitur hypocriticè prætextu humilitatis.

Pedem] Arg. 4. Quia qui Angelorum cultum docet, audacter incedit sine luce verbi DEI, imò sine lumine rationis rectæ: nam nec in sacris literis, nec oculis corporeis, nec sanæ rationis lumine quicquam de hac doctrina unquam vidit.

Temere] Arg. 5. Quia quicunque cultum Angelorum docet, non est humilis, sicut præ se fert, sed carnali suo judicio turgens vanissimè inflatur.

Vers. 19. *Neque obtinens caput, ex quo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento.*

Arg. 6. Quia quicunque angelorum cultum docet, expers est veræ fidei, non conjungitur, non adhæret CHRISTO: licet sciat alia omnia, ignarus tamen est virtutis CHRISTI, & gratiæ quæ est in ipso, imo à CHRISTO capite nostro divellitur, eique renunciat.

Ex quo] Arg. 7. Quia in CHRISTO solo est promptuarium ex quo omnis gratia, & quicquid ad vitam & vegetationem spiritualem requiritur, abundè in omnia ejus membra derivatur, adeò ut nec sit opus ab Angelis quicquam petere, nec sine CHRISTI opprobrio quicquam peti possit, Angelos invocando, vel quovis modo eos colendo. Idcirco Cavenda Angelorum invocatio.

In

In hoc argumento comparatione capitis humani naturalis describitur CHRISTUS, sextuplici similitudine: 1. Ut caput humanum naturale habet corpus sibi subjectum, sic CHRISTUS habet Ecclesiam sibi subjectam, ut corpus suum mysticum: 2. Ut ex capite humano derivatur sensus motusque in corpus totum, & omnia ejus membra, sic ex CHRISTO sensus motusque spirituales derivantur in omnia membra Ecclesiæ: 3. Ut ex capite humano protenduntur commissuræ nervorum & vinculorum, quæ totum corpus pervadunt, sic à capite CHRISTO profluit SPIRITUS Sanctus, & fides in CHRISTUM, & charitas in proximum, quæ per totum corpus mysticum diffunduntur: 4 Ut per illas commissuras suppeditatur corpori toti vita, motus & sensus, sic per has commissuras, omnis gratia spiritualis suppeditatur fidelibus: 5. Ut per illas compinguntur membra cum capite & inter se, sic per has, CHRISTUS & membra ipsius uniuntur: 6. Ut per illas in corpore naturali; sic per has, in corpore CHRISTI mystico incrementum fit primum singulorum membrorum, deinde totius corporis mystici: 7. Sicut illic incrementum est naturæ, sic hic est gratiæ, DEI incrementum, id est, magnum & solidum, pro mensura doni uniuscujusque.

Vers. 20. *Itaque si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi, quid ut viventes in mundo, ritibus oneramini?*

Tertia admonitio cum reprehensione, quod se subjecerint decretis seu traditionibus humanis, & doctrinis hominum religionem statuentium in iis, in quibus DEUS religionem non statuit; Admonitionis seu reprehensionis argumenta sunt quinque: 1. Quia liberati estis per mortem CHRISTI à quibuscunque carnalibus initiamentis religionis, quales sunt Ceremoniæ Judaicæ, ita ut cum illis nihil amplius habeatis negotii, Non debetis decreta & præcepta hominum admittere, quasi adhuc more puerorum rudimentariorum, istiusmodi elementis obnoxii essetis.

Primi hujus argumenti vis consistit in his quinque: 1. CHRISTUS implevit quod præfiguratum fuit per Ceremonias Mosis, & morte sua abrogavit Ceremonias illas typicas, & umbratilem illum modum docendi Ecclesiam, & colendi DEUM, ita ut nihil ab ipso exigere posset fœderis legalis forma, plus quam in ejus morte persolutum est & perfectum: 2 Moriente CHRISTO, judicialiter commortui sunt omnes fœderati, quorum personam sustinuit CHRISTUS, Nihil igitur amplius

potuit fœdus legale exigere ab illis, quorum nomine CHRISTUS mortuus est, quam leges hominum exigunt à mortuis : censentur enim omnes in illo ut mortui : 3. Cerimonialia omnia præcepta respectu autoritatis præcipientis divina, & Cœlestia erant usque ad CHRISTUM: sed jam abolita per CHRISTUM, cessarunt esse divina, & cæperunt esse elementa seu rudimenta humana, mundana & carnalia, non tam quoàd res imperatas, quam quoàd imperandi autoritatem mundanam ; 4. Quandiu Colossenses non erant conversi ad CHRISTUM, sed in mundo vivebant mundani, ut liberi à justitia, sic mancipia erant Diabolorum & hominum, obnoxii omnigenæ servituti, & omnis generis malo: 5. Nunc verò postquam CHRISTO concorpores, erant per fidem facti liberi, etiam erant ab omni malo liberati, nec se ulli jugo submittere debebant, nisi cui CHRISTUS eos subjugari voluit, & per consequens non debebant hominum dogmatibus & traditionibus in religionis negotio subjici.

Vers. 21. *Ne attigeris, neque gustaris, neque contrectaris.*

Arg. 2. Quia superstitiosi illi dictatores vestri, & decretorum humanorum autores, præcisâ suâ prohibitione rerum liberarum, tyrannidem simul & hypocrisin suam intolerabilem produnt in rigida exactione mandatorum suorum, qualia μιμητικως & cum indignatione recitat aliqua, *ne gustato, ne attingite*, & similibus, in quibus non solùm legem Leviticam DEO invito continuare volebant, sed etiam superaddere legi abolitæ rigidas exactiones suas : Ne ergo illis vos subjiciatis.

Vers. 22. *Quæ omnia ipso usu pereunt, præscripta ex mandatis & doctrinis hominum* :

Arg. 3. Quia res illæ corporeæ à DEO institutæ sunt ad usum, ut in usu tandem absumantur & pereant, *&c.* Iniquum ergo est sub specie religionis prohibere illarum usum, Ne ergo his institutis vos subjiciatis.

Hominum] Arg. 4. Quia decreta istiusmodi non sunt mandata DEI, sed mandata hominum, secundùm quæ DEUS declaravit se nolle coli : Ne ergo admittite ea.

Vers. 23. *Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi, & in eo quòd corpori non parcant, non tamen ullius sunt pretii, quum ad ea spectent, quibus farcitur caro.*

Arg. 5.

Arg. 5. Cum refutatione objectionis, quia etiamsi hæ observationes speciem habeant sapientiæ, tanquam partes voluntarii & non coacti cultus, tanquam humilitatis erga Angelos, & obedientiæ erga Ecclesiæ gubernatores, exercitia, tanquam ad carnis mortificationem non nihil facientia; reipsa tamen meram speciem tantùm sapientiæ habent, & nullius sunt pretii vel æstimationis coram DEO: Denique quantum corpori detrahere videntur, tantùm adjiciunt ad satisfactionem carnis, seu corruptæ naturæ, quæ in suis figmentis circa religionem sibi satisfacere semper avidissimè cupit.

Caput Tertium.

Secunda pars Epistolæ de studio Christianæ vitæ. Capitis duæ sunt partes, in prima continentur hortationes generales, pertinentes ad veram pietatem & vitæ sanctimoniam, ad vers. 18. *In altera sunt speciales hortationes, quæ spectant ad certas & particulares hominum conditiones, ad finem.*

Vers. 1. *Itaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens:*

Hortationes generales sunt novem: 1. Est ad studium rerum Cœlestium, ne amplius terrenis voluptatibus, honoribus, & divitiis acquirendis operam & laborem impendant, sed ut quærant Christianas virtutes, & quæ ad vitam æternam pertinent.

Si resurrexistis] Argumenta hortationis sunt sex. Quæ omnia studendum esse rebus Cœlestibus probant: 1. In Baptismo recepistis in vos studium resurrectionis, seu novæ & spiritualis vitæ prosequendæ, & insiti per fidem in CHRISTUM communionem habetis cum CHRISTO resurgente; qui nomine suorum ad spiritualem vitam, ut sponsor resurrexit, recepitque in se fore, ut fideles resurgerent, virtute resurrectionis suæ ipsis communicatâ: Ergo studendum rebus Cœlestibus.

Ubi Christus] Arg. 2. In sublimi, id est, in Cœlo quoad localem præsentiam corporis, est CHRISTUS caput nostrum, & fons omnis felicitatis nostræ: Ergo ut eo potiamini superna quærenda sunt.

Dextram] Arg. 3. CHRISTUS ad dextram DEI sedet, etiam qua homo, summam sublimitatem nactus, & nomen super omne nomen, ut possit nobis omnia superna concedere: Ergo superna quærenda sunt vobis.

Vers. 2. *Superna curate, non terrestria*:

Amplificat hanc hortationem, jubens ut sapiant res cœlestes, id est, ut cognoscere studeant, in æstimatione habeant, curent, affectent, cum desiderio prosequantur quæ ad vitam cœlestem pertinent, & non quæ ad vitam hanc terrestrem: quæ licet licita & necessaria sint, obiter tamen curanda sunt.

Vers. 3. *Nam mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Arg. 4. Per fidem in baptismo participes estis mortis CHRISTI, & obligati ad commoriendum mundo & peccato, per virtutem mortis ipsius; imò mortui estis illis, seu illorum respectu, nempe judiciali & spirituali modo, ne illa terrena amplius sapiatis, vel iis serviatis: Ergo superna & cœlestia, non terrestria sapere & sectari debetis.

Et vita] Arg. 5. Licet vita illa vestra, id est, adoptio vestra, justitia vestra, hæreditas vestra, plena sanctificatio, & glorificatio vestra, mundo, imò vobis ipsis magna ex parte abscondita sit (jam enim eam tantùm per fidem & primitiarum exiguam possessionem percipitis) conservatur tamen in cœlo in suis causis, cum CHRISTO, in DEO abscondita: Ergo sapere & quærere debetis ea quæ ad hanc vitam spectant.

Vers. 4. *Quando Christus vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis gloriosi.*

Arg. 6. Per solutionem objectionis, ex superiori argumento oriundæ. Quamvis vita vestra abscondita jam sit, plenè & apertè tamen aliquando communicabitur vobis, & nos glorioſè producemur in conspectu omnium Angelorum & hominum, cum CHRISTUS manifestabitur in secundo suo adventu; cujus ratio redditur, quia CHRISTUS est *vita nostra*; Sic dictus: 1. Quia vitam æternam nobis acquisivit: 2. Quia vitam illam habet in se nobis communicandam: 3. Quia actu cæpit nobis vitam illam, per Spiritum suum communicare, quam tandem plenè

plenè consummabit; 4. Quia est objectum vitæ illius nostræ: nam nostra felicitas consistit in communione cum Illo, ut Eum cognoscamus, cum Eo simus & conversemur, & Eo plenè tandem fruamur: Ergo sub spe vitæ nobis revelandæ superna quærite.

Vers. 5. *Mortificate igitur membra vestra terrestria, scortationem, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam, quæ est idololatria.*

Hortatio 2. Tanquam corrolarium, ex superioribus illata, qua jubet mortificare vitiosos motus, affectusque corruptæ naturæ, per quos deforme corpus peccati inhabitantis, tanquam per membra, operatur omnia actualia peccata, inque membris corporis ita se exerit, ut illa reddat quasi sui ipsius membra, & vitiorum instrumenta: Hæc mortificatio fit non solùm externos actus peccati non perpetrando, verùm etiam pravos motus internos ad illa peccata incitantes in ipso limine necando.

Scortationem] Enumerat: 5 Vitia quibus Gentiles imprimis dediti erant, quorum ultimum, avaritiam scilicet nomine idololatriæ vocat, ut odium excitaret avaritiæ: quia pro frugalitate eam ferè omnes habent, & in divitiis plurimi confidunt.

Terrestria] Argumenta hortationis sunt tria: 1. Quia hæc vitia, terrestria sunt membra, seu partes vitiosæ illius naturæ, quæ terram tantùm sapit homineſque à cœlo prosus alienat.

Vers. 6. *Ob quæ venit ira Dei in filios contumaces.*

Arg. 2. Quia etiamsi levia videantur hæc peccata, iram Dei tamen accersunt, adversus eos qui contumaces sunt, nec resipiscunt.

Vers. 7. *Quibus in vitiis & vos versabamini quondam, quum in iis viveretis.*

Ambulastis] Arg. 3. Quia olim satis serviistis his vitiis, ambulantes & viventes in illis non minus quam illi qui jam in hoc cæno volutantur.

Vers. 8 *At nunc deponite etiam vos hæc omnia, iram, excandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum turpitudinem ab ore vestro.*

Vers. 9. *Ne mentimini alius adversus alium, quum exveritis veterem illum hominem cum factis ipsius:*

Hortatio

Hortatio 3. Ex proximo argumento ducta, in qua jubet exuere, deponere, & non resumenda rejicere sex vitia, quæ sunt: 1. Ira injusta: 2. Indignatio seu excandescentia, quæ superior gradus est iræ: 3. Malitia seu maligna invidia, & odium in quod convertitur ira permanens, seu pernoctans: 4. Convicium seu blasphemia contra alicujus famam: 5. Turpiloquium seu scurrilitas, & 6. denique mendacium.

Exuti] Rationes hortationis sunt duæ: 1. Quia in baptismo sacramentali voto, obligatione & inchoatione exuistis veterem hominem cum actionibus suis, id est, renunciastis veteri vestræ corruptæ naturæ, ejusque servitio: Idcirco his vitiis renunciandum est.

Vers. 10. *Et indueritis novum illum, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus qui ipsum condidit.*

Ratio 2. Quia ex dono DEI, fide, voto, & inchoata vitæ novitate in regeneratione induistis novum hominem, id est, novas spirituales qualitates, quasi novam naturam: Idcirco his vitiis renunciandum est.

Novum autem hominem describit in quatuor: 1. Quod sit sanctitatis naturæ nostræ in Adamo amissæ renovatio in CHRISTO: 2. Quod consistat in agnitione mysterii Euangelii, id est, in istiusmodi illuminatione, quæ cor ita mutet, & vitam simul externam, ut à nobis, mente, affectu, & opere, gratia DEI in CHRISTO re ipsa agnoscatur: 3. Quod archetypus seu exemplar secundùm quod conditur & renovatur iste novus homo sit imago DEI Creatoris, qui solus condidit hominem ut esset, & solus etiam refingit hominem ut sit novus.

Vers. 11. *Ubi non est Græcus & Judæus, Circumcisio & Præputium, Barbarus, Scytha, servus, liber: sed omnia & in omnibus CHRISTVS.*

4. Quod novo homini satis sit CHRISTUM habere, (quod unum pro omnibus ad salutem requisitis sufficit) seu quod in hoc negotio renovationis per CHRISTUM, externa conditio neque obsit, neque prosit, neque in hoc opere ratio ulla habeatur apud DEUM externæ conditionis. (Fit ne aliquis ex Gentibus, an Judæis, circumcisus ne an incircumcisus, ex hac ne an illa Gente oriundus, literatus ne an rei literariæ ignarus, servus ne an liber) quod appositè dictum est propter Pseudapostolos, qui ceremonias legales & hominum traditiones urgebant, quasi reliqua omnia nihil essent nisi quis judaizaret.

Vers. 12. *Induimini igitur, ut electi Dei, sancti & dilecti, visceribus*

viſceribus miſerationum, benignitate, modeſtia, manſuetudine, lenitate:

Hortatio 4. Ad quinque virtutes, nempe: 1. Ad teneram miſericordiam erga afflictos: 2. Ad benignitatem erga egenos: 3. Ad humilitatem ſeu modeſtiam in omnibus: 4. Ad manſuetudinem ſeu comitatem in converſatione cum aliis: 5. Ad longanimitatem ubi injuriæ inferuntur.

Electi] Argumenta hortationis ſunt tria: 1. Quia eſtis electi DEI, non tantùm ſpeciali vocatione à mundo ſegregati, ſed etiam æterno decreto à reprobis ſeparati.

Sancti] Arg. 2. Quia ſancti eſtis, & DEO conſecrati.

Dilecti] Arg. 3. Quia dilecti eſtis à DEO: Idcirco his virtutibus vos ornate, ut dignos tantis elogiis vos præſtetis.

Verſ. 13. *Tolerantes alii alios, & condonantes vobis mutuò, ſi quis adverſus aliquem habuerit querelam: ſicut & Chriſtus condonavit vobis, ita & vos.*

Hortatio 5. Ut non tantùm ex longanimitate mutuò tolerent alii aliorum infirmitates, & morum aſperitatem, ſed etiam mutuò condonent injurias.

Sicut Chriſtus] Ratio hortationis eſt, quia CHRISTUS condonavit vobis offenſas veſtras multo graviores: Idcirco vos alii aliis condonate injurias.

Verſ. 14. *Ad hæc autem omnia induimini charitate, quæ eſt vinculum perfectionis.*

Hortatio 6. Ut charitatem induant imprimis & ante omnes alias virtutes, quippe quæ à radice fidei orta, ut truncus arboris, reliquas omnes virtutes tanquam ramos emittit; eaſque fovet & nutrit.

Quæ eſt] Ratio hortationis eſt, Quia charitas eſt mutuum vinculum perfectæ colligationis, quo fideles omnes in unum corpus compinguntur, & quo omnes perficiuntur, hoc eſt, participes fiunt omnium donorum in Eccleſia vigentium, ita ut quæcunque ſunt vel totiùs corporis privilegia, vel alicujus membri dona, evadant etiam ſingulorum membrorum bona, quoàd uſum ſeu utilitatem.

Verſ. 15. *Et pax Dei imperet in cordibus veſtris, ad quam etiam vocati eſtis in unum corpus: & grati eſtote.*

Hortatio 7.

Hortatio 7. Ut si contentio oriretur aliqua inter ipsos, pax DEI statueretur contentionis & omnium affectuum moderatrix, præmiumque quasi habens in manu sua, decerneret quid agendum.

Pacem Dei nominat, quæ à DEO est, quæ DEO placet, & quæ nec veritatis, nec virtutis ullius, sed affectuum nostrorum carnalium tantùm jacturam imperat.

Ad quam] Rationes hortationis sunt tres: 1. Quia DEUS vocavit vos ad pacem cum seipso, & inter vos colendam: 2. Quia omnes estis membra unius corporis: 3. Quia gratitudinem hanc debetis DEO, qui pacem inivit vobiscum, cum potuisset tanquam inimicos vos tractare: Idcirco pacem inter vos colentes grati estote.

Vers. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè, cum omni sapientia: docendo & commonefaciendo vos mutuò psalmis, hymnis, & cantionibus spiritualibus cum gratia, canentes in corde vestro, DOMINO.*

Hortatio 8. Ad studium & exercitium verbi DEI, Hortationis membra sunt quinque: 1. Ut sermo CHRISTI, seu doctrina christiana in Scriptura proposita accersatur ex fontibus, & tanquam hospes gratissimus animis & cordibus excipiatur: non ut inde recedat postmodum, sed ut ibi constanter commoretur: 2. Ne contenti sint sermonem CHRISTI degustasse, aut aliquatenus cognovisse, sed ut operam dent ad mensuram locupletem & copiosam sibi comparandam: 3. Ut inde saperè discant, ad salutem suam & utilitatem aliorum: 4. Ne sermonem CHRISTI sinant in se otiosum esse, sed in usum proximorum prudenter proferant: ut mutuis instructionibus alii aliorum cognitionem promoveant, mutuis admonitionibus alii aliorum mores in melius forment, singulique suos ipsorum & aliorum affectus excitent cantionibus Psalmorum sacrorum, hymnorum, & spiritualium odarum, de quavis materia spirituali per Spiritum compositarum, & ad mutuam ædificationem facientium. 5. Ut canant affectibus ad sanctimoniam compositis, pro gratiæ mensura sibi data, ita ut cantus DEO gratus sit, & gratiam auditoribus ministret, in cordis sui sinceritate, DEI gloriam in cantu suo intuentes.

Vers. 17. *Et quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri, per eum.*

Hortatio 9.

Hortatio 9. Ut omnia faciant *in Christo*, id est, ejus nomine & auspicio, per *Eum* seu ejus gratiam, & in *Eum*, seu ejus gloriam: Et quia id fieri non potest, quin subinde habeant nova divinæ benignitatis in se experimenta, ut *gratias agant* DEO jugiter in omnibus *per Christum*, sine quo DEus Pater ne laudari quidem à nobis vult, nec nisi per Filium quicquam nobis concedere, & in quo quæcunque nobis à DEO immittuntur, in bonum nostrum convertuntur. Atque hæ sunt hortationes generales ad communia officia.

Secunda pars Capitis.

Vers. 18. *Uxores, subjectæ estote propriis viris, ut convenit in DOMINO.*

Sequitur altera pars Capitis, continens speciales hortationes ad omnes in familia ordines, hortationes sunt quinque.

Hortatio prima est ad uxores, à quibus incipit, quia conditio ipsarum est durior & difficilior quam virorum, & idcirco non mirum si eas primò alloquatur DEus: ab his exigit, ut subjiciantur propriis viris, id est, ut obedientiam, honorem & reverentiam eis exhibeant, sed cum limitatione *in Domino*, ut in licitis fiat obedientia, & propter mandatum Domini, cui uxores primò subjiciuntur, & obedientiam debent.

Ut convenit] Arg. hortationis est ab æquitate & decoro, nam quod præcipitur convenit ex ordinatione Divina, & ex Lege naturæ.

Vers. 19. *Viri, diligite uxores, & ne sitis adversus eas amarulenti.*

Hortatio 2 ad viros, Quibus præcipit primò ut diligant uxores proprias, idque affectu singulari & sancto, qui conquiescat in una uxore propria; deinde vetat ne sint amarulenti erga eas, vel sermone, vel factis, licet ab earum infirmitatibus irritentur, sed ut prudenter eas regant, sicut decet viros.

Vers 20. *Liberi, auscultate parentibus in omnibus: hoc enim gratum est Domino.*

Hortatio 3. ad filios, à quibus incipit sicut prius ab uxoribus, & postea à servis incipiet, quia conditio eorum est durior, & opus habent DEi institutione, ut sponte faciant quod necesse est facere: ab his exigit obedientiam ex animo erga parentes in omnibus, scilicet quæ Pater cœlestis non prohibuit: Argumentum hortationis est, Quia hoc officium præstitum DEO est gratissimum.

Vers. 21. *Patres, ne irritate liberos vestros, ne despondeant animum.*

Hortatio 4. Specialiter ad Patres, qui severiores solent esse quam matres; ne conviciis, injuriis, verberibus severioribus, animos liberorum suorum à se alienent: præter rationes quæ in appellationibus Patrum & liberorum continentur, addit expressè hanc unam, ne liberi severiùs habiti tandem desperent de Patris dilectione, atque ita despondeant animum.

Vers. 22. *Servi auscultate per omnia iis qui domini sunt secundùm carnem, non obsequiù ad oculum exhibitis, ut qui hominibus placere student, sed cum simplicitate cordis, timentes Deum.*

Hortatio 5. ad servos, In qua diutiùs insistit, quia eorum conditio durissima: Hortationis membra sunt sex, In primo, conditionem servitutis mitigat, ex eo quod tantùm ad carnem, & carnalia hujus vitæ officia pertineat, nec ullam inferat parendi necessitatem in illicitis. In secundo imperat, ut in omnibus licitis pareant & serviant, etiam cum mandata durissima sunt. 3. Ut fideliter & sincerè id faciant, non in Dominorum conspectu tantùm, sed etiam quum illi absunt, ne negligentiam reprehendere possint. 4. Ut in timore DOMINI serviant in cordis sinceritate.

Vers. 23. *Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus.*

5. Ut in servitio omni, externa actio originem ducat ex animo, & interioribus affectibus, unde externa actio derivetur ad manum. 6. Ut imperium DEI agnoscant in mandatis Dominorum suorum, & quod faciant DEI voluntatem dum præstant quod Domini volunt.

Vers. 24. *Scientes vos à Domino recepturos mercedem hereditatis: Domino Christo servitis.*

Hortationis argumenta sunt quatuor: 1. Quia DEUS rependet illis mercedem meliorem quam Domini pacisCuntur vel dare possunt, nempe vitam æternam, pro hæreditate gratuita.

Nam] Arg. 2. Quia certi esse possunt de remuneratione gratuita, ex eo quod CHRISTO serviant, qui non potest servos suos negligere.

Vers. 25. *Qui verò injuriam intulerit, referet injuriam quam intulerit: neque est personarum respectus.*

Arg. 3.

Arg. 3. Quia DEUS vindicabit injurias à Dominis servis illatas, & simul injurias servorum in Dominos, nisi præcepto huic sese submittant.

Nec est] Arg. 4. confirmans superius: Quia DEUS nec acceptat personam Domini, neque servi in judicando, sed justitiam exercet in puniendis malis.

Caput Quartum.

HOC Capite post hortationem ad Dominos quæ pertinet ad præcedens caput, habentur generales hortationes, ad vers. 7. *reliquo Capite res privatæ.*

Vers. 1. *VOS Domini, æquitatem & æquabilitatem servis exhibete, scientes vos quoque habere Dominum in Cœlis.*

Vicissim hortatur Dominos ad æquabilem & rationi congruam servorum tractationem, hoc est, ut non tantùm victum, amictum. & mercedem pactam illis persolvant, sed etiam hilaritatem servitii ipsorum, liberalitatis aliquâ demonstratione agnoscant, hoc enim est, quod æquum est iis tribuere.

Ut qui] Arg. hortationis est, Quia nisi fecerint quod æquum est, DOMINUS cœlestis imminet ipsorum capitibus, qui iis secundùm opera retribuet.

Vers. 2. *In precibus perdurate, invigilantes iis cum gratiarum actione:*

Hortationes generales sunt tres: Prima ad precationem, cujus membra sunt quatuor: 1. Ne in hoc exercitio defetiscantur, sed constanter perseverent, quia quotidie urget necessitas aliqua: 2. Ut observent & captent omnes occasiones precandi à DEO oblatas, & sine oscitantia frequenter prosequantur petitiones suas: 3. Ut semper adjungant gratiarum actionem precationibus suis, si modo cupiant nova beneficia sibi à DEO dari.

Vers. 3. *Precantes simul etiam pro nobis, ut Deus aperiat no*

bis, ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi, propter quod etiam sum vinctus;

Vers. 4. *Ut*, inquam, *illud patefaciam, sicut oportet me loqui.*

Membrum 4. Ut in precationibus suis orent DEUM, ut currat Euangelium cum successu, per Apostoli & aliorum DEI servorum Ministerium: In hunc finem proponit hortationis tria Argumenta. Arg. 1. Quia sic liberam facultatem prædicandi Euangelium, seu patefaciendi salutis mysterium in CHRISTO DEUS concessurus erat, aperiendo os ministri sui, & cor Auditorum.

Ut loquamur] Arg. 2. Quia ego Apostolus vinctus pro Euangelii prædicatione, commendatam vobis volo libertatem Euangelii potius quam meam ipsius.

Sicut oportet] Arg. 3. Quia interest multum, ut mihi aperiatur os, ut accommodatè loquar ad persuadendum cum demonstratione potentiæ spiritualis, quemadmodum decet me Apostolum loqui.

Vers. 5. *Sapienter vos gerite erga extraneos, opportunitatem redimentes,*

Hortatio 2. Generalis, Ut vitam sapienter instituant secundùm DEI voluntatem, cavetes sedulò, ne ipsorum conversatio mala vel imprudens offendat extraneos, id est, non conversos Ethnicos, eosque arceat à DEI civitate: Et ne ipsi infidelium corruptis sermonibus vel moribus corrumpantur; utque in hunc finem etiam cum jactura rerum minùs pretiosarum opportunitatem redimant benè agendi, & mali vitandi, & speciatim extraneos lucrifaciendi.

Vers. 6. *Sermo vester semper cum gratia* sit *sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.*

Hortatio 3. Ne sermo ipsorum unquam sit futilis vel otiosus, qui nullam auditori afferat utilitatem; sed ut semper sit cum gratiâ ad ædificationem auditoris; in eumque finem hortatur, ut sermo ipsorum semper sale sanctitatis sit conditus: Arg. hortationis est, ut ex perpetua consuetudine sanctè loquendi acquiratur prudentia & discretio, ad aptè & appositè respondendum unicuique de re quavis interroganti.

Secunda

Secunda pars Capitis.

Vers. 7. *Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus dilectus frater, & fidus minister, ac conservus in Domino:*

Vers. 8. *Quem misi ad vos ob hoc ipsum, ut cognoscat res vestras & corda vestra consoletur:*

Vers. 9 *Cum Onesimo fido & dilecto fratre, qui est ex vobis: Omnia* igitur *vobis exponent quæ hîc aguntur:*

Altera pars Capitis de rebus privatis sex habet articulos: Art. primus spectat legatos, Tychicum Euangelistam, & Onesimum Colossensem, qui unà cum hac Epistola missi sunt: 1. Ut certiores redderent Colossenses quomodo res Apostoli se haberent, quam fortiter ferret vincula pro Euangelio: & quæcunque alia scire eorum referebat, significarent. 2. Ut redeuntes certiores postea redderent Apostolum de statu Colossensium: 3. Ut consolarentur Colossensium corda; quem in finem utrumq; commendat, sed Tychicum imprimis.

Vers. 10 *Salutat vos Aristarchus meus in captivitate socius, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite eum.*

Articulus 2. De missis salutationibus, quarum prima erat ab Aristarcho, qui in vinculis jacebat cum Apostolo, propter defensam fidem Euangelii: Salutatio 2. à Marco consobrino Barnabæ (de quo contentio erat inter Paulum & Barnabam,) quem nunc receptum in gratiam specialiter illis commendatum vult, si ad eos veniret, idque eo fine, ut intelligerent eum in pretio haberi ab Apostolo.

Vers. 11 *Et Iesus qui vocatur Justus, qui sunt ex circumcisione: hi soli adjutores in regno Dei fuere mihi solatio.*

Salutatio 3. est ab Iesu cognomento Justo, qui cum supra nominatis duobus in prædicando Euangelio Apostolum juvabat; & hi tres soli erant ex Judæis, qui Apostolo solatio erant.

Vers. 12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi, semper decertans pro vobis in precibus, ut stetis perfecti, & completi in omni voluntate Dei.*

Vers. 13.

Vers. 13. *Hoc enim de eo testor, eum multo vestri studio ardere, & eorum qui sunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.*

Salutatio 4. ab Epaphra Colossensium pastore, quem commendat: 1. A sinceritate in officio; quod servus sit CHRISTI: 2. A speciali cura gregis sui, pro quo ardenter DEUM assiduè orabat, ut membra Ecclesiæ istius, in cognitione, in fide & obedientia divinæ voluntatis, constanter perseverarent, & incrementum ad perfectionem facerent: 3. A zelo ipsius pro Colossensium, Laodicensium, & Hierapolensium salute, de cujus zeli ardore testimonium perhibet suum Apostolus.

Vers. 14. *Salutat vos Lucas, Medicus ille Dilectus, & Demas.*

Salutatio 5. missa à Luca Medico, & à Dema, qui nondum ab Apostoli societate defectionem fecerat.

Vers. 15. *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & Ecclesiam quæ in domo illius est.*

Articulus 3. Continet salutationem missam ab Apostolo ipso, quâ jubet salutari suo nomine fratres Laodicenses & Nympham, cum Ecclesia quæ erat domi ipsius. Sic vocat familiam Nymphæ, quia tota piè instituta erat, & rite gubernata, sicut solent esse Ecclesiæ.

Vers. 16. *Et quum perlecta fuerit apud vos Epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est ex Laodicea, ut vos quoque legatis.*

Articulus 4. De communicanda hac Epistola cum Laodicensibus, qui opus habebant eadem hac doctrina propter simile ipsorum à Pseudapostolis periculum: Meminit autem alius Epistolæ Laodiceâ scriptæ, quam aliqui putant fuisse ab Apostolo scriptam, dum Laodiceæ esset, eamque jam interiisse. Sed certum est ab Apostolo nostro scribi non potuisse aliquam Epistolam Laodiceâ, quippe qui testatur, *Cap. 2. vers. 1.* neque Laodicenses, neque Colossenses faciem ejus in carne unquam vidisse, seu corpore præsentem conspexisse. Verisimilius est intelligi Epistolam ab ipsis Laodicensibus ad Apostolum scriptam, quæ statum illius Ecclesiæ ipsi significaret. Cui Epistolæ per hanc Epistolam Apostolus voluit responsum & satisfactum esse. Quicquid erat, certum est interfuisse Co-

lossensis

Ioſſenſis Eccleſiæ eam Epiſtolam apud ipſos legi, & hanc Laodicenſibus communicari.

Verſ. 17. *Et dicite Archippo, Vide ut miniſterium quod accepiſti, in Domino impleas.*

Articulus 5. De commonefaciendo Archippo Coloſſenſium Miniſtro, & Epaphræ Collega, qui (ut apparet) negligentior erat, & opus habebat admonitione ab Eccleſiæ ſuæ Synedrio, ſeu Compreſbyteris; quibus Apoſtolus mandat, 1. Ut excitent eum ad officii ſui partes, & muneris ſui gravitatem penſitandum: 2. Ut de ratione reddenda legationis ſibi à CHRISTO commiſſæ, ad Miniſterium exequendum commonefaciant: 3. Ut ad implendum officium ſibi commiſſum, propterea ſeriò hortentur: atque hæc à Coloſſenſibus requirit Apoſtolus, ut Archippus moveretur magis cum adverteret non eſſe ſine Apoſtolica autoritate, quod Eccleſia ipſum de officio exequendo admonitura eſſet.

Verſ. 18. *Salutatio mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia ſit vobiſcum. Amen.*

Articulus 6. Continens Epiſtolæ concluſionem, quam ſolebat Apoſtolus in omnibus Epiſtolis, non per amanuenſem, ut reliquum corpus Epiſtolæ, ſed ſua ipſius propria manu ſcribere, in qua primò ſalutat omnes: 2. Epiſtolarum ſuarum characteriſticam notam indigitat, ne ullam Epiſtolam genuinam agnoſcerent, tanquam ab ipſo miſſam, cui ipſe propria manu non ſubſcriberet: 3. Hortatur, ut precantes pro ipſo in vinculis jam jacente, patientiam & fidem tam illuſtri exemplo invitati diſcerent: 4. Denique, Gratiam DEI, (unde ut ex fonte omnia bona ad eos fluant) iis exoptat, & communicandam ſperat: omnia quæ hactenus ſcripſerat quaſi ſigillo fidei obſignans: AMEN.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ PRIORIS, AD* THESSALONICENSES.

Summarium.

THessalonica Metropolis olim fuit totius Macedoniæ, in qua Paulus & Silas (ut habetur Act. 17) multos ex Judæis simul & Gentibus ad fidem Christianam exiguo tempore converterunt: sed postquam ab incredulis, seditione excitata, per vim illinc ejecti fuissent, Apostolus primo Beræam, deinde Athenas se contulit: & primo quidem Timotheum ad eos ablegat, qui afflictos consolaretur. Deinde reverso jam Timotheo, & intellecta Thessalonicensium constantia, mittit hanc Epistolam, in qua confirmat ipsos in fide, & ad vitam sanctâ professione suâ dignam hortatur.

Epistolæ partes principales sunt duæ: In prima postquam operam dedit ut in fide Christi, & persuasione de suo ipsius erga eos affectu confirmarentur, animat ad Constantiam, Capite 1, 2, 3.

In altera instruit & hortatur ad vitam sanctam, interjectâ consolatione de resurrectione Mortuorum, Capite 4, 5.

Caput Primum.

POst *salutationem Apostolicam*, versu primo. *Toto reliquo* Capite *confirmat Thessalonicenses in Fide, Gratias agendo Deo pro sincera ipsorum Conversione.*

Vers. 1. *PAulus & Sylvanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium*, quæ est *in Deo Patre, & Domino Jesu Christo, Gratia* sit *vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.*

Personæ

Personæ salutantes sunt Paulus, Timotheus & Sylvanus, qui aliàs Silas dicitur, quos ut Thessalonicensibus de facie notos, & qui præsentes ipsos docuerant, asciscit sibi in societatem Testimonii de veritate doctrinæ hujus, & studii sui erga Thessalonicenses.

Ecclesia salutata describitur à sancta communione sua, non tantùm cum DEO PATRE, quem falsò jactabant infideles Judæi se colere, sed etiam cum FILIO CHRISTO, quem infideles Ethnici & Judæi rejiciebant: præterea precatur iis gratiam & pacem, à DEO PATRE & CHRISTO; significans à gratia DEI proficisci veram felicitatem, quæ sicut meritò CHRISTI credentibus comparatur, sic per intercessionem & operationem CHRISTI applicanda est.

Vers. 2. *Gratias agimus Deo semper de omnibus vobis, mentionem vestri facientes in precibus nostris:*

Reliquo Capite gratias agendo pro Thessalonicensium sincera conversione, confirmat ipsos in fide, Argumentis novem, quæ & probant corroborari debere eos in fide, & tot etiam rationes continent gratiarum actionis.

Argumentum primum, Jucundissima mihi est memoria vestræ conversionis ad fidem, de qua non possum non DEO gratias agere, & assiduò precari ut perseveretis. Ergo in fide corroborari debetis.

Vers. 3. *Indesinenter memoria repetentes efficacem vestram fidem, & laboriosam charitatem, & tolerantem illam spem in Domino nostro Iesu, coram Deo Patre nostro:*

Arg. 2. Vestra sincera fides quæ vivam se ostendit, & per opera efficacem; Indefatigabilis charitas vestra, spectanda in assiduis laboribus, & diligentia, potissimùm in beneficentia vestra erga Sanctos: Et denique viva spes vestra in patientia & tolerantia afflictionum pro CHRISTO demonstrata, impressionem sui reliquerunt in me indelebilem ut non possim coram DEO & hominibus de iis mentionem non facere: Ergo in fide corroborari vos consentaneum est. Vocat autem eas virtutes CHRISTI, quia à CHRISTO oriebantur, ab eo fluebant, & in eum tendebant. Dicit autem *coram DEO*, quia ejusmodi erant quæ in conspectu DEI pro genuinis, seu minimè fucatis comperiebantur.

Vers. 4. *Ut qui sciamus fratres dilecti, vos esse à Deo electos:*

Arg. 3. Ex indiciis certis certò scio vos electos esse, & genuinos in CHRISTO fratres meos. Ergo est quod in fide corroboremini.

Vers. 5. *Quoniam Euangelium nostrum constitit apud vos non loquutione duntaxat, sed etiam virtute, cum in Spiritu sancto, tum in certa persuasione multa: sicut nostis quales fuerimus inter vos vestra causa.*

Arg 4. confirmans superius, Perspectum habeo Euangelium meum apud vos fuisse efficax, sermonem enim meum vobis prædicatum comitabatur: 1. Vis & potentia spiritualis ad fidem in vobis gignendam: 2. SPIRITUS Sanctus obsignabat in vobis admissam veritatem interno suo testimonio, & donis insuper datis: 3. Multa certioratio & persuasio sequebatur in cordibus vestris, quæ omnem hæsitationem à vobis sustulit: 4. Talis erat operatio, & præsentia DEI in vobis audientibus, qualis erat visenda in nobis Apostolis docentibus, sicut ipsi novistis: Est ergo quod in fide corroboremini.

Vers. 6. *Et vos imitatores nostri facti fuistis, & DOMINI, recepto sermone cum oppressione multa, cum gaudio SPIRITUS Sancti.*

Arg. 5. illustrans superius, Vos Euangelium amplectendo, ipsumque firmiter cum gaudio retinendo, in mediis afflictionibus similes redditi estis & Domino CHRISTO, & nobis servis ejus prædicantibus illud Euangelium cum gaudio, in mediis oppressionibus. Est ergo quod in fide corroboremini.

Vers. 7. *Adeò ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia.*

Arg. 6 confirmans superius, Facti fuistis typi, & exemplaria omnibus in vicinis regionibus habitantibus, fidei invictæ, summæque alacritatis & patientiæ, in recipiendo & retinendo Euangelio: Ergo est quod in fide corroboremini.

Vers. 8. *A vobis enim non solùm personuit sermo Domini in Macedonia & in Achaia, verumetiam in omni loco, fides vestra quæ est in DEVM, dimanavit, ut necesse non habeamus quicquam loqui.*

Arg. 7. Fides vestra evasit celeberrima, non in proximis regionibus tantum, sed etiam in longè dissitis, ut non sit opus longiori probatione, Est igitur quod confirmemini in fide.

Vers. 9.

Vers. 9. *Siquidem ipsi de nobis annuntiant qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo conversi fueritis ad Deum, relictis idolis, ut servireris Deo vivo & vero:*

Arg. 8. In conversione vestri apparuit DEI virtus adeo admiranda ut fideles ubique locorum deprædicaverint conversionis Thessalonicensium historiam, quomodo scilicet Apostolus cum manifesto Capitis periculo prædicaverit Euangelium apud vos, & quomodo vos eo audito mirum in modum renunciaveritis idolis fictitiis, vosque, in servitium unius veri & viventis DEI addixeritis. Est ergo quod in fide corroboremini.

Vers. 10. *Et expectaretis Filium ejus è cælis, quem excitavit à mortuis, nempe Iesum qui liberat nos ab ira illa ventura.*

Arg. 9. Conversio vestra non fuit ad DEUM, sine Filio suo CHRISTO, sicut Judæi infideles falsò conversionem suam jactitant: sed ad DEUM in CHRISTO, seu ad Patrem, & ad CHRISTUM, ut DEI Filium incarnatum, Redemptorem, mortuum, & resuscitatum pro nobis; qui è Cœlo Judex venturus est ad perdendum omnes infideles, & ad liberandum suos ab ira quæ ventura est in reliquos, quæ fides unica est salvifica: Ergo debetis hæc DEI in vobis operâ recolentes in fide confirmari.

Caput Secundum.

PErgit ad Fidei ipsorum Confirmationem, Ministerii sui sinceritatem, ejusque efficaciam inter ipsos commendare, suumq; erga ipsos benevolum affectum ostendere.

Capitis partes sunt tres, In prima revocat iis in mentem manifesta indicia divinæ legationis suæ ad eos, ad vers. 13. *In secunda ostendit manifesta vestigia divinæ gratiæ in ipsorum conversione, ad* vers. 17. *In tertia confirmat benevolum suum erga eos affectum, ne putarent se ab Apostolo non satis curari.*

Vers. 1. *NAm ipsi vostis, fratres, ingressum nostrum ad vos non fuisse vanum:*

Indicia spiritualis sinceræ & divinæ suæ legationis ad eos, & fidelis administrationis officii sui toto tempore quo Euangelium inter eos primò prædicavit, enumerat tredecim.

Indicium primum, Ipsi testes estis, nihil habuisse vanitatis ingressum nostrum ad vos, nec fructu caruisse ministerium meum, cum inter vos incepi prædicare Euangelium.

Vers. 2. *Imò etiam quum ante afflicti fuissemus, & contumeliis affecti Philippis, sicut nostis libertate usi sumus in Deo nostro ad annuntiandum apud vos Euangelium Dei cum multo certamine.*

Indicium 2. Persecutio magna, quam ante non ita multò passus fueram Philippis, non impedivit quo minùs auderem vobis etiam in præsenti Capitis periculo prædicare: nam intrepidè loquendi libertate usus sum, solâ DEI virtute fretus, contra omnes hostes strenuè decertans.

Vers. 3. *Exhortatio enim nostra non fuit ex impostura, neque ex impuritate, neque cum dolo:*

Indicium 3. confirmans superius, Doctrina, hortatio, & consolatio à me administrata, non erat similis doctrinæ Pseudapostolorum, nam, 1. Non erat adulterata & composita ad deceptionem, sed sincera, sine omni impostura: nec fovebam, nec tolerabam impuritatem (sicut Pseudapostoli in sua doctrina) sed doctrina mea ab omni immunditie aliena erat, minimè dolosum in modum tractata, ut solet ab iis tractari, qui gloriam suam & commodum suum in prædicando captant.

Vers. 4. *Sed sicut placuimus Deo, quibus crederetur Euangelium ita loquimur, non ut hominibus placentes, sed Deo qui approbat corda nostra.*

Indicium 4. Ex conscientia electionis, & vocationis meæ ad tam excellens munus, (in quo credita est mihi Euangelii annunciatio,) sanctum DEI verbum, sancta & sincera mente prædicare statui, & non hominibus, sed DEO placere, qui scrutatur corda, & testimonium fert mihi ut servo suo fideli.

Vers. 5. *Neque enim unquam sermone assentatorio usi sumus, sicut nostis, nec avaritiæ causâ quicquam prætexuimus: DEUS testis est.*

Indicium 5. Specialius explicans quod superiùs est, Assentatoriâ oratione nunquam apud vos usus sum, cujus rei testes vos ipsos advoco.

Nec]

Nec] Indicium 6. Nunquam avaritiæ causa quicquam sub specie pietatis feci, ut Pseudapostoli solent: cujus rei testem DEUM invocat.

Vers. 6. *Neque ex hominibus quærentes gloriam, nec à vobis, nec ab aliis: quum possemus oneri esse ut Apostoli Christi,*

Nec] Indicium 7. Tam longè abfui ab ambitione, simul & avaritia, ut debitum mihi honorem, seu stipendium honorarium, nunquam exegerim sive a vobis, sive ab aliis, cum tamen oneri vobis esse jure potuissem, ut Apostolus CHRISTI.

Vers. 7. *Sed fuimus placidi in medio vestri, ut si nutrix foveat suos fœtus,*

Indicium 8. Ego dum inter vos versarer, (vitatâ omni elatione, morositate, & imperio; sepositoque omni respectu, ad Generis mei nobilitatem, ad officii mei, & donorum mihi concessorum excellentiam, omniumque aliorum privilegiorum, quorum ratio in vita civili haberi solet) placidissimè me gessi, ut unum ex vobis, imò ut infimis ex vobis æqualem.

Vers. 8. *Ita cupidi vestri, avebamus impertiri vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam nostras ipsorum animas, quod chari nobis essetis.*

Indicium 9. Sicut mater liberos fovet, suo Spiritu calefacit, lacte suo alit, & (si posset) animam suam illis communicare parata est: Sic ego cupidè arripiens conventuum omnium Ecclesiasticorum occasiones, summa cum animi complacentia, unà cum Euangelio prædicato, Spiritum quasi meum præ vehementi erga vos amore, vobis impertiri cupiebam.

Vers. 9. *Meministis enim, fratres, laboris nostri ac ærumnæ: nocte enim ac die operando, ne quem vestrûm gravaremus prædicavimus apud vos Euangelium Dei.*

Indicium 10. Explicans & confirmans superius, Totum tempus quod restabat mihi à prædicatione Euangelii impendebam in manuarium laborem, ne quisquam ex vobis gravaretur, præbendo mihi victum ut Apostolo.

Vers. 10. *Vos testes* estis *& Deus, quomodo sanctè & justè & inculpatè vobis, qui creditis, vixerimus.*

Indicium 11.

Indicium 11. In omnibus justè, sanctè & inculpatè me gerebam apud vos: cujus rei testes advoco vos ipsos, quod ad externa attinet, & DEUM invoco testem interioris mei sinceri in omnibus affectus.

Vers. 11. *Sicut nostis quomodo unumquemque vestrûm, tanquam pater liberos suos, hortabamur & consolabamur:*

Indicium 12. Sicuti meminisse potestis, singulos vos privatim hortabar, consolabar, non secus ac Pater solet liberos suos hortari & consolari.

Vers. 12. *Et obtestabamur ut ambularetis sicut dignum est Deo vocante vos ad suum regnum ac gloriam.*

Indicium 13. Nihil reliqui faciebam ad summam fidem & diligentiam, ut vos vitam sanctam degeretis, utque in omnibus placeretis DEO, qui ex gratia vocavit vos ad regni sui & gloriæ cœlestis participationem: Hæc sunt indicia cœlestis legationis Pauli, & fideliter administrati ab eo muneris Apostolici inter Thessalonicenses.

Secunda pars Capitis.

Vers. 13. *Propterea etiam nos gratias agimus Deo indesinenter, quòd accepium de Deo sermonem quem audistis: ex nobis, exceperitis non ut sermonem hominum, sed (sicut est verè) ut Dei sermonem, qui operatur in vobis qui creditis.*

Secunda pars Capitis, in qua continentur manifestæ indicia divinæ erga Thessalonicenses gratiæ in ipsorum conversione; quæ postquam cum gratiarum actione protulit, confirmat eos adversus scandalum crucis & persequutionis, quam ab Euangelii hostibus contribulibus suis patiebantur. Indicia gratiæ divinæ erga Thessalonicenses in ipsorum conversione sunt tria: 1 Est, quod sermonem (inquit) Euangelii à me prædicatum attentè audiveritis, non ut humanum, sed divinum, eumque verâ fide acceperitis.

Qui etiam] Indicium 2. Quod sermo ille DEI fide receptus in vobis efficaciter etiamnum operetur, testeturque se divinum esse efficacia suâ in vobis non minori, quam in aliis credentibus se patefecit.

Vers. 14. *Vos enim, fratres, imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judea, in Christo Iesu, ut qui eadem passi sitis & vos à propriis contribulibus, sicut & ipsi à Judæis:*

Indicium 3.

Indicium 3. Confirmans præcedentia, quod constantes hactenus fueritis in perferendis persequutionibus à vestris amicis, cognatis & contribulibus propter Euangelium, similesque vos ostenderitis Ecclesiis Christianis in Judæa, quæ constanter persequtiones patiuntur à reliquis Judæis infidelibus: Ex quorum numero aliqui, etiam vobis sunt infesti.

Vers. 15. *Qui etiam Dominum Iesum occiderunt, & proprios Prophetas, & nos exegerunt, neque Deo placent, & omnibus hominibus adversantur:*

Ut scandalum tollat persecutionis, qua vexabantur Ecclesiæ Christianæ ab infidelibus Judæis, qui se *Populum Dei* vocabant, detrahit larvam perversis illis Euangelii hostibus, ipsorum pingens peccata acerrimâ criminatione, cujus septem sunt membra: 1. Infideles Judæi ipsum CHRISTUM occiderunt: 2. Non pepercerunt propriis suis & popularibus Prophetis: 3. Persequuti sunt nos Apostolos; quod dicit ut consolationem caperent Thessalonicenses ex consortio passionum CHRISTI, & servorum ejus: 4. Adversarii sunt DEI, & tum maximè cum putant se DEO placere, in persecutione servorum ipsius: 5. Ut publici hostes humani generis impediunt, quantùm possunt, communem hominum salutem.

Vers. 16. *Prohibentes nos Gentibus loqui ut salventur, ut semper, compleant peccata sua, occupavit enim eos ira ad extremum usque.*

6. Hostes sunt Gentium, prohibentes pro virili, ne Apostoli Gentibus Euangelium salutis prædicent, ne Gentes salventur, si per eos fieri posset: 7. Ista & alia multa perpetrando, mensuram peccatorum suorum quotidie magis magisque implent, Criminibus recitatis, subnectit judicium, iramque DEI quæ ad extremum usque eos jam occupaverat.

Tertia pars Capitis.

Vers. 17. *Nos verò fratres orbati vobis ad tempus, momentum, conspectu, non animo, eo vehementiùs studuimus videre faciem vestram, cum multo desiderio.*

Tertia pars Capitis, in qua ne existimarent negligi se in afflictionibus suis ab Apostolo, quod ad ipsos in tantis miseriis versantes

tes non accutterit, confirmat suum in ipsos benevolum animum, argumentis sex.

Argumentum primum, Absentia mea à vobis non minus mihi molesta fuit, quam solet esse absentia cuivis Patri à liberis suis; imo vero condolebam vobis, ut solet frater orphanus fratribus suis orphanis.

Ad momentum] Arg. 2. Absentiam meam spero fore non diuturnam, sed ad momentum horæ tantùm.

Non animo] Arg. 3. Corde & affectu non aberam à vobis, licet corpore abfuerim. *Eo amplius*] Arg. 4. Quo ægrius fero absentiam meam à vobis, eo vehementiùs studeo coram vos videre.

Vers. 18. *Ideo voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) semel atque iterum, sed impedivit nos Satanas.*

Arg. 5. In procinctu stabam paratus ad veniendum, semel atque iterum, ut vos in fide confirmarem, sed negotium mihi facessebat Satan, & impedimenta objiciebat, ne venirem.

Vers. 19. *Nam quæ est nostra Spes aut Gaudium, aut Corona de qua glorier? Annon & vos in conspectu Domini nostri Jesu Christi in ejus adventu?*

Vers. 20. *Itaque vos estis gloria nostra & gaudium.*

Arg. 6. confirmans superius, Spes mea de vestra perseverantia tanta est; Gaudium de conversione vestri tantum est, Corona gloriationis meæ in Ministerii mei fructibus, & in vobis ea est, ut cum præcipuis Ecclesiis, per meum Ministerium ad fidem conversis, numerandi sitis. Et nisi vos tales habendi essetis, de quibus quæso benè sperarem, gauderem, vel gloriarer? Certè vos eritis inter præcipuos per me conversos, in conspectu DOMINI nostri, in ejus adventu. Id quod repetita asseveratione vobis confirmo. Ideirco de meo erga vos benevolo affectu persuasissimi estote.

Caput

Caput Tertium.

Pergit hoc Capite suam in eos dilectionem confirmare, eosq; in fide quam eos docuerat stabilire.

Vers. 1. *Quamobrem* hoc desiderium *non amplius ferentes, optimum duximus soli Athenis relinqui.*

Argumenta in hunc finem sunt decem, Quæ omnia probant Thessalonicenses Apostolo charissimos esse.

Argumentum primum. Præ desiderio vos confirmandi in fide, malui in multis persecutionum procellis Athenis solus commorari, quam committere, ut vos diutius consolatione & confirmatione destitueremini. Ergo mihi charissimi estis.

Vers. 2. *Misimusque Timotheum fratrem nostrum, ac ministrum Dei, & adjutorem nostrum in Euangelio Christi, ad vos stabiliendos & exhortandos super fide vestra:*

Arg. 2. Misi ad vos Timotheum mihi perneccessarium, qui etiamsi frater intimus, & Minister DEI strenuus, & Coadjutor meus sit, in Euangelio CHRISTI, volui tamen ejus consortio privari, ut vos Consolationem & Confirmationem caperetis in fide. Charissimos mihi igitur vos esse oportet.

Vers. 3. *Ut nemo commovcatur in oppressionibus istis: ipsi enim nostis nos ad id esse constitutos.*

Arg. 3. Plus metuebam ne vos offenderemini afflictionibus meis pro Euangelio, quam curabam meam ipsius molestiam: Idcirco jam adversus hoc scandalum confirmari vos volo: 1. Quia didicistis ex Euangelio à DEO constitutum fuisse, ut nos Apostoli ante omnes alios, pro veritate Euangelii adversa multa pateremur.

Vers. 4 *Etenim quum apud vos essemus, prædicebamus vobis fore ut affligeremur: quod & evenit, & nostis.*

2. Quia prædixeram vobis afflictiones pro Euangelio me manere, sicut eventus comprobavit.

Vers. 5. *Quamobrem etiam ego non amplius ferens* vestri desi-

derium *misi* eum, *ut cognoscerem fidem vestram, ne quo modo tentasset vos tentator ille, & inanis redditus esset labor noster.*

Arg. dilectionis 4 Metuebam ne Diabolus aliquâ suâ arte dimovisset vos à fide, & sic periisset labor meus: quam ob causam misi ad vos Timotheum qui de vestra in fide constantia cognosceret. Ergo.

Vers 6. *Nuper autem quum venisset Timotheus ad nos à vobis, & annuntiasset nobis fidem ac charitatem vestram, vosque bonam nostri memoriam retinere, semper cupientes nos videre, sicut nos quoque vos:*

Arg. 5. Maximo gaudio perfusus sum ex nuncio, quod retulit Timotheus de vestra fide erga Christum, charitate erga Sanctos, & vestrorme coram videndi desiderio. Ergo.

Vers. 7. *Propterea consolationem accepimus, fratres, ex vobis, in omni afflictione & necessitate nostra, per vestram fidem:*

Arg. 6. Consolatio mihi ministrata ex vestra fide condivit, & superavit omnem meum dolorem, quem capiebam ex afflictionibus & necessitatibus mihi vel incumbentibus, vel imminentibus: Ergo.

Vers. 8. *Nunc enim vivimus, si vos persistatis in Domino:*

Arg. 7. Quasi felicitas quædam futura est mihi, si vos constantes in fide permanseritis. Charissimos igitur vos mihi esse necesse est.

Vers. 9 *Quam enim gratiarum actionem possimus Deo rependere de vobis, super omni gaudio quo gaudemus propter vos coram, DEO nostro,*

Arg. 8. confirmans superius, Sincerè, & coram Deo, gaudendi materia tanta fuit mihi suppeditata ex vestra perseverantia, ut quam gratiarum actionem Deo rependam, nesciam: Ergo.

Vers. 10 *Nocte ac die quam vehementissimè precantes, ut videamus vestram faciem, & quæ desunt fidei vestræ, compleamus.*

Arg 9. Assiduò Deum oro, ut liceat mihi coram vos videre, & fidei vestræ defectus corrigere, fideique mensuram augere, vobis explicando ampliùs mysterium Euangelii. Ergo.

Vers. 11. *Ipse verò Deus, & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos.*

Arg. 10. Quam chari mihi sitis, ex orationis meæ pro vobis summulâ,

mulâ, colligite. Precationis articuli sunt tres: 1. est, Jugiter oro, ut DEUS concedat mihi prosperum iter ad vos, quo confirmem vos in Fide.

Vers. 12. *Faxit autem Dominus, ut abundetis & exuberetis mutua inter vos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in vos:*

Articulus 2. Item oro, ut DEUS vobis concedat incrementum & abundantiam charitatis mutuæ, & erga omnes, quemadmodum mea charitas abundat erga vos.

Vers. 13. *Ut corda vestra inculpata stabiliat in sanctimonia coram Deo & Patre nostro, in adventum Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis ejus.*

Articulus 3. Denique oro, ut DEUS stabilia reddat corda vestra, & conscientias vestras efficiat inculpatas in vera sanctitate, quæ coram DEO & Patre nostro requiritur, ut tandem in adventu DOMINI nostri, unà cum omnibus sanctis ipsius, (id est, Angelis & hominibus,) absque pudore consistere possitis: Nulli igitur dubitate quin mihi sitis charissimi.

Caput Quartum.

Precatione ad Deum in fine superioris Capitis, transit ad secundam partem Epistolæ, quæ continet hortationes, & præcepta ad sanctimoniæ officia, inspersa obiter doctrina de resurrectione, & ultimo Judicio.

Partes Capitis sunt duæ, Prior est hortatoria, ad vers. 13. *Altera consolatoria, ad finem.*

Vers. 1. *QUod superest igitur, fratres, rogamus vos, & precamur per Dominum Iesum, ut sicut accepistis à nobis quomodo oporteat vos incedere, & placere Deo, magis excellatis.*

Prima pars Capitis, continens hortationes septem: Hortatio prima, est generalis, Ut eorum quæ ex Apostolo audiverunt sint memores, & ut indies magis magisque proficiant in studio sanctè vivendi, & DEO placendi, ut quotidie se ipsos quasi superent: Rationes hor-

tationis, addit quatuor: 1. Ego Apostolus in nomine DOMINI id amicè à vobis flagito. *Oporteat vos*] Ratio 2. Justificatis hoc necessarium est: nam oportet vos sic ambulare.

Vers. 2. *Nostis enim quæ mandata dederimus vobis per Dominum Iesum*.

Ratio 3. Jam accepistis in hanc rem à DOMINO mandata, & accepta novistis.

Vers. 3. *Nam hæc est voluntas Dei*, nempe *sanctificatio vestra*, id est, *ut abstineatis à scortatione*:

Ratio 4. Hæc est DEI voluntas, ut sanctificemini animo pariter & corpore, cui voluntati qui studet obedire, DEO placebit.

Abstineatis] Hortato 2. est specialis, Cujus tria sunt membra: 1. Ut abstineant ab omni scortatione seu fœda libidine.

Vers. 4. *Et sciat vestrûm unusquisque suum vas possidere cum sanctificatione & honore*:

Membrum 2. Ut unusquisque edoctus à DEO, corpus suum ut vas Domino consecratum constanter conservet in castitate & honore, ad usus à DEO sanctificatos, nec se ipsos polluant.

Vers. 5. *Non cum morbo cupiditatis, sicut Gentes quæ non noverunt DEVM.*

Membrum 3. Ut extinguere studeant internæ concupiscentiæ febriculosos ardores & flammas; cujus hortationis ratio redditur, nè sint similes Gentibus quæ DEUM non noverunt, & ut per honestatem seu puritatem discernantur ab iis.

Vers. 6 *Ne quis opprimat aut circumveniat in negotio fratrem suum: nam ultor est Dominus omnium istorum, sicut & ante diximus vobis, ac testificati sumus.*

Hortatio 3. De cavenda avaritia; ne fraude, vi, vel malis artibus ex aliorum damnis commoda sua comparent, opprimendo vel decipiendo fratres suos. *Nam vindex*] Rationes addit quatuor: 1. DEUS ulciscetur ejusmodi injurias: 2. Sicut prius monui, sic etiam rursum moneo vos, & obtestor per DEUM, ut caveatis.

Vers. 7. *Non enim vocavit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem*.

Ratio 3.

Ratio 3. A fine vocationis noſtræ ad gratiam CHRISTI, qui non eſt ut polluamus nos ullo genere peccati, ſed ut ſanctificemur in omni genere virtutis.

Verſ. 8. *Proinde qui* hæc *rejicit, non rejicit hominem, ſed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum ſuum ſanctum.*

Ratio 4. Quia qui non obedit huic hortationi reus peragetur rejectæ autoritatis divinæ: *Qui etiam*] Ratio 5. Quia nobis veris Chriſtianis dedit DEUS SPIRITUM Sanctum, quo diſcernamus quid à DEO ſit, quid ipſi abominationi ſit, & quæ immineant judicia peccatoribus.

Verſ. 9. *Cæterùm, de fraterna charitate non neceſſe habetis ut ſcribam vobis: ipſi namque divinitus docti eſtis, ut diligatis alii alios.*

Hortatio 4. Ad fraternam charitatem & beneficentiam erga omnes in futuro exercendam: Rationes ſunt tres: 1. Quia jam propendetis adeo ad fraternam charitatem, ut non neceſſe ſit multùm urgere hoc officium.

Ratio 2. Edocti jam eſtis, ut diligatis alii alios.

Verſ. 10. *Nam & facitis hoc erga cunctos fratres qui ſunt in tota Macedonia: obſecramus autem vos, fratres, ut magis excellatis:*

Ratio 3. confirmans priorem, Facto jam oſtendiſtis hanc beneficentiam erga cunctos fratres vicinos: Pergite ergo, & excellite in hoc officio.

Verſ. 11. *Et contendatis quieti eſſe, & res veſtras agere, ac operari propriis manibus veſtris, ſicut vobis denuntiavimus:*

Verſ. 12. *Ut vos geratis honeſtè erga extraneos, & nulla re vobis ſit opus.*

Sequuntur aliæ hortationes tres breviter copulatæ his duobus verſibus.

Hortatio 5. Ne ſitis πολυπραγμονες ingerentes vos aliorum negotiis, ſed quietè & placidè vos gerite.

Operari] Hortatio 6. Ne ſitis otioſi ventres, ſed res veſtras privatas curate, & negotia *veſtra* agite, & manibus veſtris operamini ſicut prius præcepi.

Ut vos] Hortatio 7. Decenter vos gerite erga eos, & coram iis qui non ſunt in Eccleſia; & in his omnibus officiis, inter vos quaſi de honore certate; in hunc ſpecialem finem præter alios, ne opus habeatis vel à domeſticis fidei, vel ab extraneis quicquam mendicare.

Secunda

Secunda pars Capitis.

Vers. 13. *Nolim autem vos in ignorantia versari, fratres, quod ad eos attinet qui obdormierunt, ut ne doleatis, sicut & cæteri qui spem non habent.*

Secunda pars Capitis, consolationem continens adversus immodicum luctum de obitu amicorum, quem dissuadet duobus argumentis.

Argumentum primum, Luctus immoderatus pertinet ad Ethnicos & infideles, qui spem resurrectionis nullam habent. Non igitur vos decet luctus immodicus.

Vers. 14. *Nam si credimus IESUM mortuum esse, & resurrexisse, ita etiam & DEUS eos qui obdormierint in IESU, adducet cum eo.*

Arg. 2. Quam certò credimus CHRISTUM resurrexisse à mortuis, tam certò etiam scire poterimus fideles in CHRISTO mortuos, resurrecturos, & vivos sistendos esse in CHRISTI comitatu, in die judicii: Cavendus ergo luctus immodicus.

Vers. 15. *Hoc enim vobis dicimus verbo Domini, fore ut nos vivi qui rel qui erimus in adventu Domini, non præveniamus eos qui obdormierint.*

Ut hæc consolatio firma sit, ex revelatione Domini prædicit adventus CHRISTI, & resurrectionis modum, qui his sex articulis continetur.

Articulus primus, Fideles quicunque vivi erunt in adventu DOMINI, non antevertent resurrectionem defunctorum in CHRISTO.

Vers. 16. *Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, & voce Archangeli ac Dei tuba, descendet è Cœlo: & qui mortui fuerint in Christo, resurgent primùm.*

Articulus 2. CHRISTUS descendet de cœlo, cum omnibus Angelis.

Cum voce] Articulus 3. Modus veniendi erit cum Imperii & Majestatis multâ significatione, nam ut summus JUDEX mandabit pro imperio, ut unumquodque elementum reddat mortuos suos, unde omnes mortui congregabuntur ad ipsius Tribunal, Promulgabitur autem mandatum per præcipuum aliquem Angelum, Clanget Tuba, seu vox vicem Tubæ supplens, sonusque audietur ubicunque terrarum Mortui resuscitandi erunt.

Et qui]

Et qui] Articulus 4. Mortui in CHRISTO resurgent priùs quam mutatio fiat viventium.

Vers. 17. *Deinde vos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini, in aëra, & ita semper cum Domino erimus.*

Articulus 5. Fideles viventes in adventu Domini, repentè momento, in oculi ictu, à mortalitate ad immortalitatem mutati, unà cum resuscitatis Sanctis rapientur sursum in occursum Domini in aëra.

Et ita] Articulus 6. Post judicium migrabunt Sancti cum DOMINO in Cœlum, & cum Eo manebunt in æternum. De reprobis nihil dicit, quia ad hos Consolatio non pertinet; nec de his, ubi moriuntur, consolatio ulla capi potest.

Vers. 18. *Itaque consolamini alii alios iſtis ſermonibus.*

Prophetiam applicat in usum Thessalonicensium, ut ex resurrectione, unusquisque Fidelis doloris sui solatium quæreret, & aliis Fidelibus etiam ministraret.

Caput Quintum.

IN eodem Argumento pergit: Capitis partes tres sunt, In prima continuat doctrinam de adventu CHRISTI, *ad judicium universale, ad* vers. 6. *In secunda affert varias Hortationes, ad omnis generis virtutes Christianas, ad* versum 13. *In tertia continetur Epilogus totius Epistolæ.*

Vers. 1. *Porrò de temporibus & opportunitatibus, fratres, non est opus ut vobis ſcribam.*

De adventu DOMINI adduntur quatuor alii Articuli: 1. Tempus & hora adventus DOMINI non revelatur, sed in secretis DEI latet, neque expedit de illo curiosè quicquam scisciari vel scribere.

Vers. 2. *Ipſi enim penitus ſcitis diem illum Domini ut furem in nocte, ita venturum eſſe.*

Articulus 2. Continens rationem prioris, Non minus ex improviso venturus

venturus est CHRISTUS, quam fur nocturnus in alienas ædes inopinatò irrepere solet.

Vers. 3. *Quum enim dicent, Pax & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exitium, sicuti dolor partus mulieri uterum ferenti: nec effugient.*

Articulus 3. Explicans priorem, eumque ad impænitentes applicans. Sicut ex improviso certo & necessario dolores partus occupant prægnantes, sic etiam dies iræ DOMINI inexpectatus de improviso impænitentes securos in peccatis occupabit.

Vers. 4. *At vos, fratres, non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur deprehendat.*

Articulus 4 In quo explicat hanc doctrinam porrò, & ad consolationem fidelium applicat: Vos Fideles, non necesse habetis diem illum formidare, nam quia vos non jacetis in tenebris peccati, & ignorantiæ, dies novissimus non potest vos (ut fur nocturnus) deprehendere.

Vers. 5. *Omnes vos filii lucis estis, ac filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.*

Rationem reddit, Quia omnes quotquot in CHRSITUM verè credunt, Filii lucis, & diei sunt. versantes in luce Fidei & Pietatis: Et ideo non potest ullus ex nobis ignorantiæ vel peccati mancipium esse.

Secunda pars Capitis.

Vers. 6. *Nempe igitur ne dormiamus ut reliqui, sed vigilemus & sobrii simus.*

Secunda pars Capitis, continens tredecim hortationes, ad officia Christiana: 1. Hortatio ex doctrina judicii extremi illata, ad vigilantiam & sobrietatem, ut diem illum sine formidine expectemus: Ne securè (inquit) dormiamus, aut peccatis indulgeamus sicut infideles, sed contra studentes moderationi in omnibus terrenis, sanctis operibus incumbamus.

Vers. 7. *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui inebriantur, nocte sunt ebrii.*

Rationes hortationis sunt sex: 1. Quia qui securè dormiunt, & quicunque

quicunque crapulæ & ebrietati corporeæ se dedunt, noctù & in tenebris id agere solent, quod vos non decet.

Vers. 8. *At nos qui sumus diei, sobrii simus, induti thorace fidei & pro galea, spe salutis.*

Ratio 2. Quia Christiani qui filii sunt diei, & luce fidei versantur, sobrietati & corporis, & mentis studere tenentur.

Induti] Ratio 3. confirmans priorem, Quia Christiani ut in militia versari debent, armati spirituali armatura, induti *fide & charitate*, tanquam Thorace: *& spe Salutis* tanquam galea, *Fidei* addit *Charitatem*, ut fidem pro thorace agnoscamus eam solam, quæ per charitatem est efficax.

Vers 9. *Nam non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam, per Dominum nostrum Iesum Christum,*

Ratio 4. Deus non prædestinavit nos ad iram: Ergo ne indulgeamus cupiditatibus, & vitiosis desideriis, propter quæ ira Dei venit super filios inobedientiæ.

Per Dominum] Ratio 5. Deus elegit & prædestinavit nos ad salutem per Iesum Christum. Ergo ad salutem contendamus in viis Domini.

Vers. 10. *Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigelemus, sive dormiamus, simul cum eo vivamus.*

Ratio 6. Quia Christus in eum finem mortuus est pro nobis, ut non cum Diabolo & mundo in peccatis, sed cum ipso in viis sanctitatis ambulemus & vivamus, sive vigilantes, sive dormientes, *id est*, dies noctesque transigentes in ejus obedientia, & morientes in communione vitæ ipsius vivificæ. Ergo non indormiendum peccatis, sed invigilandum operibus Sanctis.

Vers. 11. *Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis*

Hortatio 2. ex prioribus illata, Ut se mutuò hortentur, consolentur & ædificent in fide & pietate: Laudata interim præsenti ipsorum diligentia in hujus præcepti obedientia.

Vers. 12 *Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos:*

Hortatio 3. ad populum spectans, Ut observent Pastores & Presbyteros, & totum consessum seniorum docentium & gubernantium, nempe,

& eos qui laborabant inter ipsos in verbo & doctrina, & eos qui præerant in Domino, gubernantes in rebus Ecclesiasticis, & ex officio admonebant ubi opus erat: de his præcipit ut Sancti, sicut non ingratos decebat, corde, verbis, factis, Presbyteros omnes agnoscant, pro Ministris CHRISTI ad salutem ipsorum constitutos.

Rationes hortationis sunt tres. Ratio prima, Quia ego Apostolus amanter & studiosè id rogo.

Laborabant] Ratio 2. Quia digni sunt Ministri hoc honore, utpote qui laborant in vobis ædificandis, & præsunt vobis, seu vos gubernant in CHRISTI nomine in omnibus rebus Ecclesiasticis, & quæ ad DEI cultum spectant, vosque de officiis vestris admonent cum authoritate, privatim & publicè.

Vers. 13. *Et quàm maximè charos ducatis, propter opus ipsorum, & pacem colite inter vos mutuò.*

Ratio 3. Quia opus DEI de salvandis fidelibus, cui fideles Ministri incumbunt, exigit ut singularem in modum diligantur à Populo, & in pretio habeantur.

Et pacem] Hortatio 4. ad populum potissimùm, Ut pacem colant & inter se, & cum Pastoribus, à quibus solet Diabolus alienare animos Populi, etiam cum Pastores optimè de eo mereantur.

Vers. 14. *Precamur autem vos, fratres, monete inordinatos, consolamini eos qui pusillo animo sunt, sublevate infirmos, patientes estote erga omnes.*

Hortatio 5. ad Presbyteros, (quos superiori versu à Populo distinxit, & hìc ex officiis, quæ speciali ratione ad gubernationem Ecclesiæ ex muneris ipsorum autoritate spectant, describit,) ut diligenter exequantur munus suum, dissolutè viventes de officio suo admonendo, pusillanimes consolando, infirmos charitate sua sublevando, Denique mansuetum animum erga omnes ostendendo: Ne si secus fecerint autoritate abutentes, opus Domini quod intendunt, impediant.

Vers. 15. *Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat; sed beneficentiam semper sectamini, tum inter vos mutuò, tum erga omnes.*

Hortatio 6. Promiscuè erga omnes, ut à privata vindicta abstinentes, prosequantur beneficentiam cum inter se mutuò, tum erga quosvis etiam extraneos.

Vers. 16.

Vers. 16. *Semper gaudete.*

Hortatio 7. Ut fide radicati in gratuita DEI erga se dilectione studeant in CHRISTO, & ejus justitia imputatâ ad vitam æternam, in rebus prosperis & adversis, lætari, & animi tranquillitatem fovere.

Vers. 17. *Indesinenter orate.*

Hortatio 8. Ut in omni conditione prospera & adversa, & in omni negotio se ad DEUM convertant, precantes prout res postularet.

Vers. 18. *In omnibus gratias agite; hæc enim est voluntas Dei per Christum Iesum erga vos.*

Hortatio 9. Ut cum sciant diligentibus DEUM, omnia cedere, in bonum in omni conditione, etiam maximè adversa expiscentur materiam gratias agendi DEO.

Hæc enim] Hortationis ratio est, Quia DEUS hoc officium ab omnibus exigit, & potissimùm à Christianis, in quos gratiam suam & dilectionem effudit in CHRISTO.

Vers 19. *Spiritum ne extinguite:*

Hortatio 10. Ne dona SPIRITUS Sancti qualiacunque, sive negligentia, sive malè agendo suffocent: Sed ut contra assiduò labore, precibus, aliisque mediis omnibus à DEO sanctificatis, ea suscitent & indies augeant.

Vers. 20. *Prophetias ne pro nihilo habete:*

Hortatio 11. Ne exercitationes sacras publicas, in quibus Ministri Ecclesiarum Scripturam interpretantur, contemnant vel negligant.

Vers. 21. *Omnia explorate: quod bonum fuerit retinete:*

Hortatio 12. Ne temerè quicquam in negotio religionis amplectantur, sed ad regulam verbi divini, seu analogiam fidei examinent singula, & quod sanum, bonum, & DEO acceptum comperitur, constanter teneant, & strenuè defendant.

Vers. 22. *Ab omni specie mali abstinete.*

Hortatio 13. Ut non tantùm quod malum est, in cultu DEI vel moribus caveant, sed etiam quæcunque speciem mali habent: cujusmodi sunt phrases periculosæ in doctrina, & indifferentia in praxi, quæ propter mali speciem offendiculum aliis præbere possent.

Tertia pars Capitis.

Vers. 23. *Ipse autem Deus pacis* author *sanctificet vos totos: ut integer vester Spiritus, & anima & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Iesu Christi serventur.*

Tertia pars Capitis, Continens epilogum, cujus articuli sunt sex. In primo precatur DEUM pacis, seu fontem sanctitatis & felicitatis, ut eos sanctificet magis magisque: 1. Quoàd Spiritum seu mentem à SPIRITU DEI jam colluſtratam, quæ animæ rationalis suprema facultas est: 2. Quoàd animam seu voluntatem & affectus; &, 3. quoàd corpus, seu externas actiones, ita ut in adventu Domini, quando perficienda est sanctitas fidelium, nihil in illis reperiatur nisi inculpatum & laudabile.

Vers. 24. *Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam* id *efficiet.*

Articulus 2. In quo de præcedentis precationis exauditione apud DEUM, certos eos reddit, 1. Ex DEI præcedenti vocatione efficaci: 2. Ex DEI fidelitate, qua præstat id in suis, ad quod ipsos vocat, & inchoatum bonum opus non deserit.

Vers. 25. *Fratres orate pro nobis.*

Articulus 3. In quo Apostolus non dedignatur votorum & precationum subsidium, a minimis inter fideles rogare.

Vers. 26. *Salutate fratres omnes cum osculo sancto.*

Articulus 4. In quo jubet salutari nomine suo omnes fratres per hanc Epistolam, non minùs amanter quam si coram ipsos ordinario salutationis signo (id est, osculo minime simulato, ab affectu Christiano proeunte) eos salutasset.

Vers. 27. *Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc Epistola omnibus sanctis fratribus.*

Articulis 5. In quo DEI nomine mandat, & adjurat, ut Ministri seu Ecclesiæ gubernatores (ad quos proximè hanc Epistolam misisse apparet) hanc Scripturæ partem in usum communem Ecclesiæ proferrent & legendam publicè curarent, minatus divinam vindictam, nisi eam toti Ecclesiæ publicarent.

Vers. 28. *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum. Amen.*

Articulus 6. Et ultimus in quo totam Epistolam concludit, optando illis gratiam CHRISTI, quæ omnia bona in se continet, AMEN.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ SECUNDÆ, AD* THESSALONICENSES.

Summarium.

OCcasio scribendi hanc Epistolam fuisse videtur, quòd doctrina de adventu Christi inopinato, aliqui ex Thessalonicensibus abusi sint ad negligentiam in suis vocationibus, & ad rei suæ familiaris profusionem, quasi non fuisset opus rem familiarem amplius curare, cum Christus venturus esset forsan cras, forsan perendiè, ut putabant, alii verò simplicitate & errore nonnullorum abutebantur, & de aliorum bonis vivere satagentes, operari desinebant. Fervebat interim persecutio hostium, & concurrebat ad errorem hunc fovendum. Quare Apostolus scripta ad eos hac secunda Epistola, solvit nodum, & primo consolatur ipsos adversùs persecutiones seu afflictiones, Capite Primo.

Secundò explicat doctrinam de Christi adventu, non prius futuro quam Antichristiana defectio à vera fide CHRISTI fieret, & patefieret mundo, Capite secundo.

Denique hortatur ad Christiana officia, & nominatim ad diligentiam in uniuscujusque vocatione, Capite tertio.

Caput Primum.

Vers. 1. *PAulus & Sylvanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium*, quæ est *in Deo Patre, & Domino IESU CHRISTO:*

Vers. 2.

Vers. 2. *Gratia* sit *vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESU CHRSTO.*

In Epistolæ directione iidem salutant Thessalonicenses qui in superiore: De autoritate Apostoli nihil hic, nec in priori Epistola dicitur, quia satis erant omnes in hac Ecclesia de Pauli Apostolatu confirmati, tantùm communionis ipsorum cum uno vero DEO & Filio ipsius IESU CHRISTO mentionem faciendo, discriminat hanc Ecclesiam & ab Ethnicorum & infidelium Judæorum cœtibus: & optando illis gratiam & pacem, certos reddit de omnibus, quæ ad salutem æternam & justitiam faciunt, à DEO per CHRISTUM in ipsos, derivandis.

Vers. 3. *Gratias agere debemus Deo semper, de vobis, fratres, ut dignum est, quòd vehementer augescat fides vestra, & abundet mutua uniuscujusque omnium vestrûm charitas:*

Reliquo Capite gratias DEO agendo de ipsis, simul confirmat eorum fidem, & consolationem iis ministrat adversus omnem persecutorum rabiem qua vexabantur: Argumenta consolationis & confirmationis fidei sunt octo: Quæ omnia probant debere eos in fide corroborari, & consolationem capere sub persecutionibus suis.

Argumentum primum, Felicissima est me judice vestræ Ecclesiæ conditio in conspectu DEI, in qua omnes (nemine excepto quantum sciri potest) Dominum IESUM sincerâ fide, & alii alios sincerâ charitate amplectimini, & in utraque virtute promovetis, & magis magisque de die in diem abundatis. Ergoquæcunque sit conditio vestra in conspectu mundi, consolationem capere debetis, & in fide corroborari.

Vers. 4. *Adeò ut nosipsi de vobis gloriemur apud Ecclesias Dei,* id est, *de tolerantia vestra & fide in omnibus persequutionibus vestris & oppressionibus quas toleratis.*

Arg. 2. Vestra fidei constantia & patientia in mediis persecutionibus & afflictionibus quas sustinetis, tanta est, ut cogar vos coram aliis Ecclesiis laudare, & in exemplum aliis proponere: Ergo consolationem capere & in fide corroborari debetis.

Vers. 5. Quæ res *manifesto est indicio justi judicii Dei: ut digni censeamini regno Dei, pro quo etiam ista patimini:*

Arg. 3. Vestræ afflictiones quas sufferris ab impiis persecutoribus, manifesto sunt indicio fore tandem universale judicium: in quo malis

malè

malè erit, & bonis benè, quando vos idonei pronunciandi estis, qui dignatione divinâ regno DEI potiamini, quippe qui pro DEI regno promovendo tot tantaque mala passi estis.

Vers. 6. *Siquidem justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem:*

Vers. 7. *Vobis verò qui affligimini, relaxationem nobiscum quum patefiet Dominus Iesus de Cælo, cum angelis potentiæ suæ,*

Vers. 8. *Cum flammeo incendio, infligens ultionem iis qui Deum non noverunt, neque auscultant Euangelio Domini nostri Iesu Christi:*

Vers. 9. *Qui pœnam pendent æterni exitii, damnati à præsente Domino, & potente ipsius gloria:*

Arg. 4. Explicans prius: DEUS pro suâ justitia persecutores vestros puniturus est in die judicii, & vos liberaturûs ab omni malo: Ergo consolationem capere, & in fide confirmari debetis.

Nobiscum] Arg. 5. Unà nobiscum & cum reliquis Martyribus CHRISTI tanquam commilitonibus vestris, relaxationem ab omni malo & miseria tandem estis consequuturi: Ergò & unà nobiscum consolationem capere debetis, & in fide corroborari.

In revelatione] Arg. 6. Ab iis circumstantiis judicii extremi quæ terribilem reddunt vindictam in impios sumendam: Dominus IESUS 1. manifestabitur, & de Cœlo visibiliter veniet JUDEX & ultor injuriarum: 2. Comitatum secum adducet potentissimorum Angelorum, qui sententiam JUDICIS exequentur, *vers.* 7. 3. Ignem flammantem accendet, quo totus hic mundus conflagrabit: 4. Ulciscetur eos omnes qui cognitione salutari (quæ cùm fide & obedientia conjuncta est) destituti comperientur, & qui non obtemperaverunt Euangelio vers. 8. Quintò, tum luent impii supplicium æterni exitii: 6. Infligetur hoc supplicium ab irato JUDICE, qui à facie sua eos rejiciet in æternum.

A facie] 7. Dominus quam glorioſum robur ſuum ſit, oſtendet omnibus, in iis potenter puniendis: Ergo conſolationem capere, & confirmari in fide debetis.

Vers. 10. *Quum venerit ut glorificetur in sanctis suis, & admirandus fiat in fidelibus omnibus, (quòd fides habita sit testimonio nostro apud vos) in die illo.*

Arg. 7.

Arg. 7. Consolationis, ab iis circumstantiis judicii extremi, quæ gloriosam & lætam reddent liberationem piorum: nam, 1. Eodem die quo CHRISTUS perditurus est adversarios, liberaturus est fideles suos, & vos speciatim: 2. Gloriam suam cum Sanctis suis communicabit, & in eorum glorificatione gloriam suam manifestabit: 3. Superabit gloria illa omnem nostram spem, & apprehensionem; nam admirandus erit CHRISTUS, in gloriæ communicatæ amplitudine: 4. In omnibus credentibus gloriam suam ostendet, ita ut nullus futurus sit fidelis, in quo CHRISTUS non sit admirabilis futurus, obiter rationem consolationis illis applicatæ reddit, quia Thessalonicenses crediderant testimonio Apostoli prædicantis Euangelium, ideo confidenter audet prædictam consolationem illis applicare, quam reipsa comperturi erant, in illo die: Ergo *&c.*

Vers. 11. *Cujus etiam rei gratia precamur semper pro vobis, ut vos dignetur ista vocatione Deus noster, & compleat omnem suæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter:*

Arg. 8. Consolationis & confirmationis ipsorum in fide. Habetis nos assiduò comprecantes, ut ad metam feliciter perveniatis: Ergo consolationem capere in afflictionibus & in fide corroborari debetis: Precationis articuli sunt quatuor: Articulus primus; Precor, ut DEUS qui ex fœdere gratuito noster est, ex sua dignatione idoneos vos reddat ad vocationem, seu gloriam ad quam vocati estis, possidendam: Hic articulus DEI gratiæ, seu dignationi ascribit, cum gloriam ipsam ad quam vocamur, tum omnem, quæ ad eam ducit, præparationem.

Et compleat] Articulus 2. Precor ut DEUS omne beneplacitum bonitatis suæ, seu omnimodam suam benignitatem, pro gratuita benevolentia sua in vobis compleat: in quo articulo non salutem tantùm, sed omnia media ad salutem fundari ostendit in DEI beneplacito, nihil nisi DEI gratiam agnoscens in toto salutis cursu, & in omnibus ejus partibus.

Et opus fidei] Articulus 3. Oro ut DEUS compleat opus fidei in vobis potenter, In quo articulo *fidem* asserit DEI opus esse, quod ille operatur in suis, & *fidei* initium, incrementa, & complementum partem beneplaciti statuit: Denique fidem ostendit non tantùm non esse opus nostrarum virium, sed superare quicquid in nobis esse potest, & potentiam DEI requirere, absque qua neque inchoari, neque consistere posset, nedum augeri vel compleri.

Vers. 12.

Vers. 12. *Ut glorificetur nomen Domini nostri IESU CHRISTI in vobis, & vos in eo, ex gratia DEI nostri, & Domini Iesu Christi.*

Articulus 4. Precor ut & in hac vita, & in futura, CHRISTUS in vobis, ut in suis membris glorificetur, & vos glorificemini in Illo, tanquam in vestro Capite, qui finis est superiorum articulorum: Neque in hoc articulo gratiam DEI reticeri vult, sed totam gloriam quam accipit CHRISTUS à suis, vel quam suis communicat, soli gratiæ DEI & CHRISTI, ascribendam docet: In quibus omnibus Thessalonicenses non exigua consolationis suæ, & in fide confirmationis firmamenta habebant.

Caput Secundum.

Sequitur solutio dubii de Christi subito adventu.

Capitis duæ sunt partes, in prima refutat errorem de futuro adventu Christi, dum viverent Thessalonicenses illi, ad vers. 13. *In altera confirmat Thessalonicensium fidem.*

Vers. 1. *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi & nostri in Eum aggregationem:*

Irrepserat error inter Thessalonicenses, de adventu CHRISTI statim dum ipsi viverent, futuro, quem errorem fovebat DIABOLUS, ut ob alias causas, sic etiam ob hanc, ut saltem post illam ætatem, doctrinam Christianam totam simul cum hoc articulo ludibrio exponeret, idcirco hortatur Apostolus, ne patiantur se à sano sensu, & fide hujus articuli dimoveri. Interim affirmat duas res certissimas esse, de quibus nolebat ipsos dubitare: prima erat, venturum quidem CHRISTUM, sicut ante docuerat, statuto suo tempore: Altera erat, fore ut omnes fideles in occursum Domini congregarentur, à quatuor plagis mundi: verum obtestatur ipsos, si consultum sibi vellent in illo die, ut caverent ab isto errore, de quo dicebamus.

Vers. 2. *Ne citò à mente dimoveamini, neque turbemini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos* scriptam, *quasi instet dies ille Christi.*

Quia impostores jactabant partim revelationes à SPIRITU, partim sermonem aliquem Apostoli; quem se audivisse affirmabant, partim constare dicebant per Epistolam priorem ad Thessalonicenses ab Apostolo conscriptam, quasi capite 4. & 5. docuisset venturum CHRISTUM ipsis viventibus, jubet Apostolus cavere, ne hac vel aliqua simili impostura deciperentur, turbarentur, vel ullo modo à fide dimoverentur.

Vers. 3. *Nequis vos seducat ullo modo:* non *enim* adveniet dies Christi *quin venerit defectio prius, & retectus fuerit homo ille sceleratus, filius* inquam *ille perditionis,*

Rationem reddit dehortationis, quia CHRISTUS non erat venturus, priusquam Antichristiana defectio fieret, & revelaretur Antichristus, præcipuus hujus defectionis dux & patronus. Præcedere ergo oportet duo antequam CHRISTUS adveniat, defectionem à recepta fide, (de qua, 1 TIM. 4. 1.) & revelationem Antichristi illius *præcipui*, seu *magni*: Quod ad defectionem attinet, non intelligit defectionem unius aut paucorum, aut multorum in multis Ecclesiis: Siquidem de die in diem illis temporibus transfugæ erant non pauci à castris CHRISTI, per omnes fere Ecclesias; & errorum plurimorum sectatores plurimi; sed defectionem intelligit universalem externæ seu visibilis Ecclesiæ, adeò ut falsa Euangelioque contraria dogmata ab iis qui Christiano nomine gloriaturi erant, reciperentur, & defenderentur palam, & communiter in visibili Ecclesia Christiana.

Quod ad eum attinet qui futurus erat caput hujus apostasiæ, prædicit fore ut reveletur à DEO, partim permittendo ut regnum suum in Ecclesia erigeret, seque Antichristum apertè, seu reipsa ostenderet; partim per Euangelii doctrinam, (quæ ipsius impostoras perspicuas, apertasque redderet iis omnibus, qui decipi nollent) Antichristum conspicuum reddendo. De quo Antichristo, seu Capite Apostatarum, ut melius posset ab oculatis discerni tempore suo, proponit Apostolus articulos accuratè observandos, septem.

Articulus primus, Continet descriptionem & notas Antichristi novem, quæ omnes & singulæ nulli melius, imo nulli alii quam Pontifici Romano quadrant, ut apparebit observantibus.

Homo]

Homo] Nota 1. Erit *homo*, contra eos qui in gratiam Papæ, caco-dæmonem fingunt Antichriſtum iſtum futurum dicitur: idcirco ἄνθρωπος naturâ & ſpecie, & ὁ ἄνθρωπος *ille homo* in ſingulari numero, ut inſignemi & præcipuum, & magnum Antichriſtum, in ſpecie ſic dictum, deſcribi oſtendat, non tamen inſinuet individuum aliquem hominem, ſeu perſonam ſingularem, ſed ſeriem ſuccedentium in una ſede nebulonum, ſicut HEB. 9. 7. 25. ὁ ἀρχιερεὺς totam Pontificum ſeriem ſive ſucceſſionem denotat, & ὁ ἄνθρωπος τε Θεὸς, 1 *Tim*. 3. 17. non unum Paſtorem, ſed Miniſtrorum fidorum ſeriem ſignificat: idque ſecundum Prophetarum ſtylum, cum de ſerie regum loquuntur, ut DAN. 7. 2.

Peccati] Nota 2. erit *Homo peccati*, tum quia peccator inſigniter, imo maximè addictus peccato: tum quia alios autor inſignis ad peccandum, quâ fraude & impoſturis, qua vi & tyrannica compulſione, futurus erat.

Filius ille] Nota 3. Erit filius perditionis, ſeu ſucceſſor Judæ proditoris: Nam hoc titulo CHRISTUS Judam in Teſtamento ſuo inſignivit olim, *Joh*. 17. 12. quem Judam Antichriſtus partim Apoſtolicæ vocationis titulo aſſumpto, partim diſſimulatione, avaritiâ, ſævitiâ, pertinaciâ, & finali perditione repræſentat, multis afferens perniciem, & ſibi maximam, ἀπολλυων, & ἀπολλυμενος, alios perdens, & ipſe perditus.

Verſ. 4. *Seſe opponens & efferens adverſus quicquid dicitur Deus, aut numen: adeò ut in templo Dei tanquam Deus ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.*

Nota 4. erit ἀντικειμενος *adverſarius*, qui reipſa & factis ſe opponet DEO, ipſiuſque ordinationibus, quicquid apertè præ ſe feret, adverſarium reipſa ſe præbebit & probabit, qui etiam in fundamentalibus ſe opponet CHRISTI Euangelio, quales indigitat aliquos ejus præcurſores Apoſtolus, 1 *Cor*. 16. 9. Erit enim ipſi CHRISTO adverſarius, quoàd mores, officia, & beneficia CHRISTI, qualem jam videmus Pontificem Romanum, qui plus, & in pluribus, & crudelius, & ſubtilius, & diutius ſe CHRISTO oppoſuit, quam quiſquam unquam.

Efferens] Nota 5. erit ὑπεραιρομενος, ſuâ ſuperbiâ elatus ſupra omnem qui vocatur DEUS, ſeu omne cui veneratio exhibetur, *id eſt*, ſupra omnes Magiſtratus, Principes, Reges, & Imperatores, qui in Scriptura DII vocantur, vel coluntur tanquam σεβασται Auguſti, ut *Actor*. 25. 21. 25. & *Pſal*. 82. 1

In templo vel *templum*] Nota 6. erit in templo DEI, seu in visibili Ecclesia externa Christiana, quæ profitebitur quidem CHRISTI fidem, & se templum DEI venditabit.

Sedeat] Nota 7. Sedebit in societate illa, quæ se Templum DEI profitebitur, *id est*, munus publicum Ecclesiasticum, sedem seu cathedram Episcopalem tenebit.

Nota 8. Καθίσαι εἰς ναὸν, præficiet se templo, sedebit *superincumbens* Ecclesiæ, summam sibi sedem, præfecturam, Episcopatum, Pontificatum in Ecclesia Christiana arrogans. *Præ se ferens*]

Nota 9. Ostentabit seipsum, ac si DEUS esset, *hoc est*, non satis habens se extulisse supra rem publicam, & supra Ecclesiam DEI, tanquam ejus Princeps & summus Gubernator, conabitur etiam se gerere ut DEUM: partim falsò jactando se habere omnem CHRISTI potestatem sibi communicatam, se esse per delegationem CHRISTI Vicarium, *hoc est*, se esse Vice-Christum, seu Ἀντίχριστον, secundùm significationem præpositionis ἀντὶ, in vocibus ἀντίθεος, DEO similis, DEO æqualis, & ἀντιβασιλεὺς Prorex: partim assumendo titulos qui proprii DEO sunt, quales sunt Princeps Pastorum, Pontifex noster, Caput Ecclesiæ, *&c.* qui tituli soli CHRISTO debentur. Denique privilegia sibi arrogando in Cœlo, Terra, & Inferno, quæ soli DEO competunt, qualia jam in Romano Pontifice sine pudore agnoscunt Pontificii. De quibus fusiùs in controversiis de Pontifice Romano, apud controversiarum Scriptores, legere est.

Vers. 5. *Annon meministis me, quum adhuc essem apud vos, hoc dixisse vobis?*

Articulus 2. Continens certitudinem hujus Prophetiæ, utpote quam Apostolus docuerat priùs, & de qua præsens Thessalonicenses instituerat; & nunc absens repetit, ut veritatem confirmet, eorumque memoriæ infigat.

Vers. 6. *Nunc vero quid obstet nostis, ut in suo tempore retegatur.*

Articulus 3. Continens impedimentum revelationis Antichristi, cujus spiritus jam moliebatur thronum sibi erigere, verùm non potuit, quia nondum sedes vacua erat, throno Antichristi recipiendo destinata, in civitate illa septicolli *Roma*, sicut eam SPIRITUS DEI describit, APOCAL. 17. 9. Auferendum enim erat Romanum imperium in occidente: auferendus erat Cæsar ex illa civitate, priusquam revelari posset

Antichristus

Antichristus: In quo consentientes habemus etiam Pontificios: De hoc impedimento Apostolus noster, disertis verbis, coram monuerat Thessalonicenses, & sciebat ipsos novisse, & memoria tenuisse, sed graves erant causæ propter quas DEI SPIRITUS nolebat in hac ad eos Epistola illud impedimentum exprimere: nam in eorum rem, non erat ut exprimeret, imò tacitum esse oportuit hoc mysterium à mundo: Partim ut facilius compleretur à DEO decreta permissio mysterii iniquitatis; Partim ne persequendis Christianis, hinc ansa daretur ulla: nam si Imperatores intellexissent futurum aliquem ex CHRISTI professoribus, qui Thronum sibi erecturus esset Romæ, utque locus ei daretur tollendum è medio fuisse imperium, & Imperatorem Romanum, existimassent omnes jure meritò sæviri potuisse in totum Christianum nomen.

Vers. 7. *Jam enim peragitur mysterium iniquitatis: tantùm qui nunc obstat*, obstabit *usquedum è medio sublatus fuerit*:

Articulus 4. Continens, una cum obstaculo revelationis Antichristi, initium etiam defectionis seu Antichristianismi, qui hic mysterium iniquitatis vocatur: Quia sicut totus Christianismus, cujus Caput est CHRISTUS est magnum mysterium *pietatis*, sic totus Antichristianismus (cujus caput est Antichristus) est magnum mysterium *iniquitatis*. Hujus mysterii semina in ambitione, avaritia, nequitia Doctorum, in ceremoniis humanis, erroribus, & falsa doctrina, ab initio prædicati Euangelii DIABOLUS priùs sparserat in Ecclesia, & de die in diem jam tum fovebat. sedulò navans operam, ut Antichristi regnum sub prætextu pietatis in Ecclesia externa palam tandem aliquando erigeret, sed obstaculum à DEO positum manebat dum hæc scriberentur. Tenebat Romam sedem futuram Antichristi, Romanus Imperator, quam posteà vacantem invasurus erat Antichristus, & ad se rapturus simul, & hominum & DEI imperium.

Vers. 8. *Et tunc revelabitur impius ille, quem Dominus consiciet Spiritu oris sui, & illustri adventu suo abolebit.*

Articulus 5. Continet Antichristi apertum regnum, seu regni initium, medium, & finem.

Quod ad regni initium attinet, Quamprimùm Romanum imperium seu Romanus imperator tolletur à sede futura Antichristi, id est, *Roma*, tum in urbe illa cristas eriget Antichristianismi patronus, qui supra omnes leges se efferendo, & se nullis, neque civilibus, neque Ecclesiasticis legibus teneri, & etiam in divinis dispensandi potestatem se habere, apertè profitendo

Profitendo reipsa se esse του ἀνομου, seu exlegem illum (de quo prædixerat DEI SPIRITUS,) indicio suo prodet, hic erit ejus revelandi modus, & regni apertè occupati initium. Talem, ab eo tempore quo Roma imperii sedes esse desiit, hucusque se ostentat Papa Romanus, qui legum repagula impudenter effringit, supra jus & leges se extollit, leges à DEO latas refigit, deque iis dispensat, ut dicunt, aliasque ipsarum loco figit, suam voluntatem pro ratione ponit, sicut abunde manifestum fecerunt orthodoxi in controversiis suis: neque hæc Pontificii de suo Pontifice, aliaque multa ejusmodi, verecundantur profiteri, scriptisque publicè defendere, ita ut nihil opus sit amplius inquirere, quis sit ille qui in Templo, seu externa titulo tenus Ecclesiâ, sedet Antichristus, cum sciamus nomen ἀντιχριστος duo significare posse, pro præpositionis ἀντι varia acceptione: Nempe *Christi vicarium*, & *Christi adversarium*, Papamque Romanum audimus jactantem se Antichristum in altera significatione, id est, CHRISTI vicarium se profitentem, interim verò quasi ἐν αὐτοφωρῳ eundem deprehendimus inter Christianos apertè asserentem, se neque civilibus, neque Ecclesiasticis legibus subditum, sed omnibus superiorem se esse profiteri minime erubescentem: quumque jam mundo constet Pontificis Romani autoritatem ab ipso, & allectis suis extolli supra Scripturam, seu leges divinas, quoàd Canonis constitutionem, sensus determinationem, controversiarum judicium & decisionem, dispensationem (quæ dicitur) de divinis præceptis, &c. An dubitabimus quis sit ille qui in Templo DEI, seu inter Christianæ religionis professores, sedet ὁ ἀνομος seu exlex ille? Quod ad secundum, seu regni possessionem attinet, non possidebit Antichristus regnum suum sine bello; pugnabit adversùs eum CHRISTUS gladio oris sui, *id est*, per prædicationem veritatis in Euangelio revelatæ, & per potentiam SPIRITUS sui, cum Verbo concurrentis.

Quod ad tertium, De regni Antichristi fine, seu de belli & regni ejus exitu: CHRISTUS Antichristi mendacia, fraudes, scelera, tyrannidem, falsas interpretationes & allegationes Scripturarum deteget, confutabit, ejusque regnum gradatim demolietur, consumet & conteret, tandemque destruet & abolebit, illustri manifestatione factâ adventus sui appropinquantis, ad ultimum judicium universale.

Vers. 9. Illum, inquam, *cujus adventus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia & signis, ac prodigiis mendacibus*,

Articulus 6. In quo resumit, & porro describit Antichristi ortum, & progressum,

progressum, arma, artes & adjumenta, quibus regnum acquiret, & fulciet quantum poterit.

Primum Adjumentum est, *Satanas*, qui multiplicibus suis technis Antichristum instruet, & per ipsum, ἐνεργείαν suam fortiter exerturus est toto dominatus Antichristi tempore.

Signis] Adjumentum 2. est, Simulata facultas seu potentia edendi quævis miracula, cum signis & prodigiis mendacibus, ad confirmationem falsorum dogmatum comparatis: qualia in legendis, quæ vocantur, Pontificiorum, legas aliquot millia.

Vers. 10. *Et cum omni fraude injustitiæ in iis qui pereunt: pro eo quòd amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.*

Adjumentum 3. est, Omnis deceptio injustitiæ, seu omnis fallacia injusta & fraudulenta, quales sunt falsæ, fucatæ, seu blandientes doctrinæ, disputationes Sophisticæ, illecebræ opum, honorum & dignitatum hujus seculi, una cum minis & terroribus; cujus deceptionis apex & fastigium in eo erit, quod non palam & apertè, seu directè CHRISTUM oppugnabit, sed occultè, & quasi per cuniculos actos rem aggredietur, simulans se CHRISTI causam agere, cum eam labefactat quam potest maximè.

Propterea quod] Articulus 7. De Antichristi subditis, eorumque perditione, & perditionis causis: Describuntur autem asseclæ Antichristi propriè dicti domestici & familiares ejus, qui obstinatis animis pertinaciter ad finem usque ei adhærent, & in quibus, maximè efficax est DIABOLUS: 1. A proprietate reproborum, *pereunt*, sunt è numero pereuntium: 2. A perditionis causa meritoria, oblatam veritatem in DEI verbo *non recipiunt cum amore, ut salvi fierent.*

Vers. 11. *Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio:*

Describuntur 3. A JUDICIS justissima in eos vindictâ, peccata peccatis puniente, & illos DIABOLO excæcandos tradente, ut qui lucem aspicere recusarunt, & veritati divinæ renunciarunt, fidem etiam haberent erroribus, præstigiis, hominum commentis, crassissimis fabulis, & mendaciis, atque ita perirent.

Vers. 12. *Ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia.*

Describuntur 4. Ab ipsorum conditione novissima, & causa meritoria condemnationis repetita. Æternum damnabuntur omnes in novissimo illo

mo illo judicio, quia non crediderunt simplici veritati DEI in Euangelio patefactæ, sed plenâ voluntate, injustissimè acquieverunt in fide mendaciorum, & obedientiâ suarum cupiditatum carnalium: Et hic est exitus eorum qui Pontifici Romano ipsiusque erroribus pertinaciter adhærent, à SPIRITU DEI, prædictus.

Secunda pars Capitis.

Vers. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à DOMINO, quod elegerit vos DEVS ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus, & Fidem habitam veritati:*

Altera pars Capitis, in qua Thessalonicensium fidem, ne hac tristi Prophetia commoverentur, confirmat, idque tribus modis: 1. Per gratiarum actionem ipsorum nomine: 2. Per hortationem ipsorum ad constantiam; & 3. Per precationem pro ipsis: Quod ad primum modum, in gratiarum actione tria Argumenta confirmationis fidei ipsorum affert.

Fratres dilecti] Argumentum primum, Vos estis fratres nostri, eadem DEI dilectione nobiscum comprehensi: Ergo non est quod metuatis vobis, ne cum Antichristiana secta pereatis.

Elegit] Arg. 2. In decreto, de fine & mediis salutaribus, DEUS elegit vos, ut salutem consequamini per fidem & sanctificationem à SPIRITU Sancto, tanquam per media quibus perveniatis ad salutem, gratuitò vobis destinatam. Ergo.

Vers. 14. *Quò vocavit vos per Euangelium nostrum, ad obtinendam gloriam Domini nostri Iesu Christi.*

Arg. 3. DEUS jam vocavit vos efficaciter per Euangelium à me prædicatum, ut obtineatis gloriam à CHRISTO partam. Ergo non est quod tristi hac prophetia commoveamini.

Vers. 15. *Nempe igitur, fratres, perstate, & tenete traditam doctrinam quam edocti estis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.*

Secundus modus confirmationis fidei ipsorum, per hortationem ad Constantiam in Fide, ut perstent, & contra omnes hostes fortiter retineant traditiones, seu doctrinas ipsis traditas ab Apostolo, quas doctrinas didicerant, vel viva voce dum coram adesset Paulus, vel scripto, ut in priori & hac Epistola, reliquaque Scriptura acceperant.

Vers. 16.

Vers. 16. *Ipse verò Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam*,

Vers. 17. *Consoletur vestra corda, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono.*

Tertius modus Confirmationis fidei ipsorum est, Precatio ad DEUM, ut consoletur ipsorum corda efficaciter, & stabiliat in fide Euangelii, seu omnis sanæ doctrinæ, & in sanctitate vitæ. Argumenta precationis, & confirmationis fidei sunt quatuor. Argument. 1. A relatione CHRISTI & DEI ad ipsos, IESUS CHRISTUS est Dominus noster, & DEUS Pater, est Pater noster. Ergo in fide confirmabit nos, seu vos nobiscum stabiliet. *Dilexit*] Arg. 2. Quia DEUS dilexit nos.

Et dedit] Arg. 3. Quia DEUS dedit nobis solidas rationes perpetuæ consolationis, & jus ad ea omnia, quæ consolentur nos in æternum

Et spem] Arg. 4. Quia DEUS dedit bonam spem, *id est*, non tantùm bonæ spei objectum optimum, & rationes seu causas benè sperandi optimas, sed etiam ipsius spei, ut habitus, amplam mensuram, & quia concessit ea omnia ex gratia & favore suo mero, nullis nostris meritis bonis, quæ nulla sunt, inductus; nec malis nostris meritis, quæ magna & multa sunt, impeditus: Idcirco confirmabit vos unà nobiscum, ne erroribus Antichristi decipiamini, & pereatis.

Caput Tertium.

HOC Capite hortatur partim expressè, partim indirectè ad Christiana Officia aliqua. Post quæ Epistolam claudit. Hortationes sunt septem.

Vers. 1. *QUod superest, precamini, fratres, pro nobis, ut sermo Domini currat, & glorificetur, sicut & apud vos*;

Hortatio prima, Ut petant à DEO hæc duo: 1. Ut per Apostoli Ministerium, cum fructu celeriter propagetur Euangelium, & magni fiat inter alias gentes, sicut inter ipsos magnifiebat.

Vers. 2. *Et ut eripiamur à potervis ac sceleratis hominibus, non enim omnium est fides.*

Secundum, Ut Deus Apostolum custodiret, & liberaret ab insidiis hostium, qui absque omni specie rationis perversè se ipsi opponebant: hostilis animi rationem reddit, quia fide vera destituti erant multi, à quibus idcirco ut liberaretur, opus erat divino auxilio.

Vers. 3. *Sed fidelis est DOMINVS, qui stabiliet vos & tuebitur à malo.*

Hortatio 2. Indirecta, ad fiduciam & robur animi, Ne præmoniti de infidelitate & apostasia aliquorum, vel mentione jam factâ periculorum Apostoli, percellerentur, vel infirmiores aliquo modo redderentur. In quem finem certiorari & confirmari ipsos vult de Dei erga ipsos proposito, quod scilicet stabiliturus fuerit eos in bono, hoc est, in fide & sanctitate; & defensurus à malo, seu à periculis & tentationibus Satanæ, & organorum ejus; cujus rationem reddit, quia Deus qui ipsos efficaciter vocaverat, Constans & Fidelis est ad opus suum promovendum, & complendum in ipsis.

Vers. 4. *Confidimus autem per Dominum de vobis, vos, quæ denuntiamus vobis, & facere & facturos esse.*

Hortatio 3. Ad obedientiam præstandam Apostolicis mandatis, quæ nomine Domini illis dederat, aut daturus erat. Hanc hortationem indirectè proponit per commendationem promptitudinis ipsorum, ad obediendum, de qua alacritate jam sibi persuaserat.

Vers. 5. *Porrò Dominus dirigat corda vestra ad Dei charitatem, & Christi expectationem.*

Hortatio 4. ad dilectionem Dei & patientiam, usque ad Domini adventum, involuta precatione ad Spiritum Sanctum, quem *Dominum* vocat, orans pro iis, ut Dominus viam illis præeat, & in recta semita eos retineat & dirigat.

Vers. 6 *Denuntiamus autem vobis, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinatè se gerit, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis.*

Hortatio 5. Ut otiosos ventres, & fucos alvearia depascentes, censuris Ecclesiasticis coercerent, & idoneis modis corrigerent omnes, qui nullo honesto labore, seu negotio occupati, alienis bonis inhiabant:

Censura

Censura horum est (post adhibita admonitionum, & leviorum censurarum remedia) excommunicatio: Vetat enim, ne iis familiariter utantur; scilicet, post rejectas privatas admonitiones, & publicam Ecclesiæ sententiam: & ut se ab illis subducant, nec in consortium suum admittant, quod est consequens excommunicationis: Rationes præcepti sunt quinque: Ratio prima, Quia hoc vult CHRISTUS, cujus authoritate istud præcipit.

Inordinate] Ratio 2. Continetur in peccati descriptione, quia quicunque vivunt inordinatè, & non secundùm doctrinæ regulam, Ecclesiæ traditam à me, excommunicandi sunt.

Vers. 7 *Nam ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari: quoniam non inordinatè nos gessimus inter vos;*

Vers. 8. *Neque gratis panem edimus* acceptum *à quoquam, sed cum labore & ærumna nocte dieque operantes, ne quem vestrûm gravaremus.*

Ratio 3. Quia, qui inordinatè vivit, non gerit se secundùm exemplum meum, qui diligenter laboravi diu noctuque, ne cuiquam essem oneri.

Vers. 9. *Non quòd nobis* id *non liceat, sed ut nosmetipsos pro exemplari exhibeamus vobis ad nos imitandos.*

Confirmatio rationis per occupationem obiectionis, ex eo, quod Apostolus uti potuisset jure suo, & debitum stipendium ab ipsis exigere, & tamen sponte cesserit hoc jure, ut illis exemplar proponeret. Ergo tenebantur inertes fuci illi, & nemini utiles laborare: ut si nollent aliis esse utiles, saltem aliis non essent oneri.

Vers. 10. *Etenim quum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quòd si quis nolit operari, etiam non edito.*

Ratio 4. Quia æquum est ut victus ei subtrahatur, qui se honesto labori subtrahit, sicut prius monui.

Vers. 11. *Audimus enim quosdam versari inter vos inordinatè nihil operis facientes, sed curiosè agentes.*

Ratio 5. In qua causam cur urgeat hoc præceptum profert, quia otium iners alit curiosam περιεργασίαν, sicut aliquorum exemplis testatum habebant inter se: aliqui enim ipsis jam satis cogniti, in suis rebus nihil honesti operabantur, sed curiosè vagantes rerum alienarum ad se nihil pertinentium satagebant.

Vers. 12. *Iis autem qui sunt ejusmodi, denuntiamus & obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes, suo pane vescantur.*

In hujusmodi otiosorum gratiam hortationem repetit & applicat.

Vers. 13 *Vos autem, fratres, ne segnescite in benefaciendo.*

Hortatio 6. Ne interim defatigentur benefaciendo egenis (verè pauperibus qui non per inertiam, sed per calamitatem ad paupertatem redacti sunt) & ne segnescant in ullius virtutis actionibus, sed strenuè pergant, quæ præclara, seu pulchra sunt agere.

Vers. 14. *Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, & ne cõ mercium habete cum eo, ut eum pudeat.*

Hortatio 7. Ut notam inurant refractariis, & stigmate insigniant, non obedientes doctrinæ Apostolicæ, *hoc est*, ut excommunicent eos, quod patet ex eo, quod mandet ne cum notato commercium habeant, quod est consequens excommunicationis, & in eum finem mandatum, ut excommunicatus ab aliorum consortio segregatus, pudefactus in se descenderet, & resipisceret.

Vers. 15. *Neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem.*

Exponit mandatum, ne hostili sint animo in excommunicatum, aut eum habeant tanquam hostem, sed ita ostendant suum odium, in ipsius peccatum, ut intelligat excommunicatus sub severa illa correctione, subesse fraternam charitatem, & sic adducatur ad redeundum in gratiam cum Deo & Ecclesia, per resipiscentiam.

Vers. 16. *Ipse autem Dominus pacis* author *semper det vobis pacem omni modo, Dominus sit cum omnibus vobis.*

Restat Epilogus, Cujus articuli sunt tres, In primo precatur Deum pacis, ut ita dirigat ipsorum vias, & ita frænet immorigerorum turbulentos spiritus, ut erga Deum, & inter se, & cum exteris, pace frui possent: quod opus, divinam manum requirebat: Deinde precatur, ut Deus gratiosâ præsentiâ suâ, semper adsit ipsis omnibus.

Vers. 17. *Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni Epistola: ita scribo.*

Articulus 2. Continet obsignationem Epistolæ, per subscriptionem ipsius Pauli, qui maximâ ex parte utebatur opera amanuensium in uniuscujusque Epistolæ corpore describendo, sed propria manu subscribebat

bebat in conclusione, ut genuinæ ejus Epistolæ dignoscerentur ab adulterinis & ementitis, quæ Pauli nomine circumferebantur & obtrudebantur Ecclesiis per impostores.

Vers. 18. *Gratia Domini nostri Iesu Christi* sit *cum omnibus vobis. Amen.*

Articulus 3. Continet votum Apostolicum propriâ manu descriptum, quo optat gratiæ CHRISTI (ut fontis omnium bonorum) perennem erga eos fluxum, in ipsorum sanctificationem & salutem.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ PRIORIS, AD* TIMOTHEVM.

Summarium.

Ephesо discedens in Macedoniam Apostolus non satis habuit Ecclesiam Ephesinam jam publicè constitutam, Pastorum ordinariorum curæ committere, sed etiam rogavit Timotheum Euangelistam, ut aliquantisper ibi commoraretur, ad stabiliendam Ecclesiam in omnibus quæ ad Disciplinam & Doctrinam spectabant: quo opere confecto, Apostolus eum ad seipsum revocaturus erat, & ejus opera usurus, ad alias etiam Ecclesias confirmandas, ut ex fine Epistolæ posterioris, & aliis locis apparet. Interim quia Juvenis erat Timotheus, ne autoritate non satis instructus videretur, ad protervos homines cohibendos, qui contra eum forsan insurgerent, scriptâ hac ad eum Epistola, non tam monet ipsum officii (utpote quem probè instructum jam noverat) quam Ecclesias omnes, earumque Gubernatores de autoritate Timothei, & ipsorum officiis, commonefacit.

Epistolæ partes speciales sunt sex, secundùm numerum Capitum. Capite primo *ostendit rationem prædicandi legem, & Euangelium ritè, & cum fructu.*

Capite

Capite secundo, *præscribit quomodo in publicis precibus & conventibus Ecclesiasticis, se rectè gerere debeant Pastores & auditores, viri & mulieres.*

Capite tertio, *tractat de rectè instituendis Pastoribus & Diaconis, & de doctrinæ articulis ab iis specialiter curandis.*

Capite quarto, *agit de vitanda apostasia ventura, & de diligentia à vigilanti Pastore adhibenda, in eum finem.*

Capite quinto, *instituit de privatis admonitionibus à Presbyteris adhibendis, & quomodo se gerere debeant, Presbyteri erga viduas, & Presbyteros alios.*

Capite sexto, *Præcepta dat Timotheo, quibus instituatur quid de officiis Christianis, cum privatorum, tum Ministrorum, docere debeat.*

Caput Primum.

Præter inscriptionem quæ continetur duobus primis versibus: Tres sunt Capitis partes, In prima præcipit Timotheo, ut rectam docendi rationem conservet, & ut coerceat perversos Legis doctores, ad versum 12.

In secunda asserit suum Apostolatum, ut cum authoritate, quod jusserat, præstaretur à Timotheo, ad versum 18. *In tertia Timotheum animat ad strenuè se gerendum in ministerio suo.*

Vers. 1 *Paulus Apostolus Iesu Christi ex ordinatione Dei servatoris nostri, & Domini Iesu Christi spei nostræ,*

Epistolæ inscriptio, in qua, 1. ad conciliandam autoritatem huic Epistolæ, Paulus asserit se in ea scribenda apostolicâ legatione fungi pro CHRISTO, 2. Apostolatum confirmat speciali mandato DEI Patris (quem Servatorem vocat, quia salutis nostræ Author est) qui ad officium Apostolatus ipsum vocaverat, & ad muneris exequutionem in præsenti quod agebat negotio adhibuerat: 3. Apostolatum confirmat, mandato DOMINI nostri IESU CHRISTI, quem *spem nostram* vocat, quia spei nostræ Author, Causa meritoria, Objectum, & Consummator est.

Vers. 2. *Timotheo germano filio in fide, gratia* sit tibi, *misericordia & pax à Deo Patre nostro, & Christo Iesu Domino nostro:*

Timotheus, ad quem scribitur, vocatur germanus filius Apostoli, non *simpliciter*, sed in *fide*, quia ipsius discipulus erat, & sicut filius Patrem repræsentat facie & moribus, sic Timotheus doctrinâ & sanctâ conversatione Paulum referebat.

In salutati-

In ſalutatione optat Timotheo, 1. *Gratiam*, id eſt, inſtaurationem imaginis DEI, ex fonte gratuitæ benevolentiæ DEI: 2. *Miſericordiam*, id eſt, remiſſionem peccatorum gratuitam, quia ſciebat ſanctum juvenem, ſenſu peccatorum ſuorum affectum, multis cum lachrymis quotidiè coram DEO proſtratum fuiſſe: 3. *Pacem* optat, id eſt, tranquillitatem conſcientiæ, & lætitiam ex ſenſu Divini favoris: & denique, plenam felicitatem in vita futura, quæ ſub *pace* comprehenditur.

Verſ. 3. *Quemadmodum te ſum precatus, ut permaneres Epheſi quum proficiſcerer in Macedoniam*, permaneto, *ut denuuties quibuſdam ne diverſam doctrinam doceant*:

Prima pars Capitis, de recta docendi ratione: in qua poſtquam confirmavit Timotheo, non Epiſcopatum ordinarium Eccleſiæ Epheſinæ, ſed commiſſionem ſpecialem temporariam & extraordinariam, repetit mandatum ei datum, de coercendis perverſis quibuſdam legis zelotis, & de iis commonendis, ne diverſam ab Apoſtolicâ, doctrinam ullam docerent. In quibus præſcribendis, maluit Apoſtolus rogandi & precandi verbis uti, quam pro imperio loqui, ut vicem rependeret Timotheo qui etiam Apoſtoli precibus vix ſolvi potuit (ne ad tempus quidem) à ſocietate Pauli jucundiſſima.

Verſ. 4. *Nec attendant fabulis & genealogiis infinitis, quæ potiùs queſtiones præbent, quam ædificationem Dei, quæ eſt per fidem.*

Pro exemplo, Vitari jubet ſpeciatim fabulas & genealogias Judaicas, hoc eſt, dogmata commentitia (ſive traditiones præter ſacras Scripturas) & curioſas ſpeculationes, de non neceſſariis, quales ſunt Talmudicæ & Cabaliſticæ quamplurimæ, quales etiam reperias multas in Scriptoribus, qui Scholaſtici audiri volunt.

Nunquam] Rationes admonitionis ſunt ſex: Ratio prima, Quia inanes illæ ſpeculationes otioſæ ſunt, & interminatæ, quarum nec uſus eſt, nec finis.

Quæ potius] Ratio 2. Quia gignunt curioſas & contentioſas quæſtiones, nec promovent cognitionem pietatis, quæ ad DEUM ducit, ſiquidem ædificatio non fit per probabiles & incertas opiniones, ſed per ſolidam fidem ſermonis Divini.

Verſ. 5 *Porro finis mandati eſt charitas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.*

Ratio

Ratio 3. Quia doctores illi qui toti sunt in discutiendis minutiis, quæ in lege captari possunt, licet zelo legis Mosaicæ duci videantur, non tamen referunt legem ad verum suum finem, seu ad scopum genuinum totius Scripturæ, qui est ut homines per legem adducti ad cognitionem peccati & miseriæ meritæ, serio confugiant ad CHRISTUM per fidem non fictam.

Charitas] Hanc fidem describit à triplici effectu: 1. Quod fides vera conscientiam bonam seu tranquillam, & quietam reddat in CHRISTI sanguine propitiatorio: 2. Quod pacatâ jam conscientiâ, fides non permittat, ut cor in malo delectetur, sed contendat potiùs ut mundetur, & ab omnibus pravis affectibus purgetur: 3. Quod fides vera otiosa non sit in bono, sed hominem excitet ad operandum gnaviter in uniuscujusque præcepti obedientiâ, per charitatem erga DEUM & homines.

Vers. 6. *A quibus quum quidam ut à scopo aberrarent, deflexerunt ad vaniloquentiam:*

Ratio 4. confirmans priorem, Quia experientia aliquorum comprobatum est, nisi Doctores ab inanibus suis commentis abstinentes, oculos intentos habeant in ædificationem hominum, in fide & in charitate, non posse eos non abripi à simplicitate doctrinæ, in loquacem vanitatem: ubi autem est vanitas, non est ibi veritas.

Vers. 7. *Quum velint esse Legis doctores, nec intelligant quæ loquuntur, neque de quibus asseverant.*

Ratio 5. Quia experientia etiam compertum est, ambitiosos illos doctores dum affectarent novam docendi rationem, & laudem ex cognitione legis captarent, ignorantiam suam prodidisse, dum nec quæstiones *de quibus*, nec argumenta *ex quibus* disputabant, intelligerent: Ergo evitatis otiosis speculationibus, curandum erat Timotheo, ne in Apostolica doctrina vel ejus docendæ ratione, quicquam novaretur à quoquam.

Vers. 8. *Scimus autem bonam esse Legem, si quis ea legitime utatur.*

Respondet objectioni: Ergone legi divinæ adversaris, qui tam studiosè ejus doctores vellicas? Respondet Apostolus nihil se detrahere legi, reprehendendo eos qui lege abutuntur, sed commendare & docere potius rectum legis usum.

Vers. 9. Nempe *sciens Legem justo positam non esse, sed Legis contem-*

gis contemptoribus, & iis qui subjici nesciunt, impiis & peccatoribus, nefariis & profanis, patricidis & matricidis, homicidis,

Vers. 10. *Scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, & mendacibus, perjuris, & siquid aliud est quod sanæ doctrinæ sit oppositum* :

Vers. 11 Quæ est *secundum glorioſum Euangelium beati Dei, quod concreditum est mihi,*

Confirmat responsionem tribus rationibus: Prima est à fine legis seu legalis Fœderis, quatenus opponitur Euangelio, Lex lata est non ut fideles justificati jam per fidem in CHRISTUM, justificarentur per legem (sicut perversi legis doctores intendebant) sed ut injusti & infideles, quales sunt omnes flagitiosi & profani per legem condemnati, suam injustitiam & meritam condemnationem agnoscerent, resipiscerent, & ad CHRISTUM confugerent: Nihil igitur Apostolica doctrina legi detrahit.

Secundum] Ratio 2. Omnia peccata quæ prohibentur à lege, prohibentur etiam à sana doctrina glorioſi Euangelii, & omnia officia quæ lege præcipiuntur, studiosè docentur, & urgentur in Euangelio, quantùm scilicet ad obedientiam DEO præstandam, ad gratitudinem erga ipsum ostendendam sufficit, & ad fidei sinceritatem in fructibus sanctitatis probandam attinet. Nihil ergo doctrina Euangelii detrahit legi.

Concreditum] Ratio 3. Ego Apostolus cui concreditum est Euangelium DEI, (in se beatissimi, & omnis benedictionis erga nos Authoris) non minus urgeo hanc sanam doctrinam de sanctitatis, & omnium bonorum operum quæ in lege præcipiuntur, studio, quam quivis legis zelota, licet non eodem fine: Ergo Apostolica doctrina legi ne quicquam detrahit.

Secunda pars Capitis.

Vers. 12. *Gratiam igitur ei habeo, qui me robustum effecit*, id est, *Christo Iesu Domino nostro, quod me fidelem duxerit, ut qui* me *in ministerio constituerit* :

Secunda pars Capitis in qua autoritatem sui Apostolatus vendicat adversus eos, qui vel eam negarent, vel propter anteactam vitam extenuarent idque gratias agendo pro gratia sibi concessa. Gratiarum acti-

onis rationes sunt septem, quæ omnes probant nihil detrahendum autoritati Apostolatus Pauli.

Ratio prima, CHRISTUS me infirmum, & olim mancipium peccati, DIABOLI, & MUNDI, Apostolum à se constitutum, gratiâ SPIRITUS Sancti roboravit, ut tanquam Antesignanus pro Euangelii defensione invicto starem animo, contra omnes mundi, carnis, & Satanæ insultus: Ergo de confirmatione Apostolatus mei DEO gratiæ agendæ sunt, tantùm abest, ut meæ authoritati quicquam detrahi debeat.

Fidum duxerit] Ratio 2. CHRISTUS me Apostolum constitutum, donis sui SPIRITUS imbuit, & eousque honoravit, ut amicum suum fidelem me & faceret & haberet, cui thesaurum Euangelii sui committeret, dispensandum pauperibus suorum electorum animabus: Ergo authoritati meæ nihil detrahendum.

Constituit] Ratio 3. CHRISTUS ipse Dominus me constituit in Ministerio, id est, in officio Apostolatus, ut prædicationi Euangelii totus incumberem segregatus à mundo ad hoc negotium: Quis ergo est qui meæ autoritati detractum ire audeat?

Vers. 13. *Qui prius eram blasphemus & persequutor, & injuriosus: sed mei misertus est, nam ignorans id faciebam fidei experis.*

Ratio 4. Per scelera & pestima merita vitæ meæ anteactæ DEUS non est impeditus, ne assumeret me in servum suum, qui olim eram hostis. Quis igitur meæ autoritati detrahat ob prioris vitæ scelera?

Nam ignorans] Occurrit objectioni, Diceret enim aliquis quomodo fieri potuit, ut tam apertus CHRISTI hostis consequeretur veniam? Respondet peccatum suum fuisse ex ignorantia: atque ita probat peccatum suum non fuisse irremissibile illud peccatum in SPIRITUM Sanctum, seu malitiosam illam insurrectionem adversùs CHRISTUM, qua DIABOLICI hostes Euangelii hostiliter, scientes, volentes se opponunt regno CHRISTI cognito, sed peccatum ex ignorantia admissum, dum adhuc infidelis esset.

Vers. 14 *Superabundavit autem Domini nostri cum fide & dilectione in Christo Iesu*

Ratio 5. Non mediocrem seu ordinariam mensuram fidei, & dilectionis concessit mihi DEUS, sed superabundanter gratiam suam ostendit in eximia donorum salvificorum collatione: Idcirco non est quod quis autoritati meæ propter anteactam vitam meam quicquam detrahat.

Vers. 15.

Vers. 15. *Fidus* est hic *sermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur, Christum Iesum venisse in mundum, ut peccatores servaret, quorum primus sum ego.*

Ratio 6. CHRISTUS eximia sua in me misericordia effecit, ut experientia edoctus sententiæ illi Euangelicæ, de CHRISTI persona, officio, adventu, virtute, merito & efficacia ad servandum peccatores primus subscribere cogar, tanquam peccatorum meo Judicio dux, ita ut illius sententiæ veritatem & utilitatem non possim, quin palam toti mundo deprædicem. Nam expertus dico: *Certus est hic sermo*, &c. Nihil ergo autoritati meæ detrahendum, qui non tantùm quod commissum mihi est, ipse credo, sed etiam quod expertus sum prædico.

Vers. 16. *Verùm ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ut essem exemplo credituris ipsi in vitam æternam.*

Ratio 7. DOMINUS posuit me in exemplum suæ longanimitatis, misericordiæ, bonitatis, & gratiæ admirabilis; ita ut peccatores in finem usque mundi, qui meam conversionem admirabilem, & DEI erga me benignitatem audient, confirmari possint abundè de CHRISTI misericordia, & benè sperare de simili erga se bonitate ostendenda, oculos dirigentes in me, tanquam typum & exemplar ineffabilis misericordiæ. Ergo maximè idoneus sum, quem CHRISTUS suæ gratiæ præconem constitueret, tantùm abest ut quidquam detrahatur autoritati meæ, propter priorem conversationem, dum infidelis essem.

Vers. 17. *Regi autem æterno, immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor* ut *& gloria in secula seculorum. Amen.*

Apostolus beneficii magnitudine jam affectus, nec sibi in ejus amplificatione satisfaciens, gratiarum actione patheticè sermonem concludit, cum insigni celebratione CHRISTI, cujus quatuor epitheta obiter adducit, quæ sic CHRISTO conveniunt, ut PATRI etiam, & SPIRITUI Sancto conveniant: 1. Epithetum est DEUS seu CHRISTUS qua DEUS, est Rex *seculorum*, id est, per Hebraismum, Rex æternus, ut distinguatur à mundanis & mortalibus regibus: 2. Epithetum *incorruptibili*, quia DEUS omnis alterationis, mutationis, & corruptionis est expers, & semper est idem ipse sui similis: 3. Epithetum *Invisibili*, quia neque oculis, neque ullis sensibus comprehendi potest, quippe quorum facultates sunt

corporeæ & angustis finibus terminatæ: 4. Est solus *Sapiens*, quia solus novit omnia, non per objecta, neque per λογισμον, sed in seipso, per seipsum, & à seipso, utpote in quo omnia sunt, ut in efficiente primo, & ut in fine ultimo. Hinc Apostolus ascribit DEO *honorem*, seu testificationem eminentiæ, & *gloriam*, quæ est clara fama cum laude, quæ DEO debentur in æternum, appendens *Amen*, tanquam fidei & voluntatis suæ impensæ ad DEUM glorificandum, sigillum.

Tertia pars Capitis.

Vers. 18. *Hoc mandatum commendo tibi, fili Timothee*, nempe *ut secundùm prægressas de te prophetias, milites per eas bonam illam militiam*.

Tertia pars Capitis, in qua hortatur Timotheum ut strenuè se gerat in Ministerio, nempe ut militet bonam militiam, seu ut contra omnes hostes, & omnia impedimenta se paret ad pugnam, omnemque fidem & diligentiam adhibeat, ne quid detrimenti DEI Ecclesia capiat à quoquam.

Secundum] Argumenta hortationis sunt duo: Argumentum 1. Quia de te quædam Propheticè divino quodam instinctu à viris piis prædicta sunt, quæ spem insignem faciebant rerum à te præclarè gerendarum, (ut apparet ex *Act.* 16. 2.) Milita igitur bonam militiam.

Vers. 19. *Retinens fidem & bonam conscientiam, qua repulsa, nonnulli fidei naufragium fecerunt*.

Hortationem explicat, ostendendo militandi modum, nempe ut sanam doctrinam firmiter tueatur & profiteatur, & simul sanctè vivendo secundùm prædicatam à se veritatem, bonæ conscientiæ lucem & pacem conservet, quæ ipsum interiùs admonitura erat de officiò erga DEUM & homines, si loquentem audiret, & consolationem ministratura, si pro veritatis defensione quicquam pateretur.

Qua expulsa] Arg. 2. Quia nisi strenuè te geras, & hanc militiæ legem de jungenda bona conscientia cum fidei professione observes, periculum est, ne amissa bona conscientia naufragium sanæ doctrinæ, seu professionis fidei etiam facias, sicut jam fecerunt nonnulli: Idcirco milita bonam militiam: Interim hic non injicit Timotheo scrupulum de perseverantiæ ipsius incertitudine, sed adhibet optimum argumentum & efficacissimum ad persuadendum ut perseveret: Nihil enim refert in hypotheticis

potheticis propositionibus, quod ejus partes separatim, & categoricè sumptæ sint falsæ vel impossibiles, satis est ad connexi axiomatis veritatem, quod connexio partium sit certa.

Vers. 20. *Ex quibus Hymenæus & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discerent non blasphemare.*

Pro exemplo Apostolus nominat duos Apostatas, Hymenæum & Alexandrum, quos non ita pridem tradiderat Satanæ, id est, excommunicaverat: nam qui à facie DEI lucente in Ecclesiâ ejiciuntur, cadunt in Satanæ regnum, quo ad externi hominis conditionem, seu quo ad privilegiorum Ecclesiasticarum possessionem: Hujus excommunicationis finem ostendit hunc esse, ut pœnitentia ducti desinerent doctrinam fidei blasphemare, utque humiliati ad veritatem rectè cognoscendam, & profitendam reverterentur: nam de ipsorum fide in CHRISTUM planè deperditâ Apostolus non pronunciat, sed contra, spem fovet de ipsorum resipiscentia & salute possibili, & futura.

Caput Secundum.

HOC Capite præcepta dat quatuor, quibus instituantur omnes Fideles, quomodo in publicis Ecclesiæ conventibus se rectè gerere debeant, viri pariter & fœminæ.

Vers. 1. *ADhortor igitur ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus:*

Præceptum primum, Ne in conventu Ecclesiæ potissimùm, negligantur preces, sed ut fiant deprecationes pro malis avertendis, & precationes pro bonis obtinendis, & intercessiones pro aliis hominibus, & gratiarum actiones pro beneficiis acceptis in publicis precibus, quas tota Ecclesia præeunte Pastore concipere debet, & quidem pro quibuslibet (cujuscunque sint conditionis vel sortis) hominibus.

Vers. 2. *Pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis: ut tranquillam ac quietam vitam degamus, cum omni pietate, & honestate.*

Explica-

Explicat præceptum specialius, & precari jubet nominatim pro regibus, & quibusvis magistratibus in eminentia constitutis, qui quoniam ad clavum reipublicæ sedent, nobis debent esse charissimi, eorumque mentio in Ecclesiæ precationibus eo ipso nomine à nobis, debet fieri.

Ut tranquillam] Rationes præcepti sunt novem: Ratio prima à fine utili, quia magistratibus salvis, & in pace officium suum administrantibus, licebit fidelibus pacatam & tranquillam vitam degere, *in pietate*, seu obedientia primæ tabulæ; & *honestate*, seu obedientia secundæ tabulæ: Ergo pro iis orandum.

Vers. 3. *Nam hoc bonum est & acceptum coram Servatore nostro DEO:*

Ratio 2. Precari pro regibus & cujusvis ordinis hominibus, bonum est seu acceptum DEO: Ergo pro quibusvis orandum, Dicitur DEUS *noster Servator*, quia etiamsi CHRISTUS Servator sit, officio speciali operatione tamen in officii executione non nisi cum PATRE & SPIRITU Sancto nos actu servat.

Vers. 4. *Qui quosvis homines vult servari, & ad agnitionem veritatis venire.*

Ratio 3. confirmans priorem: DEUS vult omnis generis homines, (& proinde aliquos ex regibus & magistratibus, & cujusvis ordinis hominibus) servari, & ad fidem Euangelii pervenire. Ergo etiam vult nos pro omnis generis hominibus precari, & nominatim pro regibus, & in eminentia constitutis, de quibus tenemur benè sperare.

Vers. 5. *Unus enim Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus:*

Ratio 4. Etiamsi multis modis à se invicem distinguantur, & discriminentur inter se homines, multique ordines sint, quorum *multi* alieni sunt à fide, & multi insuper fidei etiam hostes, satis tamen est ad precandum pro quibusvis, quod DEUS sit *unus*: sub cujus potestate & imperio omnes continentur, & quod DEUS sit pariter DEUS Judæorum & Gentium sine προσωποληψια: Ergo pro quibusvis orandum.

Unus etiam Mediator] Ratio 5: Quæcunque sunt inter homines intervalla & distantiæ, quibus à se invicem separari possent, satis tamen est ad precandum pro quibusvis, quod omnibus Gentibus, & omnis conditionis hominibus, *unicus Mediator* positus sit inter DEUM & homines, per quem

quem acceſſus patet omnibus ad eum accedentibus. Ergo pro quibuſvis eſt orandum.

Homo] Ratio 6. Satis eſt ad precandum pro quibuſvis hominibus, quod *unus* ille omnium Mediator ſit *Homo*, per incarnationem Verbi, communi vinculo naturæ humanæ, hominibus omnibus conjunctus, nempe IESUS CHRISTUS, qui pro quibuſvis, *hoc eſt*, pro ovibus ſuis, ex omni hominum genere collectis intercedit. Ergo pro quibuſvis eſt orandum.

Verſ. 6. *Qui ſemetipſum dedit redemptionis pretium pro quibuſvis*, Chriſtus inquam, *teſtimonium illud ſuis temporibus* deſtinatum.

Ratio 7. CHRISTUS dedit ſemetipſum plenum & ſufficiens pretium redemptionis, pro omnis generis hominibus: Ergo pro quibuſvis, ſeu pro omnis generis hominibus precandum eſt.

Teſtimonium] Ratio 8. Euangelium ſeu teſtimonium de CHRISTI redemptione omnis generis hominum, quod DEUS idoneis temporibus revelare deſtinaverat, jam patefactum eſt: Ergo etiam per preces fuſas, pro quovis genere hominum, in Chriſtianis Eccleſiis proferendum eſt hujus veritatis Teſtimonium.

Verſ. 7. *Cujus conſtitutus ſum ego Præco & Apoſtolus (veritatem dico per Chriſtum, non mentior) Doctor*, inquam, *Gentium cum fide ac veritate*.

Ratio 9. Prædicatio hujus Teſtimonii ſeu Euangelii, & doctrinæ de pretio Redemptionis pro omnis generis hominibus, à CHRISTO perſoluto, ſpecialiter commiſſa eſt mihi, ut ſim Doctor etiam Gentium, ad eas inſtituendum in fide, & veritate omni, quæ ad vitam æternam ducit, Cum ergo ego ſciam ſervandos eſſe multos ex Gentibus, idque jam publicè vos doceam, precationes pro quibuſvis hominibus publicè fieri debent in Chriſtianis Eccleſiis omnibus. Interim, quia noverat aliquot ex Judæis ægrè laturos mentionem Apoſtolatus ſui, & legationis ad Gentes, confirmat dictum de miſſione ſua ad Gentes gravi aſſeverationę, ne quis dubitaret.

Verſ. 8. *Velim igitur viros precari in quovis loco, puras manus attollentes, abſque ira & diſceptatione*.

Reliqua quæ ſequuntur ſpectant ad circumſtantias publici cultus, Sequitur ergo præceptum 2. De perſonis ad publicas preces in Eccleſia con-

sia concipiendas, idoneis: Item de loco & dispositionibus, cum animæ tum corporis, ad eam rem accommodatis.

Quod ad personas attinet, Jubet viros tantùm in Ecclesia loqui, & cætui in precibus præcedere, non fœminas.

Quovis loco] Quod ad locum attinet, discrimen locorum quod erat in veteri Testamento (quando ad Templum Hierosolymitanum ter quotannis conveniendum, & facies convertenda erat ad Sanctuarium, sive propiùs sive longiùs abessent à Templo,) ostendit sublatum jam esse secundùm prædictionem CHRISTI, *Ioan* 4. & libertatem jam concessam esse, ut quovis loco Christiani honestè & decorè cœtus suos celebrarent.

Attollentes] Quod ad corpus attinet, Requirit ut gestus istiusmodi sit, qui testificetur reverentiam Divini Numinis, ardoremque precandi accendat, qualis gestus, Exempli gratia est, manuum elevatio, sive illæ expansæ, sive junctæ fuerint.

Purè] Quod ad totum hominem, animamque imprimis spectat, requirit, primo, vitæ integritatem & innocentiam, quam per manuum puritatem intelligit: 2. Ut absint iræ, simultates, omnesque pravi affectus, ut ὁμοθυμαδὸν inter se consentiant omnes: 3 Ut ablit disceptatio seu dubitatio, an DEUS audire velit, seu concedere quæ secundùm ipsius voluntatem revelatam petimus ab Eo nos, quicunque accedimus ad Ipsum per CHRISTUM.

Vers. 9. *Itidem & mulieres amictu honesto, cum verecundia & modestia ornare seſe, non cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu:*

Præceptum 3. Ut mulieres dum unà cum cœtu precantur, sacrisque reliquis interfunt, in vestitu, reliquoque omni habitu, componant se ad honestatem, verecundiam & modestiam, quæ majori futura sunt ipsis ornamento, quam si cincinnis, vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu amictæ prodirent in publicum: in quibus si luxus appareat, ornatus illicitus est, & hoc loco prohibitus.

Vers. 10. *Sed (quod decet mulieres pietatem spondentes) operibus bonis.*

Requirit præterea ad ornatum mulierum, & privatum & publicum, ut bonis operibus inclarescant: cujus ratio redditur à professione Christiana,

ſtiana, qua in Baptiſmo ſpoponderunt ſe vanitati, & pompæ mundanæ renunciaturas.

Verſ. 11. *Mulier cum ſilentio diſcito cum omni ſubjectione.*

Præceptum 4. Ut mulieres in Eccleſiaſticis conventibus diſcentium partes obeant ſemper; docentium nunquam: & ut diſcant cum ſilentio, idque in agnitione infirmitatis, & ſubjectionis naturalis ſui ſexus, licet dotibus perſonalibus, multis Viris quædam Fœminæ ſuperiores eſſe poſſint.

Verſ. 12. *Mulieri enim docere non permitto, neque authoritatem uſurpare in virum, ſed eſſe in ſilentio.*

Explicat præceptum ſpecialius, & pro authoritate *prohibet* fœminas publicè docendi partibus.

Neque authoritatem] Rationes prohibitionis ſunt tres: Ratio prima in poſteriori parte prohibitionis continetur, quia ſi mulier doceret publicè, authoritatem etiam haberet mulier in virum; præeſſet, & inſtitueret virum illa, quæ ſubeſſe, & ſubjici viro debet cum ſilentio.

Verſ. 13. *Adam enim prior formatus eſt, deinde Eva.*

Ratio 2. confirmans priorem, Dignior eſt virilis ſexus quam muliebris: Nam Adam Más prior formatus eſt, & non propter Evam fœminam, ſed Eva fœmina poſterior propter márem Adamum formata eſt: Ergo arceri debet fœmina à docendi officio in Eccleſia.

Verſ. 14. *Et Adam non fuit ſeductus: ſed mulier ſeducta cauſa trangreſſionis fuit.*

Ratio 3. Seductio prima, & peccatum primum non fuit per marem, ſeu Adamum primò, ſed per Evam, quæ decepta à Diabolo marito ſuaſit, ut tranſgrederetur mandatum: Idcirco à Deo conſtitutum eſt, ut poſtea viro eſſet ſubdita, non verò virum publice doceret; Atque hæ rationes ſufficiunt ut ſaltem in Eccleſia, ubi de animabus agitur, non præſideat fœmina.

Verſ. 15. *Servabitur tamen liberos gignendo, ſi manſerit in fide ac charitate, & ſanctificatione cum modeſtia.*

Solvit objectionem, & conſolatur fœminam adverſùs ſecluſionem, ab officio Paſtorali Eccleſiaſtico, adverſùs introitum peccati in mundum per eam, adverſùs ſubjectionem ſexus, & adverſùs reliqua quæ fœmineum genus conſequuntur, incommoda, ex eo quod neque hæc pro-

hibitio à Pastoratu Ecclesiastico, neque mala hæc recitata impeditura essent mulieris, seu mulierum salutem, modò verâ fide præditæ fuerint, & in ea permanserint, constanter colentes charitatem, sanctitatem & modestiam, cæteroſque veræ fidei fructus in vocatione sua domestica, quæ plerunque, & ordinariò exercetur in liberis pariendis, alendis, & educandis, (sub quo officio, metonymicè continentur officia omnia reliqua, quæ ad familiam pertinent, ad quæ destinata est fœmina, ut ea curet pro munere suo in privatis ædibus) & promittit Apostolus fore, ut verè fideles fœminæ, non minùs quam fideles viri, vel fideles Pastores Ecclesiæ, salutem consequantur æternam in hac ipsarum subjectione, tam certò & facilè, quam si ad Ecclesiasticum docendi munus admissæ fuissent; in quo munere non possent salvari, nisi etiam præditæ essent ejusmodi fide quæ per dilectionem & opera bona veram & efficacem se demonstraret.

Caput Tertium.

Capitis duæ sunt partes: In prima de Ministrorum Ecclesiæ electione agitur, ad vers. 14. *In altera de præcipuis doctrinæ articulis in Ecclesia tenendis, ad finem.*

Officia Ecclesiastica dividit Apostolus noster, Rom. 12. *in Prophetiam & Diaconiam, sub* Prophetia *comprehendens Pastores & Doctores, qui hoc capite Episcopi vocantur, sub* Diaconia *complectens, ut hic, & Seniores eos qui mores Ecclesiæ curabant, & Diacones propriè dictos, qui curabant bona Ecclesiastica & pauperes.*

Vers. 1. *Fidus est hic sermo, Si quis Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.*

Hoc versu ut viam paret ad descriptionem proprietatum Episcopi; commendat pastorale munus (præmissâ gravi asseveratione) tanquam functionem præclarissimam & officium laboriosum, quod qui appetit eo fine, ut in Euangelio laborando deducat homines ad salutem æternam, per rectum Dei cultum, elogio dignus est.

Vers. 2. *Oportet igitur Episcopum irreprehensum esse, unius uxoris*

uxoris virum, vigilantem, sobrium, compositum, hospitalem, aptum ad docendum:

Describit officium, dotes & proprietates Episcopi, id est, Pastoris & Doctoris, partim affirmativè, partim negativè, præscribens quasi certos canones in electione Episcopi observandos.

Irreprehensum] Proprietates seu requisita Episcopi, sunt numero sedecim: Primo, Oportet Episcopum esse vitæ inculpatæ, id est, à scandalis alienum, ita ut jure ab hominibus accusari non possit, non qui omnino expers sit peccati, sed qui sit sine vitiis.

Vnius] 2. proprietas, Oportet esse μονογαμον; quæ proprietas non ponitur præceptivè, quasi necesse sit Pastorem esse conjugatum, sed limitativè, quia si in animum induxerit uxorem ducere, oportet uxore una contentum esse, quamdiu ea vixerit, & à polygamiæ vitio (quod illis temporibus frequens erat) liberum esse.

Vigilantem] Oportet esse in officio suo vigilantem, qui prospicere valeat quid sibi incumbat ad gregis sui ædificationem, & conservationem, ab hostium spiritualium insidiis.

Temperantem] 4. Oportet esse in victu & amictu sobrium, adeoque in rebus gerendis moderatum, qui omnia cum recta ratione administret, nihil leviter aut temerè suscipiens, sed graviter omnia sua dicta librans & ponderans.

Compositum] 5. Compositum esse oportet, seu moribus compositis ornatum, qui neque rusticitate sua, neque stoicâ severitate contemptui se exponat.

Hospitalem] 6. requiritur, Ut sit hospitalis qui pro facultatibus suis paratus sit ad Dei servos, egentes potissimùm peregrinos & exules refocillandos & fovendos.

Aptum] 7. requiritur, Ut aptus sit ad docendum, id est, ut non solùm sit theologiæ consultus, & in doctrina Christiana probè instructus, sed etiam is qui verbum Dei rectè sciat secare, & ad auditoris captum seu ædificationem appositè proferre & accommodare.

Vers. 3. *Non vinosum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed moderatum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia:*

8. Requiritur ut non sit vinosus, seu potationi deditus, vel qui pitissando & sorbillando diem producere soleat.

Non percussorem] 9. Ut non sit percussor seu plagosus, qui proclivis sit ad percutiendum, sive famulos suos, sive alios quosvis.

Non turpem] 10. Ut non faciat turpem quæstum, vel ut non sit turpis lucripeta, qui lucrum quærat cum dignitatis Ministerii dispendio.

Æquum] 11. Ut sit æquus, seu moderatus in contractibus suis, & qui cum opus est de suo jure remittere paratus sit.

Alienum] 12. Ut sit alienus à pugnis, & contentionibus verberum vel verborum.

Ab avaritia] 13. Ut sit alienus ab avaritia, qui rei familiari augendæ non nimiùm studeat.

Vers. 4. Qui *suæ domui benè præsit, qui liberos contineat in subjectione cum omni honestate*.

14. Ut familiam suam, *id est*, uxorem, liberos & domesticos (si modò habeat) norit benè regere, seu in obedientia, & in honesto exercitio continere.

Vers. 5. *(Nam si quis propriæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?)*

Rationem hujus requisiti reddit, quia qui propriæ domui, aut parvæ familiæ præesse nescit, Ecclesiam Dei prudenter regere vel curare non poterit.

Vers. 6 *Non novitium, ne inflatus, in criminationem incidat Diaboli.*

15. Requirit ut non sit Novitius, seu nova Ecclesiæ plantula, *id est*, qui recens ad veram religionem sit conversus, non satis in mysteriis instructus, vel experientia confirmatus, non satis subactus & humiliatus per Christiana exercitia: Cujus ratio redditur, ne si subitò evehatur ad culmen Ecclesiasticæ dignitatis, inflatus incidat in crimen & condemnationem diaboli, qui præ superbia non mansit in statione sua, & propterea à Deo rejectus est.

Vers. 7. *Oportet autem eum etiam bonum habere testimonium ab extraneis; ne in opprobrium incidat & laqueum Diaboli.*

16. Et ultimum requisitum, Ut habeat bonum testimonium ab extraneis, seu iis qui alieni sunt ab Ecclesia, *id est*, Ut sit bonæ famæ apud omnes, cujus mores etiam inimici non possunt jure carpere: Cujus ratio redditur, ne in probrum & ignominiam incidat, & in laqueum diaboli, qui non tantùm ex ea occasione personam, & officium ipsius criminationibus vel calumniationibus oneret, sed etiam perfrictæ frontis hominem, & famæ suæ negligentem, & tandem moribus dissolutum ipsum efficiat.

Vers. 8.

Vers. 8. *Diaconos itidem honestos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpiter lucri cupidos:*

Quod ad Seniorum, & ærarii publici curatorum electionem attinet, Virtutes in iis requirit novem: 1 Ut sint graves, *id est*, honestis moribus ornati: 2. Ut non sint mendaces, bilingues aut fraudulenti: 3. Ut non sint vino dediti: 4. Ut non affectent turpe lucrum, quod ipsorum æstimationi apud bonos aliquid detrahat.

Vers. 9. *Tenentes mysterium fidei cum pura conscientia.*

5. Ut in fide seu doctrina Euangelii supernè revelati rite sint instituti, eamque firmâ professione retineant, unà cum vitæ sanctitate, quæ puritatem conscientiæ, & sinceritatem fidei ipsorum testetur.

Vers. 10. *Atque hi etiam probentur prius, deinde ministrent si sint inculpati.*

6. Ut non tantùm Pastores, & Candidati superiorum munerum, sed etiam Diaconi probentur; priusquam ad functionem admittantur, *hoc est*, ne temerè & sine delectu obtrudantur Ecclesiæ quilibet, sed ut illi soli eligantur, quos anteacta vita commendat; ita ut examine habito constet esse idoneos, & qui jure culpari non possint.

Vers. 11. *Uxores itidem honestas, non calumniosas, sobrias, fidas in omnibus.*

Quia uxorum & liberorum mores dissoluti in probrum Virorum verti possunt, requirit septimò, ut Uxores & Pastorum, & Diaconorum sint graves, & honestis moribus præditæ: non calumniatrices, seu quæ proximorum famæ detrahant: studiosæ sobrietatis, & denique in omni negotio fidæ.

Vers. 12. *Diaconi sint unius uxoris mariti, qui liberis rectè præsint, & propriis domibus.*

8. Requirit, ut Diaconi sint uxoris unius mariti, *id est*, à polygamiæ vitio alieni: 9. Requirit, Ut sciant familiam suam rectè regere, & sanctę disciplinæ cancellis suos domesticos continere.

Vers. 13. *Nam qui bene ministraverint, gradum sibi bonum, acquirunt, & multam libertatem per fidem, quæ est in Christo Iesu.*

Ne quis Diaconatum tanquam officium vile spernat, docet eos qui benè functi fuerint hoc officio, & honore dignos esse, dum in munere illo versantur, & fundamentum etiam ponere, ut ad altiorem gradum in Ecclesia

clesia promoveantur; Et denique acquirere sibi amplam materiam confirmandæ suæ fiduciæ erga DEUM per fidem in CHRISTO, quam fidelis administratio Diaconatus, ut testimonium & indicium sinceritatis fidei non mediocriter confirmare debet.

Secunda pars Capitis.

Vers. 14. *Hæc tibi scribo, sperans fore ut celerius ad te veniam:*

Vers. 15. *Quòd si tardius venero, ut noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesiæ Dei vivi, columna & stabilimentum veritatis.*

Altera pars Capitis, in qua tres præcipuos doctrinæ articulos in Ecclesia tenendos proponit. Articulus primus continet doctrinam de fine scriptæ hujus Epistolæ, & speciatim præcedentium præceptorum, qui hic est, Ut regula regendæ Ecclesiæ, per Apostolum exorata, præ oculis habeatur, quam Apostolus adveniens porro explicaturus & confirmaturus erat, prout opus esset; & per quam (si tardiùs veniret Apostolus) dirigere posset Timotheus gubernatores Ecclesiæ, quomodo in DEI familia, seu Ecclesia regenda versari debeant.

Ecclesia Dei] Articulus 2. Continet doctrinam de excellentia Ecclesiæ: 1. Quod sit *domus Dei*, in qua DEUS habitat, & familiam alit, & in qua colitur: 2. Quod sit Ecclesia *Dei viventis*, seu cœtus evocatus ex mundo per DEUM viventem, præter quem omnes illi dii quos Ethnici colunt, mortua sunt idola: 3. Quod sicut Ecclesia *per veritatem* evocatur, generatur, alitur, & conservatur à DEO, ut sit Ecclesia DEI viventis & vivifici; Sic *veritas per Ecclesiam* sustentatur, ut per *columnam & stabilimentum* quoddam. Quia Ecclesia veritatem tanquam in archivis collocatam conservat, In Ecclesiâ solâ veritas divina mundo prostat, sedemque suam & domicilium habet, & sola Ecclesia est quæ per Ministros suos hanc ipsam veritatem, ubique prædicandam, promulgandam, & communicandam curat, eamque tuetur & defendit, idque propriis veritatis armis, contra omnes adversarios.

Vers. 16. *Et sine controversia magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est in Spiritu, conspectus est ab angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.*

Articulus 3.

Articulus 3. Continet magnum pietatis mysterium, & totius veritatis Euangelicæ columnam & stabilimentum, seu prima Euangelii fundamenta, quibus reliqua tota salutaris doctrina innititur, quæ fundamenta oportet Pastores Ecclesiæ omni ratione tueri.

Fundamentales autem Doctrinæ, quæ hoc articulo continentur; quæque necessario, communi, & unanimi consensu, omnium verè Christianorum agnoscendæ sunt, propununtur septem: Prima hæc est, *Summa Euangelii est mysterium pietatis, & illud quidem magnum.* Euangelium autem Mysterium dicitur, quia naturali rationi absconditum est, nec sine divina patefactione, seu revelatione supernaturali à quoquam intelligi potest: adeo ut rationi nostræ in hoc *misterio* minimè fidendum sit, sed DEI verbo unicè inhærendum: utque DEI verbum intelligamus, SPIRITUS Sancti illuminatio à DEO expetenda est. Mysterium pietatis vocatur, quia pro scopo & Materia habet Christianam pietatem, quæ in fide & obedientia mandatorum CHRISTI, sive in fide per charitatem operante, consistit.

Magnum vocatur] Quia de DEO, de CHRISTO, de redemptionis magno negotio, de gloria justitiæ, & gratiæ divinæ, & de nostra salute, quæ res omnium maximæ sunt, agit.

Deus] Doctrina 2. Fundamentalis hæc est, *In Christi persona, Deus conspicuus factus est in carne. Deus*] Nempe unigenitus DEI FILIUS ac proinde verus æternusque *Deus. Conspicuus factus est,*] Toti scilicet orbi, visibilis, palpabilis, & audibilis exhibitus.

In carne,] Scilicet in humana natura, & quidem mortali & fragili, sed à peccato alienâ se conspiciendum obtulit verum IMMANUELEM, & nobiscum DEUM. Et hic designantur duæ naturæ, *divina* quæ assumpsit, & *humana* quæ assumpta est, & tota CHRISTI exinanitio in carne hîc continetur.

Justificatus] Doctrina 3. In CHRISTI persona, *Deus manifestatus in carne, justificatus est per Spiritum*; hoc est, CHRISTUS per divinam illam efficaciam suam (quæ in universa ipsius doctrina & vita, itemque in miraculis, & præsertim in glorioſa à mortuis resurrectione sese exeruit) non modo Justus & Verax, sed & Unigenitus DEI FILIUS, & porrò supremus Ecclesiæ Propheta, itemque Rex & Pontifex æternus, abundè declaratus, ac confirmatus est, & ab omnium Judæorum & hostium calumniis, & obtrectationibus absolutus.

Ab Angelos]

Ab Angelis] Doctrina 4. *Deus conspicuus factus in carne, conspectus est ab Angelis*, id est, agnitus est CHRISTUS ab Angelis, & per clariorem Majestatis suæ, simul & voluntatis Divinæ patefactionem, CHRISTUS clarius conspectus est ab Angelis DEUS incarnatus; & idcirco Angeli ut idonei, à DEO adhibiti sunt testes, de CHRISTI conceptione, nativitate, passione, & resurrectione; qui hoc mysterium etiamnum admirantur, novitate & excellentia rei perculsi, cupiuntque altiùs in illud penetrare, dimittentes se, ut intueantur ea quæ per Spiritum Ecclesiæ revelantur, 1. *Pet.* 1. 12. *Ephes.* 3. 10. Nam de modo redemptionis cœlatos oportuit etiam ipsos Angelos, ad tempus, quo plus admirationis haberet DEI bonitas.

Prædicatus] Doctrina 5. *Deus conspicuus factus in carne, & prædicatus Gentibus magnum est mysterium*: Nam mirum & stupendum est, quod Gentes (quæ hactenus in cæcitate mentis erraverant) dignatus sit DEUS revelatione FILII sui, quæ doctrina ipsos Apostolos initio, & cœlestes etiam Angelos latuerat.

Fides] Doctrina 6. *Mysterii magni non exigua pars est*, quod in mundo, (qui in malo est pontus, & planè DEO contrarius) operâ *hominum abjectorum, & nullo humano splendore commendabilium efficacia Euangelii tanta fuerit, ut cum aditus omnes præclusi & obserati essent*, fides CHRISTI obtinuerit, & per omnes difficultates eluctata, incredibili victoriæ genere victrix evaserit, adeo ut CHRISTI nomen creditum, & agnitum sit in mundo, quocunque pervasit Euangelii prædicatio.

Sursum] Doctrina 7. *Mysterium magnum est, & admiratione dignum, quod Christus qui in carnis infirmitate, & abjectissima servi conditione, tot annos in mundo latuerat, & tandem in crucem actus, vitam suam finire miserrimè visus erat, nihilominus ad dextram Patris, & in communionem gloriæ Dei evectus sit*: Unde missio SPIRITU Sancto, & donis datis, hominibus in hunc usque diem gloriam Deitatis suæ manifestat, & quod tantam habeat potestatem in Cœlo, & in Terra, ut omnia subjecta sint pedibus ipsius apertè demonstrat. Hæ sunt doctrinæ quas firmiter tenere vult Ecclesias, unde omnes reliquæ suam originem trahunt & stabilimentum.

Caput

Caput Quartum.

PErgit Timotheum instituere, quomodo in Ecclesia, seu Dei domo rectè versari debeat. Capitis duæ sunt partes, In prima præmonet de Apostasia à fide rectâ, ultimis temporibus in Ecclesia futura, ad vers. 6. In altera, officia describit boni Pastoris, & Gubernatorum Ecclesiæ: quibus se & populum suum à defectione immunes conservare possint.

Vers. 1. *SPiritus autem disertè dicit fore, ut posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes ad doctrinam dæmoniorum.*

Quod ad Prophetiam de Apostasia futura à fide, seu sana Euangelii doctrina, quatuor præmittit, quorum primum est defectionis *certitudo*, quia SPIRITUS Sanctus non obscurè, seu in ænigmate, sed *expresse* præmonebat de hac Apostasia, & de sequuturis statim temporibus prædicebat, quibus defectio à fide fieri inciperet, & invalesceret in visibili Ecclesia.

Secundum continet causas defectionis tres: Prima causa, sunt *spiritus deceptores*, id est, DIABOLI, autores omnis generis errorum & impostuarum: Causa 2. Sunt *Doctores falsi*, qui per inspirationem DIABOLI falsas doctrinas, seu doctrinas Dæmoniorum, à DIABOLIS excogitatas in Ecclesia docturi, & propugnaturi erant: Causa 3. Est attentio, auscultatio, & fides illis doctoribus, & DIABOLIS à miseris hominibus adhibita.

Vers. 2. *Per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est,*

Describit tertio loco DIABOLICOS illos doctores, seu dæmoniorum instrumenta, per quæ dæmones falsas illas doctrinas in Ecclesiam invecturi, & spariturí erant, à duabus proprietatibus: 1. Erunt *hypocritæ* simulantes se esse veritatis cultores in omnibus: etiam tum cum falsa sua dogmata Ecclesiæ obtrudunt. Sanctimoniam mentientur, dum sua figmenta DEI cultum esse venditant: 2. Conscientias cauterio inustas habituri sunt, quippe qui contra conscientiæ dictamen, multa dicturi & facturi

sunt, nec tamen sensuri ullum dolorem, postquam sacrilegiis, flagitiis, fallis suis doctrinis DEUM offenderunt, & animas hominum perdiderunt.

Vers. 3. *Prohibentium contrahêre matrimonium* jubentium *abstinere à cibis, quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui cognoverint veritatem.*

Quarto loco harum doctrinarum diabolicarum exempla in rebus indifferentibus proponit duo, per quas doctrinas tanquam per certas notas, diabolicos illos doctores, cum Apostatis Sectatoribus ipsorum dignoscamus. Prima est, prohibitio matrimonii, qui error quoscunque post diabolum autores habuerit, non refert, defensores nactus est Pontificios, inter quos jam diu obtinuit, & etiamnum obtinet, ab eo tempore quo clericis suis omnibus cœlibatum indixerunt. Altera doctrina diabolorum est, de delectu ciborum habendo, & abstinendo à quibusdam cibis, tanquam impuris, qui error inter Romanenses magis religiosè urgetur, observatur & defenditur, quam pleraque pietatis & justitiæ præscripta à DEO exercitia.

Quos Deus] Posteriorem hanc doctrinæ speciem de prohibitione certorum ciborum religionis causâ, probat esse falsam & dæmoniacam, sex rationibus: Prima, A fine creationis, Quia DEUS omnis generis cibos creavit, eo fine ut participentur, id est, comedantur. Diabolica ergo est doctrina quæ de vitandis aliquibus cibis præcipit, quando DEUS eos affert & usus eorum opportunus & utilis esset.

Gratiarum] Ratio 2. Vult DEUS omne genus ciborum pro beneficiis agnosci, & cum gratiarum actione, idcirco accipi. Ergo doctrina de vitandis & rejiciendis aliquibus cibis, quando DEUS eos offert, & ipsorum usus opportunus & utilis esset.

Fidelibus] Ratio 3. Usus creaturarum fidelibus præcipuè (seu iis qui veritatem Euangelii cognitam habent, & DEO reconciliantur per CHRISTUM) quandocunque utilis esse poterit, à DEO conceditur: Ergo prohibere ullis cibis Christianos, quibus jus imprimis datum est in eos, quandocunque ipsorum usus utilis, & naturæ conveniens esse posset, doctrina dæmoniorum est.

Vers. 4. *Nam quicquid creavit Deus, bonum est, nec quicquam rejiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur.*

Ratio

Ratio 4. Generalis, prohibitionem conjugii simul & ciborum attingens, Quicquid DEUS creavit bonum est, in legitimo suo usu, ut cibus, conjugium, reliquæque creaturæ omnes: Respexit enim DEUS quod creaverat, & ecce valdè bonum erat. Ergo doctrina prohibens legitimum usum naturalem creaturarum DEI, est DIABOLICA.

Nec quicquam] Ratio 5. Nihil rejiciendum est ex DEI creaturis, seu ordinationibus, si usurpetur legitimè, & cum gratiarum actione. Ergo doctrina rejiciens conjugium vel cibos, quum ipsorum usus legitimus & utilis esse possit, Doctrina est DÆMONIORUM.

Vers. 5. *Sanctificatur enim per verbum Dei, & preces.*

Ratio 6. confirmans priorem, Omnis DEI creatura, ut cibus, conjugium, *&c.* sanctificatur nobis ad legitimum usum, cum bona conscientia conjunctum, per DEI Verbum & Preces: (nam per DEI Verbum, seu Divinam Ordinationem, libertatem & jus nobis restitui in CHRISTO intelligimus, & per preces DEI donum agnoscimus, & benedictionem ejus expetimus) Ergo Doctrina jubens abstinere à DEI creaturis, easque nobis impuras reddens, quando DEUS eas sanctificavit, & ad sanctum usum præparavit, & nobis obtulit, DIABOLICA est.

Secunda pars Capitis.

Vers. 6. *Hæc si subjeceris fratribus, bonus eris minister Jesu Christi, innutritus in sermonibus fidei, bonæque doctrinæ, quam assectatus es.*

Altera pars Capitis, continens officia Timothei in præsenti sua legatione præstanda. Hortationes sunt quatuor.

Subjeceris] Hortatio prima, Ut admonitiones hactenus expositas fratribus proponat, iisque subinde easdem in memoriam revocet: Rationes hortationis sunt duæ. *Bonus*] Ratio prima, Si feceris, ostendes teipsum præclarum CHRISTI Ministrum, & studiosum ut omnia fiant in domo DEI ex sua ipsius voluntate.

Innutritum] Ratio 2. Demonstrabis teipsum hactenus innutritum esse sanâ doctrinâ, tanquam salubri cibo, quam me docente (à cujus latere nunquam discessisti) assectatus es.

Vers. 7. *Cætèrum profanas & aniles fabulas rejice: sed exerce teipsum ad pietatem.*

Hortatio 2. Ut rejectis humanis traditionibus, & commentis hominum, ad traditiones suas fulciendas excogitatis (tanquam profanis fabulis quibus anus & pueri capiuntur potius quam prudentes viri) exerceat se in virtutibus solidis, quæ à DEO præscribuntur ad pietatem, seu DEI cultum promovendum, & ut alii in iis se exerceant, curet.

Vers. 8. *Nam corporalis exercitatio paululum habet utilitatis: at pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.*

Rationes hortationis sunt quatuor: 1. Quia corporales illæ exercitationes in vigiliis, abstinentia à cibis, & similes spontaneæ afflictionis species, quæ hominum præceptis præscribuntur, ad pauca utiles sunt, id est, utilitate sua non compensant laborem, seu planè inutiles sunt, nam rectè usurpatæ quando DEUS extraordinem nos ad has exercitationes vocat, prosunt ut adjumenta; imperatæ vero ab hominibus, ut superstitiones, nocent.

Pietas] Ratio 2. Christiana pietas quæ divinis præceptis exigitur, ad omnia utilis est, sive nosipsos, sive alios, sive præsens hoc sæculum sive futurum spectemus, quippe quæ divinam promissionem felicitatis in præsenti & futura vita habet.

Vers. 9. *Fidus* est *hic sermo, & dignus qui omnibus modis recipiatur.*

Ratio 3. Confirmans & hortationem, & præcedentem rationem: Quia hæc doctrina de rejiciendis hominum commentis, & sequendis exercitiis veræ pietatis, est certus sermo, qui neminem decipiet, & doctrina planè salutaris, ideoque doctrina quam omnes amplecti & tueri debent.

Vers. 10. *Nam idcirco etiam fatigamur & probris afficimur, quòd speremus in Deo vivo, qui est conservator omnium hominum, maximè* verò *fidelium*.

Ratio 4. confirmans etiam rationes priores, Quia propter rejecta hominum commenta, & defensam veram pietatem, quæ in exercitiis fidei & obedientiæ consistit, afflictiones & ærumnas, laborum satis & infamiæ, ab injustis persequutoribus patimur, easque fortiter perferimus, ex spe promissionum quæ nobis hanc viam tenentibus factæ sunt. Idcirco rejectis hominum commentis pietati studeamus.

Vivo]

Vivo] Hanc rationem amplificat & confirmat ex duabus proprietatibus DEI, in quo speramus: Prima est, DEUS est vivus, non solùm subjectivè *actuosus*, sed etiam effectivè, seu respectu nostri *vivificus*, qui nobis promissa ita præstat, ut sciamus eum veritatis & vitæ autorem esse. 2. DEUS est Servator *omnium hominum*, sicut dicitur in PSAL. 36. *Tu servas homines & jumentum*; generali suâ bonitate alens & sustentans omnes, Solem suum oriri faciens super Justum & injustum: Maximè verò & specialissimâ ratione Servator est Fidelium, qui ipsius promissionibus de felicitate in futura vita fidentes, humanis commentis & placitis, etiam in periculo persequutionis renunciant, & pietatis exercitia sectantur.

Vers. 11. *Hæc denuntia & doce.*

Repetit & amplificat hanc hortationem, ut Timotheus pro autoritate, utilem hanc doctrinam commendet fratribus docendam, & urgendam, & ut ipse sedulò eam inculcet, rogat.

Vers. 12. *Nemo tuam juventutem despiciat, sed esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, in charitate, in Spiritu, in fide, in puritate.*

Hortatio 3. Ut conservandæ autoritati studeat, inque hunc finem; Ne quis justam haberet causam despiciendi in eo juventam; jubet ut in doctrina & vita, in verbis & factis, se exemplar, & quasi loquentem regulam exhibeat, in quo eluceant charitas erga DEUM & proximum, Spiritualis affectus, fidelitas in officio, & castitas, seu puritas ab inquinamentis, quibus se polluere solent, qui carnalibus voluptatibus dediti sunt.

Vers. 13. *Interim dum venio, attende lectioni exhortationi doctrinæ.*

Hortatio 4. Ut munus docendi strenuè excolat & augeat: Partim assiduâ Scripturæ lectione, partim crebra concionandi exercitatione, potissimùm quandiu consistere posset uno in loco: & nominatim quandiu esset *Ephesi*: occasio enim istiusmodi, post Apostoli adventum, propter peregrinationes in Apostoli comitatu, non erat facilè speranda.

Vers. 14. *Ne negligito donum quod in te est: quod datum est tibi ad prophetandum cum impositione manuum presbyterii.*

Rationes hortationis, sæpius interim repetitæ, & inculcatæ, sunt quinque: 1. Quia sacrum illud munus Euangelistæ ad quod vocatus es, DEI est ex gratia donum, & ideo non negligendum.

Datum]

Datum] Ratio 2. Quia datùm est hoc tibi munus prædicandi Euangelium, per revelationem specialem Propheticam, quam DEUS injecit Prophetis, ut assumeretur Timotheus in ministerium Euangelii. Non ergo negligentiùs in eo versandum tibi est.

Impositione] Ratio 3. Quia etiam ab Ecclesia vocatus es ad hoc munus, per impositionem manuum, seu faustam precationem Presbyterii, *id est*, Collegii Presbyterorum. Inter quos præsidebat pro tempore ipse Paulus, nomine Presbyterii, & unà cum aliis Presbyteris, manus ei imponebat, ut ex comparatione 2 *Timoth.* 1 6. apparet. Per quam manuum impositionem significabant hominem DEO sacrum & dicatum: Ergo muneris adeo solenniter his modis demandati, executio non est tibi negligenda.

Vers. 15. *Hæc exerce, in his esto: ut tuus profectus manifestus sit inter omnes.*

Ratio 4. Quia Ministerium hoc ita curandum est, ut profectus tuus in doctrina, simul & vita, seu omnibus Ministerii partibus, evidenter appareat omnibus: Ergo seriò & non perfunctoriè ex deliberato consilio & meditatione adhibita, huic muneri incumbendum, & inhærendum est.

Vers. 16. *Attende tibiipsi & doctrinæ: persiste in istis, id enim si feceris, & teipsum servabis, & eos qui te audierint.*

Ratio 5. Quia sic & te & tuos auditores adduces ad salutem æternam, ut causa instrumentalis: Ergo in hoc tuo Ministerio, vitæ & doctrinæ tuæ constanter attendendum est.

Caput Quintum.

TImotheum hoc Capite instituit, quomodo in privatis admonitionibus erga omnes, & quomodo erga Viduas eleemosynarias, & Presbyteros, se gerere debeat. Capitis partes sunt tres: In prima agitur de privatis admonitionibus, ad versum 3. *In secunda de Viduis, ad* versum 17. *In tertia de Presbyteris, ad finem.*

Vers. 1. *SEniorem ne increpato, sed hortare ut Patrem; juniores, ut fratres:*

Quod

Quod ad primam præcepti partem attinet de pravitis admonitionibus, quatuor sunt ejus membra: 1. De natu grandioribus, quos leniter vult tractari, modestæ hortationis potius, quam acerbæ increpationis modo, ut honor ipsorum ætati, secundum quintum præceptum haberi perspiciatur: 2. Ut natu minores admoneantur, cum fraternæ dilectionis significatione.

Vers. 2. *Mulieres natu grandiores, ut Matres: juniores, ut sorores, cum omni puritate.*

Membrum 3. Ut fœminæ natu grandiores, cum honoris ætati ipsarum debiti significatione, admoneantur, ut sic gratior esset admonitio. 4. Ut fœminæ juniores, tanquam sorores admoneantur. Sed addit *cum omni castitate*, seu castitatis significatione, ne privatorum colloquiorum occasione, inter admonendum, Diabolus posset pudicitiæ vel famæ, sive admonentis Timothei, sive admonitæ fœminæ insidiari.

Secunda pars Capitis.

Vers. 3. *Viduas honora quæ verè viduæ sunt.*

Secunda pars Capitis, In qua septem præcepta dat, de viduis eleemosynariis, quæ publicis Ecclesiæ sumptibus alendæ erant.

Præceptum primum, Ut honoraret viduas veras, id est, publicis sumptibus Ecclesiæ alendas curaret, atque ita ipsarum æstimationi consuleret, ne ob inopiam destitutæ, despectui haberentur.

Vers. 4. *Quòd si qua vidua liberos aut nepotes habet, discant in primis in propriam domum pietatem exercere, & vicem rependere parentibus: hoc enim est honestum & acceptum coram Deo.*

Præceptum 2. Ne gravaret Ecclesiam alendo viduas illas, quæ à liberis vel nepotibus suis ali possent, sed curaret, ut liberi, & nepotes pietatis officio defungerentur, imprimis erga domesticos suos, matres vel avias suas alendo. Rationes præcepti sunt duæ: Prima, Quia sic vicem rependerent parentibus suis, qui liberos suos educarunt in eam spem, ut liberi (si opus esset) possent ἀντιπελαργεῖν, seu ciconiarum more parentes suos, ætate & viribus effætos, & re familiari destitutos, alere & fovere.

Hoc enim] Ratio 2. Quia hoc officium erga parentes præstitum, Deo est gratum, utpote ab ipso imperatum.

Vers. 5. *Porrò quæ verè vidua ac sola est, sperat in Deo, & permanet in supplicationibus & precibus nocte ac die.*

Præceptum 3.

Præceptum 3. Ut in Electione viduarum observet, ne vidua eligenda destituatur verè viduæ, seu viduæ Christianæ ab Ecclesia alendæ, proprietatibus; quarum hic enumerat quatuor: 1. Requiritur ut sola sit, id est, destituta liberis & nepotibus, & omni ope humana: 2. Ut sit fidelis, in Deum sperans, nullis artibus malis sibi victum comparare studens, sed à Deo pendens: 3. Ut dedita sit exercitiis pietatis assiduè.

Vers. 6. *At quæ in luxu vivit, ea vivens mortua est.*

4. Ne sit de numero lascivientium viduarum, quæ otio suo & voluptatibus tantùm student, de pietatis exercitiis securæ.

Mortuæ] Ratio hujus requisiti redditur, quia istæ inutiles mulierculæ sunt tanquam mortuæ dum vivunt, & respectu Dei, cui non serviunt, & respectu societatis humanæ, cui nihil ullà sua opera prodesse student.

Vers. 7. *Hæc igitur denuntiato, ut sint irreprehensæ.*

Claudit præceptum de urgendis proprietatibus verarum viduarum, ratione reddita à fine, ut omnes viduæ quæcunque demum sint, discant vitam agere inculpatam.

Vers. 8. *Quod si quis suis, & maximè domesticis non providet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.*

Præceptum 4. De judicio habendo in eos qui viduas matres vel avias suas alere recusant, sicut præcepto secundo hujus Capitis præscriptum est, nempe ut excommunicentur ab Ecclesia, & ut habeantur pro Christianæ doctrinæ desertoribus, pro Ethnicis seu infidelibus, donec resipuerint, quod est consequens excommunicationis.

Vers. 9. *Vidua eligatur non minor annis sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor;*

Præceptum 5. De observandis tribus aliis requisitis in admissione viduarum ad communem mensam, ut sustententur ex publicis sumptibus. Primum est, ut Vidua sit annorum sexaginta minimum, qua ætate defervere solent cupiditates carnis, & homines ad victum comparandum manuario aliquo exercitio impotentes sunt. 2. Ut univira fuerit, seu quæ Matrimonii leges non violaverit, ex quo spes sit pudicæ, & continentis fœminæ.

Vers. 10. *In operibus bonis idoneo testimonio ornata, si liberos educavit,*

educavit, si fuit hospitalis, si sanctorum pedes lavit, si afflictis subvenit, si omne bonum opus est assiduè sectata.

Requisitum 3. Ut testimonium habeat pietatis, factis & operibus declaratæ, potissimùm in his quinque, quæ serviendis pauperibus ægrotis idoneam demonstrent: Nempe, primò, Si liberos honestè educaverit: 2. Si hospitalitatem exercuerit: 3. Si ad infima officia charitatis, etiam in lavandis pedibus, ubi opus erat, se dimiserit, vel dimittere parata fuerit: 4 Si afflictis ex commiseratione subvenerit: Denique, si omne genus bonorum operum sectata fuerit.

Vers. 11. *Porrò juniores viduas recusa; postquam enim lascivire cœperint adversus Christum, nubere volunt:*

Præceptum 6. Ne admittant in collegium viduarum juniores viduas.

Postquam] Rationes reddit duas: Prima, Quia periculum est, ne saginatæ pane Ecclesiæ lascivire incipiant adversus CHRISTUM (sicut aliquæ juniores viduæ jam fecerant) & desperantes de connubio in Ecclesia, meditentur apostasiam à fide CHRISTI, & postea apertè deficiant, ut infideli alicui extra Ecclesiam nubant.

Vers. 12. ex eo *damnandæ quòd primam fidem rejecerint.*

Hujus generis aliquas apostatas viduas notare videtur, quarum conditionem miseram & damnabilem ostendit, ex eo quod fidei professionem in baptismo primùm editam rejecerint.

Vers. 13. *Simul autem etiam otiosæ, discunt circumire domos imò non solùm otiosæ, sed etiam nugaces & curiosæ, garrientes quæ non oportet.*

Ratio 2. Quia viduæ juniores, (ut experientia etiam tum comprobatum fuisse videtur) evadent otiosæ, vagæ, nugaces, curiosæ, loquaces, discursantes per alienas domos, in aliena negotia curiosè inquirentes, & garrientes quæ non oportet.

Vers. 14. *Velim igitur juniores nubere; liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare adversario ad maledicendum.*

Præceptum 7. vel concessio, Ut juniores viduæ nubant in Domino, potiùs quam Ecclesiæ sint oneri, & ut domestica officia curent, quæ decent uxores. *Nullam*] Rationes præcepti addit duas: Prima, Ne adversariis seu infidelibus ansam male loquendi de Euangelii professoribus, per suam inconstantiam & peccata alia præbeant.

Vers. 15. *Jam enim nonnullæ deflexerunt, sequutę Satanam.*

Ratio 2. Quia experientia jam compertum est aliquas juniores viduas à vera religione deflexisse, & in Satanæ castra extra Ecclesiæ pomœria ultro recessisse.

Vers. 16. *Quòd si quis fidelis aut si qua fidelis habet viduas, eis subvenito, & non onerator Ecclesia, ut iis quæ verè viduæ sunt subveniat:*

Inculcat præceptum secundum, de quo *vers.* 4. de alendis viduis à suis liberis vel nepotibus, additis duabus rationibus: 1. Ne gravetur Ecclesia non necessariis sumptibus: 2. Ne non sufficiant sumptus alendis veris viduis. Unde patet, quod si nullæ fuissent in Ecclesia sexagenariæ pauperes & probæ viduæ, non necesse fuisset ullas viduas alere; & per consequens ministerium fœminarum in diaconatu non esse necessarium, nisi per accidens cum publico sumptu alendæ sunt, ne planè sint inutiles.

Tertia pars Capitis.

Vers. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentor: maximè qui laborant in sermone & doctrina:*

Tertia pars Capitis de Presbyteris, de quibus præcepta dat quinque: Primum, Ut honorarium, seu stipendium cum honore conjunctum omnibus Presbyteris, qui pascendæ Ecclesiæ benè præsunt, honestè exhibeatur. Dicitur autem *Digni habentor*, Quia si fortè in aliquibus Ecclesiis, ut pauperioribus, facultates non suppetant, vel si Presbyteris quibusdam suas ob rationes visum fuerit Ecclesiæ gratis servire, in tali casu æquum est, ut *digni saltem habeantur duplici*, seu liberali stipendio, sive exigant, sive non.

Maximè] Horum Presbyterorum duos facit ordines: Alterum eorum qui laborant in sermone & doctrina, quales sunt Pastores & Doctores. Alterum eorum qui benè quidem præsunt, *i.* gubernandæ Ecclesiæ in vita & moribus incumbunt, & non laborant in sermone & doctrina, quales sunt Seniores qui Gubernatores vocantur, 1 *Cor.* 12. 28. *Rom* 12. 8. Utrumque genus Presbyterorum rectè suo munere fungentium honore insigni dignos haberi vult, sed maximè seu potissimùm laborantes in sermone & doctrina, quia illi toti segregantur ad sermonem & precationem. Idcirco ut illi liberaliter sustententur, æquum est. Vocat autem *stipendium*

pendium ipsis datum *honoris* nomine, quia tanti momenti labor non potest pretio ullo æstimari: Et quia quod datur stipendium, non mercedis, sed honorarii nomine dandum est.

Vers. 18. *Dicit enim Scriptura, Bovi trituranti non obligabis os. Et, Dignus est operarius mercede sua.*

Rationes præcepti dat duas: 1. Est ex *Deuter.* 25. 4. Ubi ex allegoria bovis triturantis, & pedibus triticum excutientis jubet Deus ali Pastores Ecclesiæ: à minori ad majus, argumentatione facta.

Dignus] Altera ratio ex *Levit.* 9. vel *Luc.* 18. 7. Ubi ex præcepto de mercede debita reddenda mercenario, colligitur à minori ad majus, honos multo magis rependendus ei, qui non est mercenarius, sed Pater, & Pastor laboriosus.

Vers. 19. *Adversus presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

Præceptum 2. Ne accusatio admittatur, seu pro vera recipiatur adversus Presbyterum, nisi ex Testimonio trium, aut saltem duorum testium fide dignorum, confirmetur: quod autem hic dicitur uni Timotheo, dicitur omnibus in Presbyterio sedentibus, quia alibi, toti Presbyterio Judicium commendatum est, imo vero quod hic Timotheo dicitur, toti Presbyterio Ephesino dicitur, de administranda tota Ecclesiæ disciplina, *Act.* 20. 28. Potuit interim Timotheus Euangelista extraordinariam potestatem exercere, quâ Euangelista & Legatus Apostoli.

Vers. 20 *Eos qui peccant, coram omnibus argue, ut & reliqui timeant.*

Præceptum 3. de scandalis vitandis, Si palam peccaverint Presbyteri, vel quivis alii in Ecclesia, ut publicè arguantur & reprehendantur. Ratio redditur, Ut reliqui timeant eorum exemplo moniti, caveantque sibi ne peccent.

Vers. 21. *Obtestor in conspectu Dei, & Domini Iesu Christi, & electorum angelorum ut hæc serves absque eo ut unum alteri præferas, nihil faciens in alteram partem declinando.*

Præceptum 4 In quo (quasi per Epiphonema) gravissimè Timotheum, & in eo omnes Ecclesiasticos Judices obtestatur, ne quid in censuris vel rebus Ecclesiasticis studio partium ab iis fiat, vel in hisce præceptis ex aliqua Prosopolepsia, quicquam immutetur.

Vers. 22. *Manus cito ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis: temetipsum purum serva.*

Præceptum 5. Ne temerè quenquam ad sacrum ministerium recipiat, aut sine maturo consilio, & prævia examinatone habita cuiquam manus imponat, quod erat ordinationis signum. Rationes addit duas.

Neque] Prima, Ne si ineptum ordinaret, hoc ipso communicaret illius peccatis, & pœnis per consequens.

Temetipsum] Ratio 2. Quia in omni re castum te purumque ab inquinamentis conservare debes. Et propterea etiam ab ordinatione indigni. Si fortè aliquando reliqui Presbyteri statuerint admittendum ad ministerium ineptum aliquem, aut non comprobatum, ut te purum conserves, nec consentias, sed studeas omni modo castitatem & puritatem ita conservare ut ab affinitate *omnis* peccati absis, quam poteris longissimè, & in hoc, & in *omni* alio negotio. Hujus præcepti partes explicat duobus proxi, mè sequentibus versiculis, sensum posterioris partis de puritate servanda *vers.* 23. & prioris partis sensum ostendendo, *vers.* 24.

Vers 23. *Ne amplius esto abstemius: sed vino pauculo utere, propter stomachum tuum & crebras tuas infirmitates.*

Quod ad posteriorem partem, depuritate servanda, attinet: Quia Apostolus noverat Timotheum præ puritatis, seu castitatis studio, valetudinem suam jam læsisse: idcirco obiter admonet, ne sic Præceptum de conservandâ puritate accipiat, ut valetudinem suam negligat, seque ad officia vocationis ineptum reddat, sed prudentiâ utatur sanctâ, & in frænando corpore per aquæ bibitionem modum servet, & pauculo vino quasi pro medicina, & necessitate valetudinis utatur, ne si pergeret debilitato jam stomacho & infirmitatibus crebris laboranti corpori suo non parcere, statim rueret corpusculi ipsius tabernaculum, atque ita utili instrumento defraudaretur Ecclesia.

Vers. 24. *Quorundam hominum peccata antè manifesta sunt, præeuntia damnationi: quosdam vero subsequuntur:*

Quod ad sensum prioris partis præcepti attinet, ne communicaret peccatis alienis, ostendit se loqui de peccatis manifestis, quæ cognosci & caveri possunt, non de occultis quæ observari non possunt, quod autem cavere possit, ne alienis peccatis communicet, & ne tenere manus alicui imponat ostendit ex eo, quod adhibita examinatione, manifesta peccata cujusvis indigni dignosci possint: sicut etiam manifestæ virtutes idonei viri qui

ri qui ad Ministerium Euangelii admittatur. Nam aliquorum candidatorum Ministerii, peccata adeo manifesta sunt, ut Examen & Judicium Ecclesiæ autevertant, ita ut facilè rejici possint: Priusquam enim Judicium Ecclesiasticum de iis statui possit, parata est materia in manifestis ipsorum peccatis ad damnationem ipsorum, seu rejectionem à Ministerio ex sententia Senatus Ecclesiastici: aliorum verò peccata præmissò examine & judicio Ecclesiastico de iis habito, in lucem educuntur.

Vers. 25. *Itidem & bona opera ante manifesta sunt; & ea quæ secus habent, occultari non possunt.*

Similiter & quorundam candidatorum Ministerii virtutes, & opera bona adeò nota sunt, ut facilè sit Ecclesiæ de illis judicare quod admittendi sint. Quorum vero opera secùs se habent, vel examine habito & inquisitione facta non patefiunt, vel adeo sunt occulta, ut sciri non possint ab hominibus, relinquenda sunt DEO, nec possunt tamen diu latere, quin suo tempore in lucem proferantur, ut si Ecclesia cavere non posset, quin admittantur hypocritæ isti ad Ministerium, curare tamen poterit ubi jam manifesti facti sint, ut pro ratione disciplinæ Ecclesiasticæ tractentur.

Caput Sextum.

HOC *Capite Præcepta dat Timotheo septem, quibus instituatur in doctrina de officiis privatorum, & de officiis Ministrorum, quomodo & erga Populum, & erga Presbyteros se gerere debeat.*

Vers. 1. *QUicunque sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto, ne nomen DEI & doctrina blasphemetur.*

Primum præceptum de instituendis servis Christianis, qui conditione sunt servi, & alieno jugo subditi, est, Ut suos Dominos, etiam infideles, omni honore dignos æstiment, quibus ipsi serviant, tanquam in altiori gradu ex DEI providentia collocatis.

Ne Dei] Ratio præcepti est, Ne si secùs fecerint, malè audiat Euangelium,

angelium, & conviciis incessatur ab infidelibus, servorum Christianorum imnorigerorum vitio.

Vers. 2 *Qui verò fideles habent Dominos, ne* eos *despiciant quòd fratres sint: sed potius inserviant, quòd fideles sint ac dilecti, ut qui sint beneficii Dei participes. Hæc doce & exhortare.*

Sin vero fideles sint Domini, retorquet quod objicere parati erant servi; & quia fraternitas Christianorum non tollit diversitatem conditionum in politia, vetat ne servi Dominos suos eo nomine, quasi pares in CHRISTO, contemnant, jubetque ut tantò promptiùs iis serviant, propterea, quod, Domini ipsorum fide præditi, & DEO dilecti essent, & hanc ob causam tantò magis digni, qui servitii ipsorum fructum perciperent; hæc ut ipse Timotheus doceat, & alios Pastores hortetur ad idem docendum, præcipit.

Vers. 3. *Siquis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ,*

Præceptum 2. De vitandis perversis doctoribus, id est, à Ministerio vel arcendis, vel ejiciendis, vel ab Ecclesia excommunicandis: quales multi erant tum temporis ἑτεροδιδασκαλοι, qui vel à veritate Apostolica in sermonum materia, vel à simplicitate Apostolica, in ratione docendi discedebant, docentes vel alia, vel aliter, quam Apostoli; in simplicitate Christianæ pietatis non acquiescentes: à quorum studiis & moribus, tanquam causis meritoriis hujus castigationis, Rationes sex affert.

Non accedit] Ratio prima, Obstinati sunt, qui se non subjiciunt sanis CHRISTI sermonibus, seu doctrinæ sanæ, quæ in materia & modo docendi est secundùm pietatem.

Vers. 4. *Is turget, nihil sciens sed insaniens circa quæstiones ac verborum pugnas: ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ,*

Ratio 2. Quia superbi sunt & inflati vanâ opinione scientiæ suæ, cum nihil solidè sciant in mysterio Euangelii.

Insaniens] Ratio 3. Quia adeo sunt eristico ingenio, ut insaniant circa ineptas quæstiones & λογομαχιας.

Ex quibus] Ratio 4. Quia suis cavillationibus invidiam, contentionem, maledicentiam, & suspiciones pravas excitant.

Vers.

Vers. 5. *Perversæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati sunt veritate, & quæstui habent pietatem, secede ab iis qui ejusmodi sunt.*

Ratio 5. Quia suis perversis exercitationibus produnt se perversa esse & corrupta mente, destitutos veritate, & studiosiores quæstus quam pietatis, imo eos qui pietatem quæstu vendunt. Unde infert censuram secessionis ab iis, quod consequens est excommunicationis.

Ver. 6. *Est autem quæstus magnus, pietas cum animo sua sorte contento,*

Præceptum 3. De sectanda pietate, tanquam quæstu maximo & vitanda avaritia.

Rationes præcepti sunt octo: Ratio prima, Quia pietas est ejusmodi quæstus, qui sibi quasi sufficiens, animum in omni conditione contentum reddit, vel quæstus est qui secum affert sufficientiam veram.

Vers. 7. *Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus.*

Ratio 2. Quia divitiæ in hac vita tantùm, & non post mortem usum habent: Idcirco non inhiandum opibus.

Vers. 8. *Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.*

Ratio 3. Quia divitiis etiam in hac vita carere possumus, & victu & amictu quali quali contenti esse debemus.

Vers. 9, *Qui autem volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & interitum.*

Ratio 4. Quia qui divitiis congerendis maximè intenti sunt & destinato consilio iis inhiant, peccatis maximis, animi cruciatibus, amentiæ, & miseriæ in hoc mundo, & perditioni æternæ, proximi sunt.

Vers. 10. *Siquidem radix omnium malorum est amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & seipsos transfixerunt doloribus multis.*

Ratio 5. Quia amor pecuniæ est radix omnium malorum, ut impietatis, mendaciorum, perjurii, crudelitatis, &c.

Quam quidam] Ratio 6. Ab experientia aliquorum, qui pecuniæ aviditate defecerunt à religione Christiana, & se miserrimos reddiderunt.

Vers. 11

Vers. 11. *Tu vero, homo Dei, ista fuge: sectare autem justitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem.*

Ratio 7. cum applicatione speciali, Quia indignum est hoc vitium Ministro, qui est *homo Dei*, & ad DEI negotia cœlestia separatus, qui idcirco debet fugere avaritiam & mundanas cupiditates.

Sectare] Ratio 8. Quia decet DEI hominem, seu Ministrum Euangelii divitias virtutum affectare, & ex his alias aliis cumulare, quales enumerat sex.

Vers. 12. *Decerta præclarum certamen fidei: apprehende vitam æternam, cujus causa & vocatus es, & professus præclaram pro(fessionem coram multis testibus.*

Præceptum 4. Ut omnibus legitimis mediis adhibitis, pro Euangelio propagando, & veritate doctrinæ defendenda, fortiter & constanter contra omnes adversarios & impedimenta quæcunque decertet.

Præclarum] Rationes hortationis, seu præcepti sunt quatuor: 1. Quia hoc certamen bonum, laudabile & utile est.

Vitam] Ratio 2. Quia sic vitam æternam apprehensurus es.

Ad quam] Ratio 3. Quia ad defensionem Euangelii, & participationem vitæ, seu fidei, vocatus es. *Professus*] Ratio 4. Jam præclaram fidei confessionem coram multis testibus edidisti: Perge ergo præclarum illud certamen fidei decertare.

Vers. 13. *Denuntio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Jesu Christo, qui testatam fecit coram Pontio Pilato bonam illam professionem:*

Vers. 14 *Ut serves hæc mandata, maculæ & culpæ omnis expers, usque ad illustrem illum adventum Domini nostri Jesu Christi.*

Præceptum 5. Cum gravissimâ & vehementissimâ obtestatione coram DEO & CHRISTO Mediatore, ut Timotheus, & omnes post eum Pastores, aliique omnes quibus Ecclesiæ cura incumbet, quos in ejus persona alloquitur, usque ad CHRISTI adventum, hæc mandata illibata conservent, seu ut munus sibi commissum ita exequantur, & has de Ecclesia regenda regulas fideliter observent, ut in doctrina & moribus inculpati, & irreprehensibiles comperiantur; & quia difficile erat id ad quod hortatur opus, Argumenta obtestationis, seu præcepti addit sex, quæ omnia probant superiora mandata summâ fide servanda.

Vivificat]

Vivificat] Argumentum primum, Et ad sustinendam infirmitatem tuam, & ad te contra pericula ab hostibus tuis defendendum, satis est subsidii in DEO vivificante omnia : Ergo nihil obstat quominus fideliter observes hæc omnia.

Coram] Arg. 2. CHRISTUS exemplo suo tibi præivit, qui doctrinam suam fideliter exposuit in salutem Ecclesiæ, & tandem eam coram tribunali Pilati assertam, obeundo mortem voluntariam obsignavit : Ergo similiter tibi & Ecclesiæ Ministris observanda sunt superiora mandata.

Adventum] Arg. 3. CHRISTUS venturus est Judex viventium & mortuorum, ut unicuique secundùm opera retribuat. Fideliter ergo observanda superiora mandata omnia.

Vers. 15. *Quem temporibus suis ostendet ille beatus, & solus Princeps, Rex regum, & Dominus dominorum* :

Commoratur in hoc proximo argumento, & ne quis festinaret, aut moram adventus CHRISTI ægrius ferret, ostendit eum constituto & maxime idoneo tempore venturum.

Beatus] Arg 4. *Christus*, seu *Deus Pater*, *Filius*, & *Spiritus* sanctus, cujus Ministerium agitur, solus est in se beatus, & potens, qui suos beare, & hostes perdere potest, ita ut omnium regum amicitiæ vel inimicitiæ ad ejus gratiam aut iram comparatæ, nihil sint; quia omnes Reges & Imperatores imperium mutuantur ab eo, pendent & reguntur ab eo, ejusque nutu stant vel cadunt : Ergo hæc ipsius mandata observanda sunt.

Vers. 16. *Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest : cui honor & robur in æternum. Amen*.

Solus] Arg. 5. Quia vita æterna est in CHRISTI manu, qui unus est cum PATRE & SPIRITU Sancto DEUS, quippe qui solus à se immortalis est, & solus immortalitatem habet in sua potestate, ut communicet quibus vult : Ergo superiora mandata fideliter servanda sunt.

Quem vidit] Arg. 6. Etiamsi rationes mandatorum ipsius nobis non constarent, ad obedientiam & fidem nostram tamen sufficit scire, quod in se DEUS sit inaccessa lux, & secreta majestas, essentiam suam propriam ac peculiarem habens, quam capere non potest noster intellectus, nec beatificâ visione in hac vita mortali cernere : Ergo ejus voluntatem adorare, observare, & la-

 dare

dare potius quam in eam scrutari nos decet, ipsi sit honor & potentia in æternum.

Vers. 17. *Iis qui divites sunt in hoc seculo, denuntia ne efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis, sed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum*:

Præceptum 6. De admonendis ditioribus de officio suo duplici: Primum est, ut quod ad interiorem hominem attinet, ne animo elati propter divitias, præ se contemnant pauperes, neque opibus suis sed Deo viventi confidant. Hujus officii rationes reddit tres: 1. Quia divitiæ incertæ sunt: 2. Quia non opulentia, sed Deus vitæ Autor est iis, qui in eum sperant: 3. Quia Deus dat & aufert pro arbitrio suo divitias, & reliqua omnia.

Vers. 18. *Ut aliis benefaciant, ut divites sint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facilis convictus*:

Alterum officium divitum, ut quod ad externa opera attinet, beneficentiam erga egenos exerceant, adeoque generatim bonis operibus abundare studeant, faciles ad usum suarum facultatum cum aliis communicandum.

Vers. 19. *Recondentes sibiipsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant æternam vitam*.

Argumentum ad officium est, mercedis gratuitæ promissio, quia largiendo de bonis instabilibus, thesaurum durabilem & solidum reposituri sunt sibi in cœlo, & incedendo in via bonorum operum vitam æternam apprehensuri.

Vers. 20. *Timothee, depositum serva, & aversare profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falso nominatæ scientiæ*:

Præceptum 7. & ultimum: Quo seriò commendat Timotheo doctrinam Euangelii hactenus traditam, ut eam velut depositum quoddam ejus fidei commissum, fideliter custodiat, & ut profanas Sophistarum declamationes & rixas de rebus Divinis compescat, Rationes reddit tres: 1. Quia doctrinæ veritas est pretiosa instar thesauri: 2. Quia rixosæ disputationes vanæ sunt, & indignæ nomine Philosophiæ vel Scientiæ.

Vers. 21. *Quam nonnulli præ se ferentes, circa fidem aberrarunt à scopo, Gratia sit tecum. Amen*.

Ratio 3

Ratio 3. Quia experientia compertum est nonnullos professores scientiarum Philosophicarum, dum veritatis & simplicitatis Euangelii pertæsi ostentarent suam peritiam, aberrasse à scopo Euangelii, imò defeciſſe à fide. Tandem Apostolico voto Epistolam concludit, optans Timotheo CHRISTI gratiam, absque qua nullum spirituale opus inchoari vel perfici, nulla tentatio Diaboli vel mundi superari potest.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ SECUNDÆ, AD* TIMOTHEVM.

Summarium.

IDem hujus Epistolæ scopus qui prioris, non solùm ut instruatur & confirmetur Timotheus in prædicatione Euangelii, sed etiam ut in ejus personâ Pastores omnes discant, quomodo Euangelii Ministerio ritè defungi debeant. In quem finem, confirmatâ sua erga Timotheum voluntate, admonitiones subjicit quatuor. Capite primo, *& totidem* Capite secundo. *Deinde confirmat, & consolatur Timotheum adversus falsos fratres, & adversus afflictiones, quæ ipsi in defensione Euangelii tolerandæ erant,* Capite tertio. *Denique condito quasi testamento gravissimè obtestatur, ut muneris sui partes fideliter exequatur, variis in hunc finem propositis rationibus.* Capite quarto.

Caput Primum.

POst præfationem, quæ tota ad persuadendum Timotheo de Apostoli in eum optima voluntate comparata est, vers. 6. *Subjicit quatuor admonitiones, quibus ad fidelem Ministerii ipsius executionem animetur.*

Vers. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem DEI, secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu.*

Ut doctrinæ huic suæ constaret apud omnes autoritas, Apostolus Epistolæ suæ præmittit nomen suum, officium, vocationem, & autoritatem sibi datam à DEO immediate: & denique summam doctrinæ Euangelii quam prædicabat, quæ est, *promissio vitæ æternæ, credentibus in Iesum Christum secundum promissiones Prophetarum, in veteri Scriptura.*

Vers. 2. *Timotheo dilecto filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro.*

Ut Timotheum ad quem scribit Paulus omnibus Ecclesiis commendaret, Vocat eum dilectum filium suum potissimùm, quia doctrinam quam à Paulo didicerat, fideliter instar Pauli prædicabat, Paulumque ut patrem in tota conversatione sua referebat; ideoque à Paulo diligebatur, & in æstimatione habebatur ut filius, cui omnia optima à DEO optat sicut in superiori Epistola.

Vers. 3. *Gratiam habeo Deo, cui servio à majoribus cum pura conscientia, ut assiduam tui memoriam teneo in precibus meis nocte ac die;*

Aliis tribus argumentis persuadere nititur Timotheo de suo in eum affectu.

Memoriam] Argumentum primum, Quia assiduam recolit Timothei memoriam in precibus suis. *Gratiam*] Arg. 2. Quia meminisse Timothei æstimat pro beneficio sibiipsi à DEO dato, pro quo DEO agendas gratias agnoscit, & gratias agit: beneficium enim eximium est, & solis Sanctis datum, diligere Sanctos, seu quos DEUS diligit. Hæc duo argumenta explicat & confirmat ex eo, quod sincero & non fucato animo, & precetur pro Timotheo, & gratias DEO agat pro eo: sinceritatem autem probat ex eo, quod non tantùm in tota anteacta vita sua, semper studuerit conscientiam inviolatam conservare, ne quid ea reluctante faceret, sed etiam quod post conversionem suam ad fidem, in pura conscientia, id est, illuminata à SPIRITU Sancto, & sanguine CHRISTI purgata, studuerit servire DEO vero, DEO Israelis, seu Abrahami, Isaaci, Iacobi, reliquorumque fidelium majorum suorum DEO: nam qui CHRISTUM colit sincerâ mente, etiam Sanctum Israelis colit; PATREM, & SPIRITUM Sanctum colit, Triunum verum

verum DEUM colit, & eandem veram religionem cum omnibus Sanctis Patribus tenet.

Vers. 4. *Desiderans te videre, memor tuarum lacrhymarum, ut gaudeo replear:*

Arg. 3. Quod desiderio Timotheum videndi coram teneretur, ut ejus consortio frui posset. Hoc argumentum illustrat à tribus causis desiderii sui: quarum prima est memoria lachrymarum Timothei, seu tenerrimi ejus affectus, cum erga DEUM, tum erga se propter DEUM, à quo discedente Timotheus non potuit divelli, nisi cum lachrymis: altera erat spes gaudii non mediocris obtinendi ex ejus aspectu.

Vers. 5. *Revocans in memoriam meam quę in te est, non simulatam fidem, quę habitavit priùs in avia tua Loide, & matre tua Eunica: persuasus sum autem quod in te quoque.*

Causa 3. Desiderii, erat memoria sinceræ fidei ipsius, qualis erat in ipsius avia & matre, quæ in fide Mediatoris obierunt (utrum prius quam revelatus est iis CHRISTUS, DEUS in carne manifestatus, incertum est, sed in CHRISTUM venturum secundùm promissiones credidisse eas, certum est) in qua spe Timotheus à puero educatus erat per matrem, & in Scripturis ab ea institutus.

Vers. 6. *Quam ob causam suggero tibi, ut exuscites donum Dei quod est in te per impositionem manuum mearum.*

Post præfationem sequuntur admonitiones quatuor. Prima est, tanquam consectarium, ex superioribus illata, ut igniculos facultatis Euangelii prædicandi, & donorum in eum collatorum, in hunc finem, per preces Ecclesiæ, quando nomine Presbyterii Paulus eum in prædicatorem ordinabat, jam excitaret in se, & vim donorum sibi concessorum fortiter, & prudenter in Ministerii sui executione explicaret, contra omnia impedimenta, quæ caro, mundus, & DIABOLUS opponerent.

Vers. 7. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, & charitatis, & sanitatis animi.*

Admonitionis rationes sunt duæ: 1. Quia Spiritus timiditatis (per quem quis non audet dicere & facere id quod debet, & quod dicturus vel facturus esset in Ministerio suo, nisi timor subesset) non est à DEO, nec decet Ministrum DEI.

Roboris] Ratio 2. Quia Spiritus donum, quod DEUS suis genuinis Ministris

Ministris dat, est, 1. Spiritus potentiæ & efficaciæ, qui omni altitudini adversum CHRISTUM insurgenti, audeat, & valeat sese opponere, & 2. Spiritus charitatis, qui zelo non abripiatur à verâ dilectione hominum, & 3. Spiritus sanitatis animi, qui nec præpostero zelo, nec charitate stolida seu carnali transversum rapiatur à sanæ doctrinæ veritate, sed qui animum sanum in doctrina fidei, & cor charitate refertum reddat, & zelum rerum pro CHRISTO fortiter gerendarum in corde accendat, & omnia hæc dona suâ conjunctione sacrâ, inter se colligata contineat.

Vers. 8. *Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri, neque te pudeat mei, qui sum captivus ipsius: sed esto particeps afflictionum Euangelii ex potentia Dei:*

Admonitio 2. Ut Timotheus nec erubescat simplicitatem veritatis Euangelii, nec crucem CHRISTI in servo suo Paulo, sed cruci & afflictionibus pro CHRISTO ferendis se accingat, & ferentibus crucem se associet.

Ex potentia Dei] Rationes admonitionis sunt octo: 1. Quia si quid sit ferendum supra vires nostras pro CHRISTO, *Dei potentia* aderit adjutrix & liberatrix, cujus virtute freti, & auxilio fulti audere, & eniti supra vires nostras tenemur.

Vers. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data quidem est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia:*

Ratio 2. confirmans priorem, Quia salutem æternam concessit nobis DEUS & sanctâ vocatione separavit nos à mundo in hunc ipsum finem, ut CHRISTUM confiteamur. Ergo erubescere ob ejus testimonium aut crucem non debemus.

Non ex] Ratio 3. Quia DEUS gratis hæc omnia facit, non respiciens opera nostra, sed gratiam suam & gratuitum propositum suum, Ergo non æquum est ut nos pudeat testimonii CHRISTI, aut crucis, seu afflictionum pro eo.

Ante] Ratio 4. confirmans priorem, Gratia data est nobis in CHRISTO, ante tempora secularia, antequam nos vel nostra opera existere possent, id est, antequam tempora fluere inciperent: Ergo non æquum est ut nos pudeat testimonii vel crucis CHRISTI. Dicitur *in Christo gratia nobis data*, quia licet nos nondum existeremus, CHRISTUS tamen

men designatus Mediator, secunda persona Trinitatis, ab æterno subsistebat, qui pro nobis in fœdere redemptionis ante tempora secularia cum Patre iuito, pro electis suis pactus est illud quod postea in tempore persolvit pretium redemptionis, & nostro nomine accepit assignatam nobis gratiam, per quam in tempore nos vocaremur, justificaremur, & singuli salvaremur gratis, temporibus idoneis.

Vers. 10. *Sed patefacta nunc est per illustrem illum adventum Servatoris nostri Iesu Christi, qui & mortem abolevit, & vitam in lucem produxit ac immortalitatem, per Euangelium* :

Ratio 5. Thesin probans, & simul etiam beneficia omnia nobis data ostendens esse gratuita, Quia mortis abolitio, vita, & immortalitas, & reliqua quæ salutem spectant, incognita erant nobis, donec à CHRISTO sunt revelata, in lucem producta, acta, & peracta omnia. Ergo vel ob gratiam hanc nobis factam, erubescere non decet nos ob Euangelium ejus.

Vers. 11. *Cujus constitutus sum ego Præco & Apostolus, ac Doctor Gentium*.

Ratio 6. DEUS tanti æstimat Testimonium Euangelii, ut ad ipsum toti orbi, & Gentibus speciatim annunciandum, constituerit Paulum Apostolum. Ne ergo pudeat Timotheum, vel quenquam alium Euangelii hujus, vel Pauli Ministri ejus, licet afflicti pro Testimonio Euangelii.

Vers. 12. *Quam ob causam & hæc patior: neque erubesco, novi enim cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum, meum in illum diem servare*.

Ratio 7. ab exemplo Apostoli, Ego ipse patior vincula pro Euangelio, nec pudefo tamen: Ergo similiter decet fortem esse Timotheum, nec pudefieri in causa Euangelii.

Novi] Ratio 8. Etiam ab exemplo Pauli, confirmans priorem. Ego Paulus, animam pariter & corpus, DEO fideli & potenti commisi, ut servet mihi depositum hoc in diem Judicii: & persuasum habeo me ab eo servatum iri: Ergo neque pudefieri debeo ego, neque tu Timothee, quæcunque nobis acciderint, propter Testimonium Euangelii.

Vers. 13. *Exemplar teneto sanorum sermonum, quos à me audisti cum fide & charitate quæ est in Christo Iesu.*

Admonitio 3. Ut retineat & sequatur eam rationem docendi, (& quoàd dogmata, & quoàd docendi modum,) quam à Paulo didicerat, & eam quam proximè posset ad vivum exprimeret, addit *in fide & charitate quæ est in Christo*, ut summam doctrinæ ostendat, quæ tota ad fidem & charitatem, ex CHRISTI cognitione profluentem, revocari potest.

Vers. 14. *Præclarum depositum serva, per Spiritum sanctum qui inhabitat in nobis.*

Admonitio 4. Generalior, ut Ministerium & dona Spiritus, & integritatem doctrinæ Christianæ fideliter conservet, ne inertia sua, vel timiditate quicquam de ea periret, sed adversùs insidias, & vim hostium Euangelii conservaretur.

Argumenta hortationis sunt quinque, Quæ omnia probant formam sanæ doctrinæ tenendam esse: Argumentum primum, Forma hæc, depositum illud est, quod DEUS tuæ fidei commisit, aliquando rationem depositi à te exacturus. Tenenda est ergo.

Præclarum] Arg. 2. Præclarum hoc depositum sanæ doctrinæ omnibus rebus mundanis, & ipsa etiam vita hac mortali excellentius est: Tenenda est ergo hæc doctrinæ forma.

Per Spiritum] Arg. 3. Etiamsi vires propriæ in defensione doctrinæ, te deficerent, paratum tamen erit tibi auxilium SPIRITUS DEI habitantis in te, sincero ipsius servo, si ejus auxilium imploraveris: Tenenda ergo hæc sanæ doctrinæ forma.

Vers. 15. *Nosti, hoc aversatos me fuisse omnes qui sunt in Asia: ex quibus est Phygellus & Hermogenes.*

Arg. 4. Ex altera parte paratæ sunt tentationes, quibus incautus abripi posses ab Euangelii defensione & professione, sicut in exemplo fratrum Asianorum didicisti, nominatim Phygelli & Hermogenis; quorum exemplo monitum te, & omnes reliquos Euangelii Ministros, vigilare oportet. Ergo.

Vers. 16. *Præstet misericordiam Dominus Onesiphori familiæ, quoniam sæpe me recreavit, & catenam meam non erubuit.*

Arg. 5. Ex altera parte in te & fidelibus aliis, adeo prævalet DEI SPIRITUS & gratia, ad constantiam, in probationibus, ut si vigiletis, non sit quod metuatis, ne sanam doctrinam amittatis: Sanæ igitur doctrinæ formulæ retinendæ invigilandum est.

Vers. 17.

Vers. 17. *Imò quum esset Romæ, studiosissimè quæsivit me, & invenit.*

Vers. 18. *Det ei Dominus ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo: quàm multa etiam Ephesi subministrarit, tu optimè nosti.*

Hoc argumentum proponit & confirmat in exemplo Onesiphori, qui, inquit, fortiter professus est fidem, neque erubuit vincula mea, nec metuit sua, sed Ephesi, & Romæ eundem se præstitit in professione Euangelii; pro quo DEUM oro, ut misericordiam inveniat, & ipse, & tota ejus familia in die DOMINI: Hujus exemplo animari vult Timotheum, & omnes Pastores ad Constantiam in Fidei professione, & conservatione præclari illius depositi, & Euangelicæ doctrinæ defensione: id quod etiam hinc deducit Apostolus initio sequentis Capitis.

Caput Secundum.

HOC Capite proposito aliis quatuor admonitionibus, pergit Timotheum ad ministerium rectè obeundum instruere.

Vers. 1. *TU igitur, fili mei, corroborare per gratiam quæ est in Christo Iesu:*

Admonitio prima, Ut studeat propagando Euangelio, non solùm per se, sed etiam per alios qui successuri erant in Ministerio, nihili faciens labores ullos, qui ad hoc præstandum requirebantur. Admonitionis hujus tria sunt membra. Primum, Ut ad opus Ministerii armet se robore, induat animi fortitudinem, & accingat se subinde ad res præclarè gerendas, Argumenta subinnuit duo.

Fili] Arg. 1. Quia filium Pauli decet robur induere, & fortem esse.

Per gratiam] Arg. 2. Quia gratia quæ est in CHRISTO IESU solo, non est tibi accingenti te ipsum ad opus, defutura.

Vers. 2. *Et quæ audisti à me inter multos testes, hæc commitite fidelibus hominibus, qui sunt idonei ad alios quoque docendos.*

Membrum 2. Ut non tantùm pro concione doceat populum, sed etiam ut

am ut scholasticè instituat candidatos Theologiæ, seu ut ad sacri ministerii functionem designatos instruat, doctrinam Apostolicam eis patefaciendo, & committendo, tanquam fidis depositariis, qui eandem doctrinam alios etiam docere possent, ut sic Euangelii doctrina de manu in manum traderetur & propagaretur. Argumentum addit ab exemplo suo, qui Timotheum, & multos alios ejus condiscipulos in hac doctrina instituerat non tantùm unà cum populo publicè eos docendo, sed etiam secrsim à populo scholasticè instruendo.

Vers. 3 *Tu igitur feras laborem, ut bonus miles Iesu Christi.*

Membrum 3. Ut neque laborem qui ad duplex hoc opus requirebatur, neque afflictiones seu persecutiones quæ hunc laborem sequuntur, metuat seu refugiat, sed fortiter excipiat & toleret.

Ut miles] Argumenta admonitionis seu hortationis sunt undecim, quæ omnia probant fortiter militandum in Ministerio Euangelii.

Argumentum primum, Quia miles es IESU CHRISTI, cui te ut imperatori quasi militari sacramento obstrinxisti, decet autem militem Christianum ad exemplum CHRISTI cum adversariis *non ferociâ certare*, sed patienter cruci assuescendo, & in opere suo peragendo contra difficultates luctantem pergere: Ergo tibi fortiter militandum est in Euangelii Ministerio.

Vers. 4. *Nemo qui militat implicatur vitæ negotiis ut ei placeat, à quo delectus est miles.*

Arg. 2. in comparatione propositum, Quia aliter non poteris imperatori tuo CHRISTO placere, nisi posthabitis omnibus tuis negotiis quæ possent te avocare à CHRISTI negotiis, te totum CHRISTI servitio addicas: Ergo fortiter tibi militandum est.

Vers. 5. *Quòd si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitimè certaverit.*

Arg. 3. In comparatione ludorum, & certaminum inter Ethnicos nobilium propositum, Quia non poteris coronari, si primo conflictu fatigatus ex campo te ad quietem subduxeris, sed oportet te legitimè certare, & prosequi certamen, quousque lex præscribit, id est, perseverare quandiu vivis in hac militia Christiana, ut tandem victor coroneris: Ergo fortiter tibi militandum est.

Vers. 6. *Agricolam oportet prius laborando fructus percipere,*

Arg. 4.

Arg 4. In similitudine etiam ut priora propositum, Quia, ut priùs labores, necesse est, si fructus percipere velis, quos ut Agricola haud dubio percepturus es, si strenuè labori tuo incubueris. Ergo.

Vers. 7. *Considera quæ dico; det igitur tibi Dominus intelligentiam in omnibus.*

Ut plus colligat seu concipiat Timotheus ex his similitudinibus quam facile describi, vel poterat, vel explicare opus erat, colligendas relinquit Timotheo similitudinum harum apodoses, & insuper orat DEUM, ut aperiat ei oculos ad videndum quæ hinc, & aliunde, edisci poterant de ipsius officio præstando documenta: nam infirmiores erant hæ comparationes, quam ut ad militiæ Christianæ præstantiam, & laborum in Ministerio mercedem satis ostendendam, sufficerent.

Vers. 8. *Memento Iesum Christum resurrexisse ex mortuis*, factum *ex semine David, secundùm Euangelium meum*:

Arg. 5. Quia CHRISTUS Imperator & Dux exercitus omnem adversam potestatem, & ipsam etiam mortem pertulit, & superavit virtute deitatis suæ, pro nobis resurgens à mortuis, in eadem carne, quam ex semine Davidis factam assumpserat, prout ego prædicavi. Idcirco sperare poteris, O Timothee, emersurum te etiam ex omnibus malis, & ex ipsa morte per virtutem CHRISTI, verè DEI & verè hominis. In quem etiam finem memorem & tenacem Timotheum esse jubet, hujus doctrinæ, quoniam hoc est fidei, spei, & consolationis Christianæ primum fundamentum.

Vers. 9. *In quo, ut facinorosus, affligor usque ad vincula: sed sermo Dei non est vinctus.*

Arg. 6. Ab exemplo ipsius Pauli, Ego vincula & dedecus lubens patior in labore ministerii. Ergo & tu ad idem patiendum te compara.

Sed sermo] Arg. 7. Omnes conatus adversariorum Euangelii, dum persequuntur nos CHRISTI servos, etiam ad vincula, irritus planè est; quia licet vinciant nos Euangelii Confessores, non vincunt tamen, nec ipsum Euangelium vincire, nec cursum ejus impedire possunt. Ergo militandum est nobis confidenter.

Vers. 10. *Ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Iesu, cum gloria æterna.*

Arg. 8. Electi DEI digni sunt, pro quorum ædificatione & confirmatione in fide, ad salutem æternam per CHRISTUM partam,

omnis generis mala tolerare debemus omnes nos, qui fideles Ministri CHRISTI sumus: Ergo fortiter militandum est nobis.

Vers. 11. *Fidus* est hic *sermo*: *nam si cum* eo *mortui sumus, cum* eo *etiam vivemus*:

Vers. 12. *Si toleramus, etiam cum* eo *regnabimus*: *si abnegamus, & ille abnegabit nos*:

Arg. 9. Etiamsi difficulter admittatur à carnis sensu hic sermo, certum tamen est, Communionem cum CHRISTI morte in tolerantia crucis, connexam esse cum communione vitæ CHRISTI, & certum est regnaturos esse eos cum CHRISTO, qui pro, vel cum ipso patiuntur. Ergo fortiter militandum, ut vivamus & regnemus cum CHRISTO.

Si autem] Arg. 10. Quicunque persequutionis terrore, vel mundi illecebris decepti, confessionem nominis CHRISTI abjiciunt, etiam à CHRISTO abjicientur, ut pereant. Fortiter ergo militandum tibi est in Ministerio Euangelii.

Vers. 13. *Si infidi sumus, ille* tamen *fidus manet*: *negare seipsum non potest*.

Arg. 11. Qui infidi sunt, afferant licet sibi exitium, nihil tamen detrahent veritati vel gloriæ CHRISTI, qui tutabitur suam veritatem contra adversariorum vim, & Apostatarum perfidiam, & rata faciet omnia quæ dixit, pro servis suis, & contra proditores. Ergo Ministerii officiis tibi gnaviter incumbendum est.

Vers. 14. *Hæc suggere, obtestans coram Domino ne verborum pugnas sequantur*: *quod nullam adfert utilitatem*, imo *auditores subvertit*.

Secunda admonitio. Ut Timotheus non solùm urgeat quæ dicta sunt, sed etiam curet prudenter tractandum DEI verbum, cum ab aliis, tum à seipso in aliorum exemplum. Hujus admonitionis tria sunt membra: Primum ut in nomine & autoritate CHRISTI compescat λογομαχίας, seu contentiones inutiles: Quales solent esse disputationes eorum qui venantur acuminis laudem in Sophistica sua.

Inutilibus] Rationes hujus membri sunt duæ: Ratio prima, Quia ejusmodi contentiones nullam afferunt utilitatem.

Subversionem] Altera ratio, Quia subvertitur aliquorum fides, qui altercando

altercando vel altercationibus ſpinoſis aurem præbendo, amittunt veritatem.

Verſ. 15. *Stude teipſum probatum ſiſtere* DEO, *operarium qui non erubeſcat, & qui rectè ſermonem veritatis ſecet.*

Membrum 2. Ut ſe exemplum præbeat in prudente Verbi Divini adminiſtratione, Studendo DEO ſeipſum approbare, cum alii plauſum theatri captant: oſtendendo ſe probum operarium, cum alii ſe oſtentant otioſos diſputatores, Operam ſemper dando, ne quid indecori faciat vel dicat, cujus ipſum pudeat poſtea coram DEO, dum alii certant inter ſe acriter, tantùm quia pudet eos vinci, vel non haberi pro doctis: Denique ſeipſum occupando inter prædicandum non in verborum cortice ſecando, dum medulla intacta relinquitur, ſed in ſenſus planè redditi prudenti diſtributione, & applicatione ad auditorum profectum in fide & obedientia veritatis.

Verſ. 16. *Profanos autem de rebus inanibus clamores cohibe: ad majorem enim procedent impietatem.*

Tertium membrum, Ut inflatum & ſophiſticum loquendi modum, phraſes novas, inuſitatas & prophanas compeſcat: Rationes hujus membri ſubnectit tres.

Profanos] Ratio prima, Quia ſicut inſolentes iſtiuſmodi ſermones proficiſcuntur à mentis profanitate & impietate, ita impietatem in aliis fovent & augent.

Verſ. 17. *Et ſermo eorum depaſcet ut gangræna: ex quibus eſt Hymæneus & Philetus:*

Ratio 2. Quia docendi modus & doctrina ſophiſtarum depaſcet Eccleſiam, ſicut corpus exedit gangræna, quæ (ut docent Medici) niſi quam ociſſimè curetur ad contiguas partes ſerpit, oſſa ipſa occupat, nec graſſandi finem, niſi homine extincto facit.

Verſ. 18. *Qui circa veritatem aberrarunt à ſcopo, dicentes reſurrectionem jam eſſe factam: & ſubvertunt quorundam fidem.*

Ratio 3. Quia experientia jam compertum eſt hoc malum, in perſona duorum hæreticorum: (quos infamiæ cauſa, & ut ſcopulos vitandos nominat) qui allegoricam reſurrectionem tantùm agnoſcentes, abberrarunt ipſi à veritate doctrinæ, & fidem aliquorum ſubverterunt, & dum perverſum ſuum dogma perſuadebant aliis, in cauſa erant

erant cur aliqui in fidei professione non radicati professioni Christianæ religionis renunciarint,

Vers. 19, *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sint sui, & Discedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Christi.*

Admonitio 3. De retinenda doctrina perseverantiæ verè fidelium, etiamsi aliquorum fides subversa sit: quæ admonitio per modum consolationis & confirmationis fidei, adversus scandalum Apostatarum præcipuè doctorum nobilium proponitur: quorum levitas & perfidia debet quidem omnes ad vigilantiam excitare, sed non debet fidei Sanctorum certitudinem labefactare, Doctrina tenenda Timotheo hæc est, *Etiamsi fides aliquorum subversa sit, firmum tamen manet ædificium salutis Electorum, seu verè fidelium*, Seu *Certa est perseverantia Sanctorum*; Hoc probat sex argumentis. *Solidum*] Argumentum primum, A comparatione ædificii, Ædificium fidei, & salutis electorum solidum habet fundamentum à Deo positum quod immobile constat, hoc autem est, *gratuita Dei electio*, cujus constantiam & stabilitatem comparat ædificii fundamento super vetram posito: Ergo Sanctorum perseverantia certa est.

Sigillum] Arg. 2. A comparatione *sigilli*, In hunc sensum; Sub arcanâ Dei custodiâ, tanquam signatorio annullo, continetur salus Electorum, ita ut etiamsi mundo non pateſiat qui sint illi omnes qui electi sunt, certum tamen est ex nobis, seu numero verè fidelium, non fuisse eos, qui à nobis verè fidelibus exierunt seu à nostra societate defecerunt. Ergo perseverantia Sanctorum certa est.

Novit] Arg. 3. Novit Deus eos, qui specialiter sui sunt, seu ad se pertinent, ut proprium suum peculium, novit ipsos, & eorum nomina & numerum, eosque speciali favore suo complexus est, ita ut à se divelli ipsos non sinat: Nosse enim ut suos, est speciali dilectione acquiescere in ipsis, ut in peculio suo: Ergo Sanctorum perseverantia certa est.

Sigillum] Arg. 4. Tanquam sigillum alterum, legendum ab hominibus dedit Deus hoc præceptum, quod efficax reddit in omnibus Electis. *Quicunque nominat nomen Domini discedat ab iniquitate*, hoc est, *simul retineat fidem & professionem Iesu Christi, simul etiam recedat per respiscentiam, & vitæ sanctitatem à viis peccati*: Ergo Sancti quos Deus, hoc quasi sigillo obsignavit pro suis, & in quibus efficaciter præcepti hujus obedientiam

obedientiam operatur, non peribunt in Apostasia, sed perseverabunt, & vitam finient in fide & obedientia CHRISTI.

Vers. 20. *Cæterum in magna domo non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea ac testacea: & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus.*

Arg. 5. Quemadmodum in magna, & bene instructa domo sunt alia vasa pretiosiora ad usus honestos; alia viliora ad usus inhonestos, seu ad dedecus: Ita in Ecclesia alii sunt reprobi, qui soli cum sordibus, quibus inquinari poterat Ecclesia, ex Ecclesia discedent per Apostasiam: Alii vero electi sunt & sanctificati à DEO, qui ad DEI gloriam, & suum ipsorum decus perseverabunt in fide & obedientia CHRISTI: Perseverantia ergo Sanctorum est certa.

Vers. 21. *Siquis igitur seipsum ab his expurgarit, erit vas ad decus, sanctificatum, & accommodum usibus Domini, & ad omne opus bonum comparatum.*

Arg. 6. Non solùm certum est perseveraturos Electos, sed etiam pro vero tenendum est, certos eos esse posse de sua electione & perseverantia: Nam si quis per DEI gratiam seipsum à moribus hypocritarum, & inquinamentis peccatorum, (quibus vasa ad dedecus destinata replentur) seipsum studuerit purgare, manifestum faciet & sibi & aliis, quod ipse sit ex numero vasorum pretiosorum ad sanctitatem & gloriam, præparatorum. Ergo perseverantia Sanctorum certa est.

Vers. 22. *Juveniles autem cupiditates fuge: sed sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Dominum ex puro corde.*

Admonitio 4. Ad moderationem animi, & ad vitandum omnes juveniles motus, & quæcunque possent contentiones excitare, aut aliorum animos irritare. Admonitionis tria sunt membra; Primum, Ut vitaret omnes cupiditates, seu motus animi juveniles, quales sunt non solùm voluptates, sed etiam temeritas, contentio superbia, inanis gloriæ cupido, & similes pravi affectus, quibus laborare solent juvenes, qui vel docendi, vel disputandi munus susceperunt.

Sectare] Membrum 2. Ut contra sectetur. *i.* justitiam, quæ neminem lædit: 2. Fidem quæ sine disceptatione hilariter recipit mysteria à DEO revelata: 3. Charitatem, quæ non æmulatur, non inflatur, non

est ambi-

est ambitiosa, nec quæ sua sunt, quærit; sed ea quæ etiam in bonum aliorum tendunt: 4. Pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro, *id est*, cum veris DEI cultoribus.

Vers. 23. *Stultas autem & ineruditas quæstiones reijce, sciens eas gignere pugnas.*

Membrum 3. Ut devitet quæstiones, ex quibus ad veram sapientiam & Christianam ædificationem nulla fit accessio. Rationes admonitionis sunt tres. *Sciens*] Ratio prima, Quia rixas & contentiones pariunt, non sine dispendio pacis & charitatis Christianæ.

Vers. 24. *Servum autem Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum tolerantem malos.*

Ratio 2. Quia litigatio non decet *Ministrum Christi*, qui ipse modestissimus fuit, & Dominus pacis.

Mansuetum] Ratio 3. Quia decent Ministrum contrariæ virtutes, quales enumerat quatuor: 1. Est mansuetudo erga omnis generis homines, quæ comitatem & affabilitatem continet: 2. Aptitudo ad docendum, seu animus pronus ad docendum potiùs quam ad cogendum: 3. Patientia erga malos, ut à veritate aversos ac protervos, mansuetudine vincat, si qua spes sit salutis eorum.

Vers. 25 *Cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti, ecquando det eis Deus ut resipiscentes agnoscant veritatem:*

4. Modestia In corripiendis diversa sentientibus, ne eos statim asperioribus verbis excipiat, sed cum mansuetudine doctrinam iis proponat salutarem, & sic corripiat, ut intelligant suam emendationem & salutem quæri. Rationes cur studere debeat huic ultimæ virtuti, seu modestiæ in contentionibus, reddit tres: *Si forte*] Ratio prima, Quia possibilis est obstinatorum conversio, nec de ea temerè desperandum. *Dei*] Ratio 2. Quia DEI donum est resipiscentia & agnitio veritatis & omnis fidei actus.

Vers. 26 *Et elapsi ex Diaboli laqueo, à quo captivi tenentur mentis sanitatem recipiant ad præstandum illius voluntatem.*

Ratio 3. Quia miseratione digna est eorum conditio, nam in laqueis diaboli jacent captivi secundùm diaboli voluntatem acti, quam diu visum fuerit DEO, illud permittere.

Caput

Caput Tertium.

HOC *Capite præmunit, & confirmat Timotheum, & in eo omnes pastores, adversus falsos fratres, schismaticos & hæreticos, & adversus molestias, quas illi creaturi essent sinceris Dei servis:* 1. *Describendo ipsorum ingenia & mores, ad* vers. 8. 2. *Consolando & armando eum adversus falsorum doctorum impetus & artes, ad finem, quæ duæ sunt capitis partes.*

Vers. 1. *ILlud autem scio, fore ut extremis diebus instent tempora molesta.*

Prima pars Capitis, & primus modus præmuniendi, est præmonitio de falsis fratribus exorituris, & jam tum exorientibus : & de molestiis quas illi daturi erant, ut minus læderent prævisæ; Extremi dies sunt tempus quod restabat post CHRISTI ascensum ad ejus secundum adventum : Præmonitionis summa est, Tempora difficilia & molesta sunt, in quibus difficile sit consilium capere quomodo te grerere debeas adversus iltiusmodi monstra, quæ ex medio Ecclesiæ sinu prodibunt, & cum quibus conflictari, est molestissimum : opus igitur est ut te armes.

Vers. 2. *Erunt enim homines sui amantes, avari, glorioſi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impuri,*

Vitia quibus dediti sunt plerunque, falsi fratres enumerat 19. Primum sunt *amantes* sui, id est, privatis student commodis posthabita salute & utilitate aliorum : 2. *Avari* sunt, seu amantes pecuniarum: 3. *Insolentes*, fastuosi, seu glorioſi, qui internam animi superbiam fastu produnt : 4. *Superbi* præferentes se aliis, eosque præ se contemnentes: 5. *Maledici*, qui bonorum famam non morantur lædere : 6. *Parentibus non obedientes*, id est, despicientes legitimam autoritatem eorum qui parentum loco ab illis debent honorari : 7. *Ingrati* quos ne beneficiis quidem demereri poteris, ut vicem dilectionis tibi rependant : 8. *Profani*, seu destituti vero sanctitatis studio.

Vers. 3. *Charitatis expertes, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, minimè amantes bonorum*,

9. Adeo etiam *alieni à charitate* ut ne naturæ vincula respiciant: 10. *Perfidi*, qui pactorum & fœderum non habent rationem, sed ea violant: 11, *Calumniatores*, qui confictis criminibus aliorum innocentiam onerant: 12. *Intemperantes*, qui in quodvis genus carnalium voluptatum sese effundunt: 13. *Immites*, qui ingenio sunt feroci, & inhumano: 14. *A bonis viris alieni*, qui ob morum discrepantiam abhorrent ab amicitia bonorum, eosque oderunt.

Vers. 4. *Proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam amantes Dei:*

15. *Proditores*, qui amicos benè meritos periculis vitæ objiciunt: 16. *Protervi* seu præcipites, qui feruntur quocunque rapit impetus cupiditatum: 17. *Inflati*, qui sibi placent maximè ex vana opinione suæ excellentiæ: 18. Qui *suis* voluptatibus *Dei* voluntatem & præcepta postponunt.

Vers. 5. *Habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint. Etiam istos aversare.*

19. *Habentes speciem pietatis*, quam verbis & cultu præ se ferunt: cujus virtutem seu veritatem in operibus adeo non curant, ut abjurasse eam videantur: Hos jubet devitare, hoc est, post admonitiones & correptiones per censuras Ecclesiasticas leviores, tandem per excommunicationem exclusos ab Ecclesiâ, cavere & coercere, & qua posset alia quavis prudenti ratione reprimere, ne quid detrimenti ab iis caperet Ecclesia.

Vers. 6. *Ex his enim sunt isti qui irrepunt in familias, & captivas ducunt mulierculas, onustas peccatis, actas cupiditatibus variis:*

Pergit falsos fratres depingere, & in exemplo aliquorum sui temporis nebulonum, quasi in tabella ante oculos eos proponere, qui ventris sui causâ, callidè se insinuabant in alienas familias, & leviores in genere mulierum captivas ducebant, & eas onustas jam peccatis, adeo non exonerabant, aut liberabant, sicut promittebant, ut etiam majori servitute gravarent, & peccata peccatis accumularent, Causas deceptionum harum mulierc ularum aperit duas: 1. Quia fœminæ istæ variis affectibus & desideriis, quæ moderari non poterant, ferebantur.

Vers. 7. *Semper discentes, sed quæ nunquam ad cognitionem veritatis venire possint.*

Altera,

Altera, quia non contentæ doctrinâ ab Apostolis acceptâ, præ curiositate & instabilitate animi semper nova & desideriis suis accomodata quærebant, ideoque quamvis discere velle videbantur, impossibile erat eas ad scientiam salutiferæ veritatis pervenire.

Secunda pars Capitis.

Vers. 8. *Quemædmodum autem Iannes & Iambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem.*

Secunda pars Capitis, in qua consolatur Timotheum, seu fidelem Pastorem adversus mali hujus efficaciam: idque argumentis 10. Quæ omnia probant consolationem ab eo admittendam esse in mediis certaminibus. *Quemædmodum*] Argumentum primum, Quia idem patiuntur veri Pastores ab his impostoribus, quod olim Moses & Aaron passi sunt à Magis Egyptiis sub Pharaone: Quorum nomina, Apostolus ex Spiritus Sancti inspiratione edoctus describit in ipsorum ignominiam perpetuam, & aliorum terrorem.

Veritati] Arg. 2. Quia istiusmodi homines veritatis sunt adversarii, & pastorum verorum etiam propter veritatem hostes.

Corrupti] Arg. 3. Quia cum sint mente corrupti, qui mentis Judicium vitiosis affectibus habent depravatum, & reprobi circa fidem, qui animi sui obstinatione, & corrupto Judicio viam sibi ad sanam fidei doctrinam præcluserunt, minus debent veri pastores eorum Judicium, & sententias morari.

Vers. 9. *Sed non procedent amplius: nam amentia istorum evidens erit omnibus ut & illorum fuit.*

Arg. 4. Specialiter spectans eos impostores de quibus exempli causa loquitur, quia ampliùs non ferent res suas clam Ecclesiâ, nec sic proficient ut hypocrisi sua imponant omnibus, (quasi orthodoxi essent) sicut prius fecerant. Statuerat enim Apostolus excommunicationis notâ ipsos insigniendo, amentiam eorum omnibus manifestare.

Vers. 10, *Tu verò assequutus es doctrinam meam, vitæ meæ rationem, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, tolerantiam:*

Vers. 11. *Persecutiones, afflictiones quæ mihi acciderunt Antiochiæ,*

ochiæ, Iconii, Lystris: quas persequutiones sustinuerim: sed ex omnibus eripuit me Dominus.

Arg. 5. Consolationis & confirmationis Timothei adversùs hos impostores, Quia Paulum habebat vivum & familiare exemplum, Primo virtutum quæ requiruntur in pastore, in doctrina, vita, & specialibus virtutibus illis quatuor, quas enumerat.

Secundò in persecutionibus, quas nominatim in tribus oppidis sustinuit pro Euangelii defensione. Tertio, in læto exitu, & liberatione ab omnibus illis molestiis, per Domini gratiam.

Vers. 12. *Sed & omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persequutionem patientur.*

Arg. 6. Quia est communis sors non solùm pastorum, sed & omnium Christianorum, ut propter Euangelium molestias, & persequutiones patiantur.

Vers. 13. *Improbi autem homines & impostores procedent in pejus, tum seducentes alios, tum seducti ipsi.*

Arg. 7. Quia caveri non potest, quin obstinati impostores, & falsi fratres proficiant in pejus, seque ipsos & alios erroribus suis in perditionem ducant; quod Timotheum scire & considerare referebat, ne se nimium torqueret, sed alta DEI Judicia revereretur, & seipsum consolaretur.

Vers. 14. *At tu permane in iis quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris:*

Arg. 8. Per hortationem propositum, Quia curandum erat ipsi tantùm ut fideliter fungeretur officio suo, & depositum Euangelicæ doctrinæ pro virili custodiret.

Sciens] Arg. 9. Confirmans superius, quia de veritate doctrinæ Cœlestis satis edoctus erat per Apostolum CHRISTI, quem pro Apostolo probatum & compertum habebat.

Vers. 15. *Teque à puero sacras literas novisse, quæ te possunt sapientem reddere in salute, per fidem quæ est in Christo Iesu.*

Arg. 10. Confirmans hortationem propositam versu superiori, & simul etiam thesin probans, Doctrina quam didicisti à me, & defendendam jam habes tibi commissam, Scripturæ sacræ & Prophetarum doctrinæ consentanea est. Ergo tu maneto in iis: Confirmator in veritate & consolationem habeto.

Quæ

Quæ te possunt] Hoc Argumentum dilatat ex quinq; his considerationibus: 1. Scio te institutum, & familiariter versatum in Scripturis à puero: 2. Scriptura potest tibi sapientiam salutarem ministrare, quæ in cognitione & fide IESU CHRISTI consistit.

Vers. 16. *Tota Scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ* est *in justitia.*

3. Scriptura tota est divinitus inspirata, ideoque divinam planè autoritatem habet. 4. Scriptura tota facit ad vera docenda & falsa redarguenda in iis quæ ad fidem pertinent, & ad malorum morum correctionem, & in bonis moribus institutionem.

Vers. 17. *Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.*

5. Denique Scriptura *hominem Dei*, seu Pastorem Ecclesiæ perfectè instructum reddere potest, ad omnes muneris sui partes, & ad omne bonum opus, quod ab ipso requirit DEUS, sive ad suam, sive ad aliorum salutem vel DEI gloriam. Ergo maneto in his quæ didicisti secundum Scripturas à me, cum Scripturam habeas ad manum, ut promptuarium, unde desumas quæcunque te perfectum, & perfectè instructum ad omne opus bonum reddant.

Caput Quartum.

DUæ sunt Capitis partes, In prima quasi Testamento condito gravissimè hortatur Timotheum, ut muneris sui partes fideliter obeat, ad vers. *9. In secunda postquam de rebus privatis egit, quæ ipsum & Timotheum spectabant, concludit Epistolam.*

Vers. 1. *OBtestor igitur ego coram Deo & Domino Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, in illustri illo suo adventu & regno suo.*

Hortationi ad muneris sui partes obeundas præmittit obtestationem gravem in qua Timotheo ponit ante oculos: Primò, DEI majestatem

jestatem: 2. DOMINUM IESUM CHRISTUM: 3. Tribunal CHRISTI, coram quo redditurus erat rationem Ministerii sui, unà cum reliquis in novissimo illo die judicandis: 4. Gloriam illam CHRISTI, quam in illustri suo adventu, & regni sui plena manifestatione omnibus ostensurus erat.

Vers. 2. *Prædica sermonem insta tempestivè, intempestive: argue, objurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina.*

Ipsa hortatio in qua quinque requirit officia: 1. Assiduitatem in prædicando: 2. Ut strenuè contendat contra omnia obstacula: 3. Ut sequatur non tantùm occasiones prædicandi, quæ cum ipsius commoditate, vel cum torpentis populi otio consistant, sed ut nullis parcens laboribus exstimulet seipsum: & populum ad vanas mundi occupationes nimium properantem quasi manu injecta, sistat, omnes solicitans ad unicum illud quod necessarium est, quærendum: 4. Ut omnem lapidem moveat pro concione, ad populo persuadendum, ut proficiant in fide & obedientiâ CHRISTI, non solùm veram doctrinam prædicando, & falsam doctrinam redarguendo, sed etiam malos mores increpando & corrigendo, & hortando seu obsecrando ut piè, justè & sobriè vivant: 5. Ut zelum & fervorem in reprehensionibus temperet, & condiat lenitate: refutationes verò errorum muniat & fulciat solidâ doctrinâ, ne labor sit irritus.

Vers. 3. *Nam erit tempus quum sanam doctrinam non tolerabunt, sed auribus prurientes, ipsi sibi pro suis cupiditatibus coacervabunt doctores.*

Rationes subjungit exhortationi quatuor: prima, Quia instabat tempus, quo multi defecturi erant à doctrinæ sinceritate, idcirco necesse erat ut Timotheus diligentiùs incumberet officio suo: Defectionem autem hanc à suis quinque partibus, seu gradibus describit. Gradus primus, Sanam doctrinam non sustinebunt CHRISTI professores, non ferent vitiorum suorum reprehensiones, aut ad virtutem hortationes, nec quicquid salubre & salutiferum ipsis esse posset: Gradus 2 Desideriis seu cupiditatibus carnalibus mordicus adhærebunt: Gradus 3. In cordibus suis odio habebunt veros Pastores, tanquam communes hostes, & ut ipsos coerceant multos coacervabunt sibi doctores, qui populi cupiditatibus adblandiantur: Gradus 4. Non sapiet ipsis antiqua DEI veritas ad pietatem, & vitæ novitatem faciens, sed ex curiositate

ositate semper aliquid novi audiendi, quærent sibi palponés, qui prurientes aures ipsorum suaviter scalpant, ac demulceant, præ se interim ferentes Christianæ doctrinæ,& religionis studium non mediocre.

Vers. 4. *Et à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò convertentur.*

Gradus 5. defectionis; Apertè profitebuntur se impatientes esse audiendi severos doctores veritatis, qui ipsis nihil canant præterquam quod ex sacra Scriptura didicerunt, & convertent se ad audiendum eos qui commenta hominum, somnia sua, historias, hominum sententias & flosculos, figmenta, fabulas & legenda, pro concione proferent.

Vers. 5. *At tu vigila in omnibus, perfer, opus perage Euangelistæ, ministerii tui plenam fidem facito.*

Hinc infert & repetit hortationem, ut Timotheus tantò magis invigilet, & omnes partes officii faciat, in laboribus & afflictionibus se obdurans, nec adversariis, nec periculis ullis cedens.

Euangelistæ] Hortationi repetitæ miscet alteram rationem, Quia decebat eum Euangelistam agere, hoc est, plus quam ordinarium doctorem, & nihil omittere eorum quæ à fideli Euangelista jure exigi possent.

Vers. 6. *Nam ego jam libor, & tempus meæ resolutionis instat.*

Tertia hortationis ratio, Quia hæc est quasi testamentaria hortatio Pauli senioris, cujus consortio Timotheus non erat diu usurus, (nam hæc profert quasi jam mortem pro CHRISTI Euangelio obiturus, & brevi solvendus ex mundi & corpusculi carcere, ut liber ad DEUM evolaret;) ideoque hortatio hæc tantò altiùs imprimenda erat Timothei animo.

Vers. 7. *Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi.*

Ratio 4. Ab experientia Pauli hortantis, qui Ministerii sui cursum jam ferè absolverat, & certamen in eo decurrendo non modo non molestum, sed etiam consolationis & bonæ spei plenum expertus erat, & quod supererat decurrendum, in hoc stadio confidebat glorioſum futurum. Hoc argumentum quinque ipsius membris propositis, explicat.

Membrum primum, Certamen susceptum in Apostolatu & jam pene absolutum, vocat *bonum certamen*, ut Timotheus sciret se non erubescere labores, afflictiones & persequutiones quas sustinuerat.

Membrum 2. Gratulatur sibi de cursu consummato, quasi voti compos

compos jam factus, & metam jam prope assequutus esset: Membrum 3. Lætatur quod duci suo CHRISTO fidelem militem, per DEI gratiam sese præstiterit in doctrinâ, & vitâ, jusiurandum militiæ suæ observando.

Vers. 8. *Quod superest, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.*

Membrum 4. Quoad tempus futurum profitetur fiduciam suam de gratuita mercede, quam DEUS gratis promisit omnibus fidelibus, & ut justus judex, justè simul & ex gratia rependet, non ex merito ullo nostro, sed priora dona sua gratuita posterioribus gratuito cumulando.

Membrum 5. In quo Apostolus exemplum ad usum Timothei, & omnium fidelium accomodat, quod corona justitiæ non esset reddenda sibi soli, sed omnibus etiam qui studendo ea facere quæ placent Domino, declarant se expectare, & diligere Domini adventum.

Secunda pars Capitis.

Vers. 9. *Stude venire ad me citò.*

Secunda pars Capitis, In qua de rebus suis privatis, quæ inter Timotheum & ipsum intercedebant, & quæ Timotheum scire de ipsius negotiis referebat, agit.

Articuli autem hujus partis septem sunt: 1. Est de adventu Timothei, quem (si Ephesi jam erat) revocat Epheso, postquam satis ibi hæsisse visus est.

Vers. 10 *Nam Demas me dereliquit, amplexus præsens seculum, & profectus est Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.*

Vers. 11. *Lucas mecum est solus. Marcum assumptum adduc tecum: est enim mihi perutilis ad ministerium:*

Maturandi adventum Timothei rationes reddit tres: Prima à paucitate comitum & adjutorum, quibus jam destituebatur: Nam Demas pertæsus periculorum & afflictionum, quibus Pauli comites obnoxii erant, & crebrò exercebantur sui otii & securitatis gratia, & hujus vitæ commodorum amore ductus, Pauli & Euangelii ab eo jam publicè

licè defensi, curam privatis commodis postposuit, Thessalonicam profectus, ubi securiùs posset agere. Crescens legatus in Galatiam profectus fuit, & Titus in Dalmatiam, Euangelii propagandi causa: Ita ut solum Lucam medicum in comitatu haberet; Advenientem autem Timotheum jubet secum adducere Marcum Barnabæ consobrinum, vel nepotem ex sorore, qui usibus Apostoli commodè inservire poterat.

Vers. 12. *Porrò Tychicum misi Ephesum.*

Ratio 2 Quia Tychicum miserat Ephesum, quod dicitur sine relatione ad Timothei commorationem in eo oppido; unde dubitari potest an Ephesi tunc fuerit Timotheus, dum hæc scriberentur.

Vers. 13. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, adfer quum venies, & libros, maximè membranas.*

Denique, rationem adventus tertiam reddens, jubet advenientem Timotheum, pallium, sive arculam in qua asservabantur libri, vel membranæ secum afferre, quibus tum opus habebat. Utrum verò pallium, an arculam intelligamus, non multum interest, modò sciamus DEUM, nec dedignari res suorum servorum minimas curare, nec locum in quo mentio ipsarum fiat, in libro suo, recusare.

Vers. 14. *Alexander faber ærarius multa mala mihi exhibuit: reddat ei Dominus secundùm facta ipsius.*

Vers. 15. *Quem & tu cave, vehementer enim restitit sermonibus nostris.*

Articulus 2. Alexandrum fabrum Euangelii hostem spectat, qui Apostolo prædicanti vehementer restitit, Apostolumque vexavit, cui ex zelo rectè composito, in Spiritu DEI, imprecatur divinam ultionem, ut hosti malitioso & obstinato; Timotheumque monet, ut caveat sibi ab eo, ne simili ab eo injuria afficeretur.

Vers. 16. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: (ne illis imputetur)*

Articulus 3. Commemorat notabilia tria, quæ sibi contigerunt in prima sua defensione, quando primum omnium ad Tribunal Neronis causam dixit: Primum est, quod nullus in Romana Ecclesia sit auxiliatus sibi, aut patrocinium sibi præstiterit (quod indicio esse potest Petrum non ibi fuisse, nedum Episcopum Romæ fuisse,) quam desertionem sui ex infirmitate Romanorum profectam interpretatur, ideoque se intercessorem apud DEUM opponit pro iis, ad veniam illis impetrandam.

Vers. 17. *Sed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me: ut per me fieret fides præconii quod audirent omnes Gentes: & ereptus fui ex ore leonis.*

Alterum est, quod DOMINUS ei auxilio fuerit, in defensione causæ suæ, & gratiâ suâ eum adversus omnes accusationes sustinuerit, cujus rationem reddit, ut sic DOMINUS prædicationem Euangelii apud Gentes illustriùs confirmaret, & commendatam daret.

Ex ore] Tertium est, Quod eripuerit eum DEUS ex præsenti periculo mortis, (seu ex crudelitate Neronis, & adversariorum, qui ipsum accusabant,) tanquam ex ore Leonis.

Vers. 18. *Et eripiet me Dominus ab omni opere malo, servabitque regno suo cœlesti: cui gloria in secula seculorum. Amen.*

Quartum est, Quod hoc experimento confirmaverit ipsi fidem DEUS, fore ut conservaretur, ne periculo quovis territus, ullo malo opere se polluueret, usque dum in cœlestem gloriam DEUS ipsum transferret, quo nomine DEO gratias agit cum fiducia.

Vers. 19. *Saluta Priscam & Aquilam, & Onesiphori familiam.*

Vers. 20. *Erastus mansit Corinthi: Trophimum autem reliqui Mileti ægrotantem.*

Vers. 21. *Stude venire ante hyemem. Salutant te Eubulus & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.*

Articulus 4. Continet salutationes missas ad Priscam, seu Priscillam, & maritum ejus Aquilam, & ad Onesiphori familiam.

Trophimum] Articulus 5. In quo ad maturandum iter Timothei, facit mentionem absentiæ Erasti & Trophimi, qui ipsi ministrare, & Timothei vicem supplere potuissent.

Salutat] Articulus 6. Salutationes continet missas ab aliquot Sanctis, qui Romæ, & cum Apostolo erant dum hæc scriberet.

Vers. 22. *Dominus Iesus Christus* sit *cum spiritu tuo. Gratia* ejus sit *vobiscum. Amen.*

Articulus 7. Claudit Epistolam optans præsentiam CHRISTI cum Spiritu seu Anima Timothei: & gratiam comprecatur toti Ecclesiæ, cujus intererat scire doctrinam in hac Epistola descriptam, ut majori cum reverentia Timothei ministerium admitteret, & autoritatem agnosceret.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI, *AD* TITVM.

Summarium.

TVM in Creta *Insula, quæ &* Candia *dicitur, Ecclesiæ fundamenta tantùm jecisset Paulus, alio properans, sicut Gentium Apostolum oportebat, Tito prosequendi operis partes, tanquam Evangelistæ mandaverat. Verùm quum Paulus sciret eum à quibusdam contemni, & in contemptum à refractariis adduci porro potuisse, tanquam aliquem ex vulgo Pastorum, Paulus autoritatem ei conciliat, & suam ei quasi personam imponit, tam in creandis Ministris, quam in tota reliqua Ecclesiæ administratione, eumque ad opus* DOMINI *peragendum instruit & animat. Epistolæ, præter Præfationem & Conclusionem, tres sunt partes, pro numero Capitum. Prima est de electione Ministrorum,* Capite primo. *Secunda est de officiis singulorum ordinum in familia,* Capite secundo. *Tertia est de communibus officiis omnium Christianorum,* Capite tertio,

Caput Primum.

POST *Præfationem, ad* versum quintum, *instituit Titum de Pastorum delectu balendo; ostendens qui sint admittendi, ad* versum decimum: *qui verò repudiandi, ad finem.*

Vers. 1. *PAulus servus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis quæ est secundùm pietatem:*

Præfatio tria continet: Primo, Descriptionem Scriptoris, *vers.* 1, 2, 3. Secundo descriptionem illius ad quem scribitur; & tertiò, Salutationem cum benedictione Apostolica, *vers.* 3, 4.

In descriptione scribentis Pauli, autoritas ejus asseritur ex his octo: 1. Quod sit *servus Dei*, idque affirmatur contra Judæos, qui desertorem Patriæ religionis eum calumniabantur: 2. Quod sit *Apostolus* Iesu Christi, qui immediatâ legatione ad omnes nationes, supremum Ministerii gradum in Ecclesia tenebat: 3. Quod ipsius doctrina congruat cum *fide Abrahæ* & Patrum, omniumque Electorum, quam nemo Electus non reciperet, nemo nisi reprobus rejiceret, quippe quæ nihil præter agnitam & compertam ab Electis veritatem contineat, quæ homines ad pietatem, & purum Dei cultum instituit.

Vers. 2. *Ad spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ille mentiri nescius, ante tempora secularia, patefecit autem temporibus suis*: Doctrinæ suæ elogia & suæ authoritatis argumenta reliqua addit: 4. est, Quod *vivam spem* vitæ æternæ afferat credentibus. 5. est, Quod *nitatur testimonio Dei, qui nescit mentiri*, seu quem impossibile est mentiri, sive dicendo quod non est, sive non efficiendo ut sit quod dicit: 6. Quod *antiquissima sit* hujus veritatis origo, quatenus Deus promisit vitam æternam, non tantùm initio mundi prædicando eam primis parentibus in Paradiso, sed etiam paciscendo de ea ante conditum mundum cum Filio designato Mediatore nostro, in fœdere redemptionis: 7. Quod *prudentissimè* revelata sit hæc veritas, hoc est, quod gradatim, & prout temporibus accommodatum Deo videbatur innotuerit, nunc verò in apertum producta sit per prædicationem Euangelii.

Vers. 3. *Videlicet sermonem illum suum, per prædicationem quæ concredita est mihi ex mandato Servatoris nostri Dei; Tito germano filio in communi fide*.

8. Quod hujus doctrinæ prædicandæ provincia ex speciali ordinatione & delegatione Servatoris nostri Christi, *concredita sit sibi*; Atque hæc descriptio est Pauli scriptoris Epistolæ: Sequitur descriptio Titi ad quem scribitur, qui filius germanus Pauli vocatur, non secundùm carnem, sed Primo secundùm communem fidem, quam hausit ex Apostoli doctrina, cujus etiam discipulus fuit, & in ipsius comitatu quotidianus Auditor: Deinde, quia impressionem fidei ab Apostolo prædicatæ, & plenè receperat, & in Doctrina sua ad vivum expressérat: denique, quia vitæ instituto, & moribus, Paulum quasi in imagine referebat.

Vers. 4

Vers. 4 *Gratia* sit tibi, *misericordia, & pax à Deo Patre, & Domino Jesu Christo Servatore nostro.*

In salutatione benedicit Tito, à DEO per CHRISTUM, optando & applicando ipsi, Primo *gratiam*, id est, dona SPIRITUS Sancti, & ad salutem, & ad vocationem in Ministerio necessaria: 2. *Misericordiam*, id est, remissionem peccatorum, seu defectuum in exercitio donorum ipsi datorum: 3. *Pacem*, id est, felicitatem gradatim ex fonte gratiæ per dona salutifera, perficiendam.

Vers. 5. *Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ reliqua sunt pergas corrigere, & constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi mandavi:*

Præmissa hac præfatione, ut de eligendis Ministris instituat Titum, primo loco repetit mandata tria quæ discedens à Creta Tito dederat in genere: 1. Ut Titus absolvat in Ecclesiarum constitutione, quod ab Apostolo inchoatum erat: Deinde ut oppidatim in unaquaque civitate, in qua fideles nuper conversi habitabant, constituat Presbyteros, id est, omnes Ecclesiæ gubernatores ordinarios: 3. Ut in hoc negotio non agat pro libitu suo, sed regulam sequatur ab Apostolo præscriptam, sicut ille ordinaverat.

Vers. 6 *Siquis est inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, vel qui non sint refractarii*

Secundo loco Presbyterorum sive Gubernantium tantùm, sive præterea docentium, requisita ponit tria: 1. Ut nullâ infamiâ notentur, quæ illis autoritatem derogaret, Deinde ne Polygamias vitio (iis temporibus nimis frequenti) laborent: Et denique, ut totam suam domum habeant honestæ, & castæ disciplinæ speculum, id est, liberos in fide educatos, temperantiæ & frugalitati assuefactos, alienos à luxu profuso, & qui obedientiæ exemplaria essent: ad componendam enim familiam Presbyteri multum facere existimabat, si uxor & liberi intelligerent, ex ipsorum malis moribus conjecturâ factâ, arceri posse Patrem familias ab omni Ecclesiastico munere.

Vers. 7 *Oportet enim Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem: non sibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum:*

Tertio loco, Quia ex Presbyteris, illi qui laborant in Verbo & Doctrina

ctrina præcipuum tenent locum: proprietates hujus presbyteri, quem Episcopum vocat, recitat duodecim, de quibus in Epistola priori ad *Timoth.* 1. Oportet *à criminatione justa* esse immunem, ne autoritate destituatur, imò verò adeo immunem, ut nihil in eo reperiatur indignum œconomo Dei, qui tantò longiùs à crimine debet abesse, quam alii, quantò sanctiùs est hoc officium: 2. Oportet esse *minimè prefractum*, vel qui sibi pertinaciter placeat: quia qui sibi nimium placet, paratus est ad aliis omnibus displicendum: 3. Oportet *non esse iracundum*, quia infirmitates populi Dei non poterit ferre, vel curare is qui iracundus est: 4. Oportet alienum esse ab *ebrietate* & compotationibus: 5. Et alienum à *contentionibus* & pugna: 6. Et alienum *ab avaritia.*

Vers. 8. *Sed hospitalem, bonorum amantem, temperantem, justum, pium, continentem.*

Hoc confirmat, quia requiritur ut pro facultatibus paratus sit excipiendis peregrinantibus, aut exulibus Dei servis: 7. Ut bonos seu probos, qui præ aliis eminent in pretio habeat. Indicium enim est hominis minimè probi, qui probos quovis prætextu odit: 8. Ut sit in omnibus modestus, sobrius, sanæ mentis seu prudens: 9. Ut sit justus; qui unicuique suum cupiat reddere: 10. Ut sit pius & sanctus, qui vitâ & conversatione sanctitatem alios doceat: 11. Ut sit continens & temperans, qui dominium exerceat in suos affectus & appetitus.

Vers. 9. *Tenacem fidelis illius sermonis qui ad doctrinam est, ut possit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes convincere.*

12. Ut non tantùm consultus sit Theologiæ, sed ut per fidem veritati firmiter adhæreat, ut non tantùm pascere possit gregem, sed obturare os lupis oggannientibus.

Secunda pars Capitis.

Vers. 10. *Sunt enim multi refractarii, & vaniloqui, & mentium deceptores, maximè ii qui sunt ex Circumcisione.*

Altera capitis pars, in qua simul rationem reddit tantæ diligentiæ & curæ, in eligendis Pastoribus habendæ, nempe, quia abundabant tum temporis falsi doctores: simul etiam describit eos quos rejici vellet ab hoc munere,

hoc munere, ex quibus sunt: 1. *Immorigeri*, seu refractarii, qui in ordinem se cogi non sustinent, & subjectionis jugum excutiunt, sive *Presbyterii*, sive alius alicujus legitimi judicii, vel qui se subtrahunt autoritati sive naturali, sive politicæ, cui se subjicere in DOMINO debent: 2. *Vaniloqui*, qui ambitiosæ ostentationi dediti, inanes tantùm argutias sectantur, vel speculationes frigidas & nugatorias, quæ ad pietatem, & DEI timorem nihil conducunt. 3. *Deceptores*, seu mentium seductores, qui vel corruptâ suâ doctrinâ Euangelium adulterant, vel illecebris suis rhetoricis & scholasticis, mentes hominum ita demulcent, & quasi incantant, ut non ampliùs admittant salubrem docendi modum: Cujus generis, Exempli causa, Doctores Judæos indigetat, qui Cretæ indigenæ erant.

Vers. 11. *Quibus oportet os obturare: qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.*

Hos non refutandos tantùm monet, sed etiam prohibendos, ne publicè vel privatim doceant. Rationes reddit septem; Ratio prima, Quia familias totas à sana doctrina alienabant, & in perditionem devolvebant, idque vel docendo errores, vel generalem doctrinam malè applicando ad hominum cupiditates fovendas, idque turpis lucri causâ.

Vers. 12 *Dixit quidam ex ipsis, proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ feræ, ventres pigri.*

Ratio 2. Quia ingenium Gentis suæ sequebantur, mentientes, otio dediti, ventri & gulæ servientes, ut bestiæ. Quod probat Testimonio Poetæ Cretensis, Callimachi vel Epimenidis, cui Testimonio Paulus ipse suffragatur.

Vers. 13. *Testimonium hoc est verum: quam ob causam eos redarguito præcise, ut sani sint in fide:*

Ratio 3, Quia severa castigatio istiusmodi Doctorum & Discipulorum Cretensium eis adhærentium, conducebat ad sanitatem fidei ipsorum procurandam & conservandam. Ergo arguendi & severè castigandi erant.

Vers. 14 *Non attendendo Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium veritatem.*

Ratio 4. Ne alioqui Cretenses attenderent traditionibus fabulosis, & commentis Judaicis de legalibus Ceremoniis, & præceptis istiusmodi hominum,

hominum, qui puram CHRISTI doctrinam non poterant ferre, sed fermento suo corrumpere eam studebant.

Vers. 15. *Omnia quidem pura puris: pollutis autem & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum & mens & conscientia.*

Ratio 5. Quia Christiana veritas contraria statuit doctorum Judaizantium præceptis, pronuncians scilicet, puris omnia esse pura, id est, Christianis purgatis per fidem in CHRISTUM à peccatis suis, omnes cibos reliquasque creaturas, quæ lege ceremoniali immundæ erant, jam post CHRISTI exhibitionem licere, ut bonâ conscientiâ possint fideles iis uti.

Pollutis] Ratio 6. Quia eadem veritas docet, nihil purè usurpari posse ab iis, qui per fidem in CHRISTUM non justificantur, sed pollutas esse etiam ipsorum mentes non renovatas, & conscientias, quæ falsò ipsos absolvunt; atque ita vanitatis arguit eos, qui ex ceremoniarum observatione sanctitatem studebant comparare.

Vers. 16. *Deum profitentur se scire, sed factis negant, quum sint abominandi, & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi.*

Ratio 7. Quia etiamsi Doctores illi profiterentur se cultores esse DEI, factis tamen negabant, quia justitiæ quæ est per fidem, & fructibus Spiritus adversarii erant, abominandi quippe hypocritæ, adversus DEI veritatem rebelles, & inepti, per quos ullum opus bonum peragere-tur. Ex quibus rationibus conficitur falsos istos Doctores coercendos, ne publicè vel privatim docere possent.

Caput Secundum.

HOC Capite agitur de inculcanda salubri doctrina, omnibus secundùm ætatem, sexum, & ordinem, uniuscujusque in familia, & per quam formari debeat ipsorum vita ad sanctitatem, ad vers. 11. *Et qua firmari posset ipsorum fides in DEI gratia, ex qua (tanquam ex fonte) promanare vult fructus obedientiæ in ipsorum conversatione, ad finem.*

Vers. 1. *AT tu loquere quæ decent sanam doctrinam.*

Ut Doctorum vanitati facto se opponat, præcipit in genere,

genere, ut Titus inculcet doctrinam quæ ad sanctitatem & salutem conducat.

Vers. 2. *Ut senes sobrii sint, venerandi, temperantes, sani fide, charitate, tolerantia.*

In specie quinque præcipit; Primo, de viris ætate provectis, ut doceat seniores, & ætate jam grandes hæc quatuor: 1. Ut virtutibus suæ ætati convenientibus senectam suam ornent, nempe ut *Sobrii* sint, à temulentia sibi caventes: 2. Ut sint *graves* & venerandi, & à juvenili lascivia alieni: 3. Ut sint temperantes, *prudentes*, id est, ut in omni actione moderatè se gerant: 4. Ut in *fide*, charitate, & spe per patientiam manifestata, *sani* & minimè simulati sint.

Vers. 3. *Anus itidem, ut* sint *habitu qui sanctimoniam deceat, non calumniatrices, non vino multo servientes, honestatis magistræ,*

Secundò de fœminis natu grandioribus præcipit, ut doceat matronas hæc quinque officia: ut, 1. in amictu incessu, & toto corporis gestu, decorum servent: 2. Ne calumniatrices sint, quæ aliorum famæ suis mendaciis noceant: 3. Ne bibaces sint: 4. Ut Juniores doceant non aniles fabulas, sed ea quæ bona & honesta sunt.

Vers. 4. *Ut ad sapientiam instruant adolescentulas, ut maritos suos diligant, ut liberos ament*:

Vers. 5. *Ut temperantes sint, puræ, domi manentes, bonæ, subjectæ suis viris: ne sermo Dei blasphemetur.*

Officium 5. Ut uxores juniores (ad quas accedere possent familiarius, quam Ministri) doceant prudentiam & modestiam, utque diligant viros suos, & liberos suos amore ordinato & Christiano: Utque sint temperantes, castæ, domus custodes, non vagantes extra familiam, benignæ, & suis maritis obedientes, ne doctrina Christiana malè audiat propter eas.

Vers. 6. *Adolescentes itidem adhortare, ut sint temperantes.*

Tertio loco, De adolescentibus præcipit Tito, ut hortetur adolescentes ad temperantiam.

Vers. 7. *Per omnia teipsum præbens exemplar bonorum operum, in doctrina, integritatem, gravitatem,*

Vers. 8. *Sermonem sanum, qui damnari non possit: ut qui, se*

ex adverso opponit, *erubescat*, *nihil habens quod de vobis dicat mali.*

Quarto loco, De Pastoribus in persona Titi, in eum finem, Ut melius reciperetur ipsorum doctrina, præcipit ut Titus seipsum præbeat in omni bono opere exemplar, aliis imitandum; speciatim verò, ut in doctrina ostendat integritatem puræ veritatis, gravitatem autoritatis, & loquendi modum ædificationi auditorum accommodatum teneat, ne adversarius posset aliquid in ipso carpere merito.

Vers. 9. *Servos* hortare *ut suis Dominis subjiciant sese, ut in omnibus sint* eis *accepti, non respondentes:*

Vers. 10. *Nihil intervertentes, sed omnem bonam fidem ostendentes, ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus,*

Quinto loco de servis præcipit, Ut servos instituat de officiis: 1 Ut suis Dominis (licet infidelibus) se subjiciant, in omnibus licitis eis morem gerentes: 2. Ut servi studeant heris suis placere, seu grata facere, nec illis respondent, quando mandata ipsis dant duriora, aut severiùs quam æquum esset ipsos objurgant: 3. Denique, ne quid suffurentur ab heris, sed Fideles se præstent in omnibus. Cujus rationem addit, ut doctrina Euangelii ornetur ab iis in omnibus, & agnoscatur esse divina, utpote quæ adeo efficax sit, ut etiam homines in durissima conditione servitutis positos, conditionis suæ patientes, & in vocatione probos & fideles reddat.

Secunda pars Capitis.

Vers. 11, *Illuxit enim gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus.*

Altera pars Capitis de doctrina Fidei, quam subnectit quasi fontem, unde hauriatur virtus ad præstandum prædicta officia: nam officia Christiana esse non possunt, nisi ex CHRISTO per fidem hauriatur gratia ad præstandum ea. Hoc enim interest inter opera materialiter bona renatorum, & irregenitorum. Quod horum opera fiant à DEI inimicis, ex liberi arbitrii corruptis viribus, propter fines carnales, absque voluntatis, vel gloriæ Divinæ intuitu: illorum verò opera fiant à servis DEI per fidem reconciliatis, ex fonte salutaris gratiæ CHRISTI, cognitione & virtute ad agendum haustâ. Proponitur autem hæc fidei doctrina, per modum confirmationis præceptorum, seu doctrinæ de moribus. Rationes au-

ones autem sunt quatuor, quæ omnes probant prædictis virtutibus studendum esse.

Illuxit] Ratio prima, Quia Euangelium gratiæ DEI afferens salutem omnis generis hominibus, promulgatum seu patefactum, illuxit omnis generis hominibus. Ergo æquum est, ut omnis ordinis homines gratitudinem erga DEUM in sancta conversatione ostendant, prædictis virtutibus studendo.

Vers. 12. *Erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, & justè, & piè vivamus in præsenti seculo:*

Secunda Ratio, Quia hoc DEI Euangelium non solùm docet nos quæ officia præstare teneamur, sed etiam instituit quomodo vires hauriamus ex fonte gratiæ CHRISTI, ex fonte mortis & resurrectionis ipsius, ad abnegandam impietatem, & mundanas cupiditates, & ad vivendum temperanter, quod ad nosipsos attinet, justè quod ad proximos, & piè quod ad DEUM spectat: Ideo his officiis præstandis accingere nos debemus.

Vers. 13. *Expectantes beatam illam spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac Servatoris nostri*, nempe *IESV CHRISTI*:

Ratio 3. Quia expectamus vitam æternam in secundo adventu CHRISTI, qui est magnus DEUS, unus cum PATRE ac SPIRITU Sancto, & Servator noster. Ergo animari & excitari decet nos ad studendum, prædictis & omnibus bonis operibus, quæ DEUS requirit à nobis.

Vers. 13. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificavit sibiipsi populum peculiarem studiosum bonorum operum.*

Ratio 4. Quia ideo se obtulit pro nobis CHRISTUS, ut nos redimeret efficaciter à peccati servitute, & acquireret nos sibi quasi in peculium, ut studiosi essemus bonorum operum: Ergo nisi redemptionem vellemus irritam esse erga nos, necessariò renunciandum est peccato, & studendum prædictis virtutibus, & omnigenæ vitæ novitati.

Vers. 15. *Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio, nemo te despiciat.*

Repetit mandatum de doctrina curanda, jubens, ut in his insistat, & immoretur, id est, ut aculeos addat hortationum & objurgationum cum autoritate: Quam autoritatem ne despiciat quisquam ex Professoribus, vetat, & ne ipse Titus quicquam admittat quod eum contemptui exponeret.

Caput Tertium.

Pergit Titum in officio instituere, in quem finem addit alia octo mandata.

Vers. 1. *Suggere ipsis, ut sese subjiciant principatibus, ac potestatibus, ut obtemperent, ut ad omne opus bonum sint parati:*

Primum mandatum, ut præcipiat Christianis omnibus, ut placidè colant ordinem politicum, id est, Ut subjiciant se supremo Magistratui & Potestati inferiori, seu magistratibus inferioribus, ut obediant edictis & legibus politicis, & ad omne opus bonum, cui promovendo constituuntur Magistratus, alacres se præstent & paratos.

Vers. 2 *Ne cujus famam lædant, ut sint à pugnis alieni, moderati, omnem exhibentes lenitatem erga quosvis homines.*

Secundum mandatum de officiis charitatis erga quosvis extra Ecclesiam, vel intra eam: officia hæc sunt quatuor: 1. Ut aliorum famæ consulant nemini maledicentes: 2. Ut sint à contentione & pugnis alieni: 3. Ut moderationi & æquitati studeant, parati (ubi opus est) cedere de suo privato jure: 4. Ut mansuetudinem & lenitatem ostendant erga quosvis homines etiam pessimos.

Vers. 3. *Nam eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes:*

Rationes mansuetudinis exercendæ erga quosvis reddit duas.

Ratio prima, Quia nos quoque ante conversionem tales eramus, quales nunc sunt illi, nempe eramus omnes per naturam multis nominibus *culpandi* interim tamen cupiebamus humaniter & leniter tractari ab omnibus:

ab omnibus: Ergo pari ratione agamus cum iis qui nondum conversi sunt. Morbos naturæ enumerat quinque: 1. Eramus *amentes*, quia mera vanitas est tota hominum sapientia, quandiu DEUM non cognoscimus, ignoramus enim rectam regulam, & fontem verum, & debitum finem actionum nostrarum: 2. *rebelles*, Quia nihil eorum quæ vel DEUS, vel conscientia præcipit, faciunt homines per naturam, sed quod sibi, ipsis placet tantùm: 3. *Errantes* nempe à vera via quæ ducit ad vitam æternam, & erroribus decepti longius à DEO indies recedentes 4. *Servientes* cum delectatione cupiditatibus & voluptatibus variis, quæ regnant simul, & quasi per vices imperium ostentant in omnibus irregenitis: 5. *Destituti* eramus verâ dilectione DEI & proximi, degentes in malitia & invidia, lætantes de malo, & tristantes de bono proximorum; alii alios odio habentes, interim omnes & singuli odio DEI dignissimi eramus.

Vers. 4. *Sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei,*

Ratio 2. Quia nos quantumvis perversi fuerimus, tandem per DEI gratiam tamen conversi sumus. Ergo debemus lenitatem erga non conversos exercere, & benè de iis sperare, qui eâdem divinâ gratiâ poterint similiter converti.

Benignitas] Hanc rationem explicat, & gratiam nobis factam in conversione commendat, & probat undecim rationibus: 1. Ex causa remotiori *bonitate* scilicet & benignitate DEI, quæ in commodum nostrum gaudet sese exerere & nobis bonum communicare· 2. Ex causa propinquiori, quæ est φιλανθρωπια, seu dilectio illa quâ DEUS prosequitur humanum genus supra omnes alias creaturas: 3. Ex instrumentali causa, seu modo revelationis Euangelii, quod non minùs gratiosè nobis illuxit, & sine nostra procuratione, vel opera editum est, quam Sol (unde similitudo illucescendi ducitur) oritur sine opera nostra super nos: 4. A causa proxima conversionis, quæ est efficax manifestatio DEI, ut Salvatoris, facta nobis qui simul ac cordibus nostris se manifestat, non ut Judicem nostrum qui nos condemnet sed ut Servatorem nostrum, qui nos salvos præstet illico, per hanc sui manifestationem trahit cor nostrum ad se, & convertit nos.

Vers. 5. *Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia*

misericordia servavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus sancti:

Ratio quinta à remotione omnium operum nostrorum, & omnis meriti in nobis, aut nostris operibus, quæ vel tempore præcesserunt efficacem vocationem nostri, vel quæ prævideri, & quasi feciſſemus, considerari poterant: 6. Expressè affirmando *misericordiam* esse causam salutis: 7. DEUM Autorem statuendo Sacramentorum, seu mediorum Salutis externorum, & simul etiam Autorem regenerationis, seu renovationis nostri; atque ita mediorum salutis internorum, per quæ perducimur ad salutem (idem intellige de aliis mediis) quæ non sunt à nobis, sed à SPIRITU Sancto, seu DEO solo Autore: Qui solus sine nobis lavacrum Baptismi instituit pro Sacramento, & gratiam obsignatam per Baptismum (nempe ablutionem à sordibus peccatorum, & renovationem imaginis DEI, in sanctitate & justitia) solus operatur in nobis.

Vers. 6. *Quem effudit in nos copiosè per Iesum Christum servatorem nostrum*:

8. A gratiarum SPIRITUS Sancti in nos copiosè effusarum causa meritoria, quæ est, IESUS CHRISTUS Servator noster: & fons à quo, & canalis per quem, gratia DEI ad nos derivatur.

Vers. 7. *Ut justificati ipsius gratia, hæredes efficeremur secundùm spem vitę æternæ.*

9. A natura justificationis gratuitæ, siquidem non ex operibus justificamur sed ex CHRISTI gratia: 10. A modo adeundi vitam æternam, ad cujus possessionem, non ut emptores, seu mercatores, sed ut hæredes constituti, admittimur: 11. A causa instrumentali, spe, seu fide, quæ promissionibus DEI gratuitis nititur, (non meritis ullis nostris) & opera nostra prorsus excludit, siquidem hæredes efficimur vitæ, secundum spem, quam DEI promissiones nobis fecerunt.

Vers. 8. *Fidus* est *hic sermo, & hæc volo te affirmare, ut studeant bona opera tueri qui crediderunt Deo, id est quæ* sunt *honesta & hominibus utilia.*

Vers. 9 *Stultas autem quæstiones, & genealogias & contentiones ac pugnas legales cohibe: sunt enim inutiles & vanæ.*

Tertium mandatum, Ut cum doctrina fidei conjungat, & pro autoritate urgeat, doctrinam bonorum operum ex fontibus fidei educendorum, curetque

curetque ut fideles, Patroni sint bonorum operum, siquidem gratis donati sunt vitâ. Rationes mandati addit duas: Ratio 1. Quia sermo de hoc mandato fide dignus est, & maximè necessarius, & verus seu fidelis, qui obedientes minimè frustretur, aut fallat.

Bona] Ratio 2, Quia hujus generis doctrina bona est, & utilis hominibus, quia ad DEUM glorificandum, & ad seipsos confirmandum, de certitudine salutis, & ad alios in fide ædificandum, & ad infideles convertendum, conducit.

Stultas] Mandatum 4. Ut compescat curiosas quæstiones, quibus homines solent sese intricare & impedire, ne quid fixum in veritate agnita teneant: quales sunt quæstiones Genealogicæ, seu Chronologicæ: & Eristicæ disputationes, & pugnæ de legalibus ceremoniis, & similes.

Sunt enim] Rationem addit. Quia etiamsi illæ quæstiones sapientiam præ se ferant, stultæ tamen sunt & vanæ & inutiles, siquidem ad ædificationem in fide & sanctitate vitæ nihil conducunt.

Vers. 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem rejice:*

Mandatum 5. In quo præcipit Apostolus Tito, vt hæreticum hominem, seu eum qui sanæ doctrinæ contrarium tenet, & in Ecclesia sectam factitat, seu unitatem Ecclesiæ errore aliquo suo rumpit (publicè convictum *coram Presbyterio*, & admonitum semel atque iterum) per excommunicationem tandem rejiciat, nec se & Ecclesiam plus quam satis est istiusmodi hominum disputationibus fatiget, vel tempus docendæ Ecclesiæ destinatum amittat, frustra cum perversis hominibus disputando.

Vers. 11. *Ut qui noris eversum esse eum qui sit ejusmodi, & peccare, & qui suo præjudicio sit condemnatus.*

Rationem addit, Quia frustra disputatur adversus pervicacitatis jam convictum; nam à veritate cecidit, & eversus est ita, ut non patiatur se ædificari amplius, & respuendo lucem in admonitionibus oblatam, conscientiæ suæ vim se facere manifestum facit.

Vers. 12. *Quum misero Arteman ad te aut Tychicum, stude venire ad me Nicopolin; nam illic decrevi hybernare.*

Mandatum 6. privatum est, Quo revocat Titum ex Creta, & jubet eum Nicopolin venire, ubi Apostolus non videtur fuisse, quum hæc scriberet (sicut adjectio imperiti librarii alicujus post Epistolam, statuit) sed ibi hiematurus erat.

Vers. 13.

Vers. 13. *Zenam legisperitum & Apollo sedulò educito, nequid illis desit.*

Mandatum 7. etiam privatum, Ut viaticum suppeditetur Zenæ & Apollo, viris Scripturarum consultis, sed minimè opulentis.

Vers. 14. *Discant autem & nostri bona opera tueri ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi.*

Mandatum 8. Ut doceat non solùm fideles de populo, sed etiam Evangelii prædicatores, seu eos qui Pastoralis sunt ordinis, ut exemplo suo aliis præeant ex facultatibus suis contribuendo, ubi necessitas requirit: Cujus ratio additur, ne dum alios hortantur ad bona opera, ipsi fructibus carere videantur.

Vers. 14. *Salutant te qui mecum sunt omnes, Saluta eos qui diligunt nos in fide. Gratia Dei sit cum omnibus vobis. Amen.*

Concludit Epistolam: 1. Missis salutationibus à fratribus ad Titum: 2. Salutationibus à se missis, ad fideles Cretenses: 3. Benedictione Apostolicâ, quâ non Titum solùm complectitur, sed Ecclesias etiam in quarum usum Scripta est hæc Epistola, votum suum, & veritatem totius doctrinæ obsignans suo, AMEN.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI, *AD* PHILEMONEM.

EX Pastoribus Colossensibus unus Philemon, servum habebat Onesimum, qui furto admisso, fugitivus Romam venit, & speciali DEI providentiâ, audito Paulo qui in vinculis Romæ prædicabat Evangelium, conversus est ad fidem. Hunc Onesimum remittit Apostolus ad Dominum suum Philemonem, & multis Argumentis veniam illi dandam precatus contendit, ut in gratiam reciperetur. Quoniam autem Spiritus Sanctus in Onesimi negotio specimen extare voluit, & divinæ dilectionis suæ, & officii nostri erga pœnitentes, licet

sortis

sortis inter homines abjectissimæ, idcirco in communem & perpetuam Ecclesiæ ædificationem, locum huic Epistolæ inter reliquas canonicas concedi voluit Deus.

Partes Epistolæ sunt tres: Prima est præfatio accommodata ad propositum, ad versum octavum, *Altera continet petitionis Argumenta, ut restituatur Onesimus, ad* versum 21. *Tertia est Epilogus.*

Vers. 1. *Paulus captivus Iesu Christi, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adjutori nostro,*

Directio Epistolæ eosdem habet salutantes cum Epistola ad Colossenses, quæ unâ cum hâc, scripta & missa esse videtur per Tychicum, & hunc Onesimum, quem Apostolus jam conversum ad fidem, commendat Ecclesiæ Colossensi, *Cap.* 4. *vers.* 7, 8. 9.

De Pauli Apostolatu non dubitabat Philemon, ideo de eo hîc non loquitur Apostolus, sed de vinculis suis, propter Euangelium CHRISTI honorificis; adjungit Timotheum fratrem, ut socium petitionis futurum. Vocat Philemonem primò Dilectum; deinde Cooperarium, scilicet in Euangelii prædicatione, ut viam pararet ad demulcendum Philemonis animum.

Vers. 2. *Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni nostro, & quæ domi tuæ est Ecclesiæ:*

Vers. 3 *Gratia* sit *vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

Uxorem Philemonis Appiam ut in CHRISTO dilectam salutat, quippe cujus negotium commune cum marito agebatur in recipiendo servo fugitivo, addit & totam familiam, quam Philemon, ut Ecclesiam regebat: Et Archippum Pastorem Ecclesiæ, & Collegam Philemonis, ut plures haberet qui in petitione auxiliarios se præstarent, quos omnes in salutatione simul complectitur Apostolicæ benedictionis gremio.

Vers. 4. *Gratias ago Deo meo, semper mentionem tui faciens in precibus meis,*

Conciliat porro Philemonis benevolentiam, reliqua procœmii parte quatuor argumentis: 1. Quod simul gratias agat pro donis SPIRITUS Sancti Philemoni datis, simul etiam precetur pro donorum incremento.

Vers. 5. *Audiam tuam charitatem, ac fidem quam habes erga Dominum Iesum, & erga omnes sanctos*:

Arg. 2. Specialius à commendatione fidei ipsius in CHRISTUM, & charitatis inde profluentis erga omnes homines, præcipuè verò erga Sanctos: quæ duo totam hominis Christiani perfectionem continent, & hæc est *gratiarum actionis* pro Philemone materia.

Vers. 6. *Ut communicatio fidei tuæ efficax fiat, ut agnoscatur quicquid boni est in vobis per Christum Iesum.*

Arg. 3. à voto, Ut fides ipsius per bonos fructus efficaciam suam ita demonstraret, ut in honorem CHRISTI, ab omnibus magis magisque agnosceretur sincera gratia CHRISTI in ipso, & uxore ipsius latens, & hæc est *precationis* pro Philemone, materia.

Vers. 7. *Gaudium enim habemus multum, & consolationem super dilectione tua, quòd viscera sanctorum refocillata sunt per te, frater.*

Arg. 4. Ex lætitia quam habebat ex eo quod Philemon piorum necessitatibus opem ita tulerit, ut omnes se ab ipso recreatos ex intimis quasi visceribus agnoverint.

Secunda pars.

Vers. 8. *Quapropter quamvis multam in Christo libertatem habeam mandandi tibi quod officii tui est,*

Secunda pars Epistolæ, in qua Apostolus petit, ut Philemon in gratiam recipiat Onesimum, fugitivum servum suum. Argumenta sunt in hunc finem 14: Argumentum primum, Pro jure Apostolatus imperare possum, quod tui est officii: Ergo recipiendus est in Gratiam Onesimus, ubi officium in hoc negotio tibi ostendero.

Vers. 9 *Tamen propter charitatem potius precor, quum talis sim, nempè Paulus senex, nunc autem etiam captivus Iesu Christi.*

Arg. 2. Etiamsi possem tibi imperare in hoc negotio, malo tamen ex dilectione tui, imperio abstinere, & humiliter te rogare: Ergo concedendum est quod peto de Onesimo.

Talis] Arg. 3. Seni jam Paulo, & CHRISTI in vinculis captivo, & humiliter à te petenti id quod honestum & factu facile est, annuere debes, & quod gratum ei esse posset, facere. Concedendum ergo quod de Onesimo requiro.

Vers. 10

Vers. 10. *Precor autem pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Onesimo:*

Arg. 4. Petitio mea est pro Onesimo servo tuo, quem in vinculis jacens, ex vinculis Satanæ per Euangelium ad CHRISTI fidem liberavi, & quem non minùs charum habeo, quam genuinum filium meum. Ergo eum recipe.

Vers. 11. *Quondam tibi inutili, nunc verò tibi & mihi perutili, quem remisi:*

Arg. 5. Licet olim ante conversionem, inutilis tibi fuerit Onesimus, posthac tamen fidus & sedulus servus, in officiis servitutis præstandis, futurus est: Ergo,

Vers. 12. *Tu autem eum, id est, viscera mea, excipe.*

Arg. 6. Humaniter recipiendo Onesimum mea viscera refocillaturus es, sin minus, in mea viscera sæviturus es. Ergo.

Vers. 13. *Quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te mihi ministraret mihi in vinculis Euangelii:*

Vers. 14. *Sed absque tua sententia nihil volui facere: ne velut ex necessitate sit beneficium tuum, sed spontaneum.*

Arg. 7. Tanti facio Onesimi fidem in ministrando, ut ejus fidelitati commissurus essem me, & negotia mea, & usurus operâ ipsius, nisi mallem beneficium illud à te oblatum, quam per me extortum necessitate aliquâ consequi: Ergo. *Vt pro te*] Arg. 8. Tu ipse Philemon teneris mihi in vinculis inservire, nedum meo rogatu servum tuum, in beneficium tuum proprium, recipere: Ergo.

Vers. 15. *Nam forsan ideo discessit ad horam, ut perpetuum eum reciperes:*

Arg. 9. Per DEI providentiam, Onesimi fuga ad tempus, convertenda est in bonum tuum, per Onesimi in posterum constantem permansionem apud te. Ergo.

Vers. 16. *Non jam ut servum, sed amplius quàm servum, fratrem dilectum, maximè mihi, quantò autem magis tibi & in carne & in Domino?*

Arg. 10. Onesimus non est rediturus ad te servus tantùm, sed etiam frater in CHRISTO fidelis, & idcirco diligendus tibi, tum in carne,

quia domesticus tuus est; tum in DOMINO, quia Christianus est: nam cum diligatur à me, qui ejus operâ non sum usurus, quantò magis diligi debet à te, qui utilitatem fidei ejus es percepturus. Ergo.

Vers. 17 *Itaque si putas nostra esse communia, excipe eum tanquam me.*

Arg. 11. In hoc probaturus sum quanti facias meam societatem, consortium & amicitiam: Ergo.

Vers. 18 *Quòd siquid læsit te, aut debet, hoc mihi imputato.*

Arg. 12. Per solutionem objectionis, Damnum furti per quod debitor æris alieni constitutus est Onesimus, Ego Paulus præstare paratus sum, in cujus rei testimonium, volo ut damnum tibi ab Onesimo illatum in meas rationes referatur, in eumque finem pro syngrapho hanc Epistolam propriâ manu exaratam haberi volo: Ergo recipiendus est.

Vers. 19 *Ego Paulus scripsi mea manu, ego dependam: ut ne dicam tibi te etiam teipsum mihi insuper debere.*

Arg. 13. Teipsum debes mihi, quippe qui meo Ministerio conversus es, & mihi serviendo te tuaque teneris impendere; multo magis tam æquis conditionibus servum fugitivum recipere: Ergo.

Vers. 20. *Et jam, frater, hunc ego fructum abs te consequar in Domino: refocilla mea viscera in Domino.*

Arg. 14. Fructum tuæ fidei percepturus sum in Domino, si mihi annuendo, Onesimi viscera & mea refocillaveris propter CHRISTUM. Ergo recipiendus in gratiam est Onesimus.

Vers. 21. *Scripsi tibi, confisus fore ut auscultes, ut qui norim te etiam amplius quàm dico facturum esse.*

Tertia Epistolæ pars, Epilogus, in quo quatuor sunt Articuli: In primo profitetur Apostolus spem suam de impetratione veniæ Onesimo dandæ; imò & amplioris gratiæ Onesimo concedendæ, quam postulata fuit.

Vers. 22. *Simul autem etiam para mihi hospitium: spero enim me per preces vestras donandum vobis.*

Articulus 2. In quo parari sibi hospitium rogat, ut Philemon sciret Apostolum venturum, in majorem ipsius consolationem, si obtemperaret huic Epistolæ. Interim liberationis suæ ex vinculis, causas interserit duas, quæ sunt donum vel gratia DEI, & fratrum preces.

Vers. 23

Vers. 23. *Salutant te, Epaphras, (meus in captivitate propter Jesum Christum socius)*

Vers. 24. *Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei.*

Articulus 3. In quo salutatio mittitur ad Philemonem, ab iis qui in Pauli consortio erant, quæ omnia faciunt ad propositum Epistolæ scopum, sicut & quæ in præfatione posita sunt, nempe ad permovendum Philemonis animum, ut in Gratiam reciperet Onesimum.

Vers. 25. *Gratia Domini nostri Jesu Christi* sit *cum Spiritu vestro, Amen.*

Articulus 4. In quo benedictione Apostolicâ complectens Philemonem & Appiam, claudit Epistolam.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* PAULI, *AD* HEBRÆOS.

Summarium.

Etiamsi Paulus, cum sciret se omnibus Hebræis nondum conversis exosum, & fidelibus etiam multis infirmioribus, legalium rituum observationi nimium addictis suspectum, maluerit nomen suum in Epistolæ initio supprimere, ut sine præjudicio veritatem possent facilius admittere; extra controversiam tamen est eum præcipuis aliquot Ecclesis, & primariis aliquot fratribus, in quorum manus Epistola hæc primum perventura erat, nomen suum per tabellarios significasse, & cognitum fuisse, ut ex fine Epistolæ patet; Sed nobis post ejusdem Spiritus, in hac reliquisque Epistolis Paulinas demonstrationem satisfacere potest Petri Apostoli auctoritas, qui singulari Dei providentia, Capite tertio secundæ Epistolæ *suæ, ad eosdem dispersos*

Hæbræos,

Hebræos, Testatur de Epistolâ Pauli *ad eosdem scriptâ, quæ tùm in manibus ipsorum terebatur, & Paulina palam agnoscebatur; quam Epistolam commendat ibi Petrus, unà cum reliquis Pauli Epistolis, ut divinitus ab eodem* SPIRITU *sapientiæ inspiratam, ut in canonem Scripturæ jam relatam, & ab Ecclesia unanimiter cum aliis ejus Epistolis agnitam & receptam. Hanc igitur ipsissimam esse necesse est agnoscamus, nisi minùs honorificè de Ecclesiæ fide, & providentia Dei, in custodiendo Scripturæ canone, & oraculis Ecclesiæ traditis, sentiremus.*

Scopus Epistolæ est, ut Hebræos infirmos in fide, & magna ex parte rituum Legalium nimiùm tenaces, nec satis de Christi excellentia instructos; Præterea etiam ab infidelibus passim persecutionibus exagitatos, confirmaret; & ad perseverantiam in fide & obedientia Euangelii, contra omnem metum, animaret.

Partes Epistolæ (ut & aliarum Epistolarum Pauli) duæ sunt. Altera ad fidem formandam & confirmandam, ad Cap. 12. *Altera ad sanctimoniam, seu fructus fidei in vitæ conversatione proferendos spectans,* Cap. 12, & 13.

Quod ad fidei doctrinam attinet, docet Hebræos quanta sit excellentia Iesu Christi, in munere ipsius Prophetico & Sacerdotali.

Quod ad excellentiam Prophetiæ Christi, incomparabilem eam esse, & supra omnes, & homines & Angelos longè eminere docetur, Capite primo.

Tribus proximè sequentibus Capitibus usus quadruplex hujus doctrinæ in quadruplici exhortatione deducitur. Prima hortatio est, Ne deficiant à fide Christiana. Secunda, Ne quid detrahant existimationi Christi, propter ipsius in carne passiones, Capite secundo. *Tertia, Ut constanter retineant professionem fidei Christianæ,* Capite tertio. *Quarta, Ut festinent ingredi per fidem in promissam DEI requiem, dum audiunt vocem CHRISTI,* Capite quarto.

Quod ad excellentiam Sacerdotii Domini nostri Iesu Christi, Ne Judæi nimium tribuerent Levitico Sacerdotio, & in ejus ceremoniis pertinaces hærerent Probat Christum esse summum Sacerdotem, omni typico Pontifice excellentiorem, utpote verum illum Melchisedecum, correptâ interim Hebræorum ignorantiâ, qui ne capere quidem poterant quæ de Christi excellentia dicenda habebat, Capite quinto. *Unde deducitur hortatio ad progressus faciendum in cognitione, & fide Euangelii,* Capite sexto.

Christi eminentiam supra Leviticos Sacerdotes pergit demonstrare, cum respectu Personæ, tum respectu officii Sacerdotalis, Capitibus 7, 8, 9. *& parte priori* Capitis 10.

Doctrinam

Doctrinam hanc in usum deducit, hortandos, ut in veræ Religionis studio & professione confidenter & patienter pergant, imitantes fideles Confessores & Martyres, qui ante Christum natum in fide decesserunt; posteriori parte Capitis 10. & Capite 11. *In secunda Epistolæ parte variæ habentur hortationes ad officia Christiani, quæ etiam inter superioris doctrinæ usus communiores numerari possunt*, Capite 12, 13.

Caput Primum.

HOC Capite Prophetia Christi excellentiam incomparabilem, præcipuè propter ipsius Deitatem, probat novem Argumentis, quorum ultimum octo rationibus confirmatur.

Vers. 1. *DEVS multis vicibus, multisque modis olim loquutus Patribus per Prophetas, ultimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium.*

Argumentum primum, CHRISTUS DEI FILIUS præstantior est omnibus Prophetis, per quos Deus veteri Ecclesiæ, seu Patribus loquutus est; præstantioremque reddidit conditionem nostram sub Euangelio, quam erat illa Patrum sub lege: Nam, primò, Illi Prophetæ per inspirationem erant, non quum volebant, sed tantùm prout acti erant à CHRISTI SPIRITU; & ut DEI *Ministri* loquebantur: CHRISTUS verò *filius est* DEI, & Princeps Prophetarum, qui *suâ ipsius autoritate*, non minus quam Patris nomine, loquutus est: 2. Prophetæ illi *multi* erant, per quos olim *multis vicibus, variis* revelandi modis, per *partes*, gradatim, salutaris doctrinæ claritatem Deus Ecclesiæ manifestavit; filius vero *unus est*, per quem Pater *semel plenè, planè, & ultimo totam* suam voluntatem novissimis mundi temporibus *uniformiter* enarravit nobis, qui sub Euangelio vivimus. Ergo Prophetiæ ipsius excellentia incomparabilis est.

Vers. 2. *Quem constituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit.*

Arg. 2. CHRISTUS, sicut per naturam est hæres genitus: sic etiam æternâ DEI ordinatione ad officium Mediatoris, & ex pactione speciali constitutus est hæres, seu Dominus proprietarius omnium creaturarum, in cœlo & terra. Idcirco ejus excellentia incomparabilis est.

Per quam]

Per quem] Arg. 3. Per eum jam ab æterno existentem Pater mundum, & omnia quæ in eo sunt, non ut per instrumentum, sed ut per verbum, & sapientiam suam condidit. Ergo ejus excellentia incomparabilis est.

Vers. 3. *Qui quum sit splendor Gloriæ, & character personæ illius, sustineatque omnia Verbo illo suo potente, purgatione peccatorum nostrorum per seipsum factâ, sedit ad dextram Majestatis illius excelsissimæ.*

Arg. 4. CHRISTUS, quantum imperfecta similitudo aperire potest, est ἀπαύγασμα splendor ille gloriæ Patris, seu glorioſæ ejus naturæ in luce inacceſſa, refulgentis, *effulgentia*: In, & à Patre, ex Patris substantia ὑμοούσιος genitus est, qui licet sine eo Pater nunquam fuerit, nec esse potuerit, à Patre tamen est distinctus, & in æternum indivulsus, per quem Pater revelat, & gloriam suam communicat, ut Sol per splendorem suum nobis fit conspicuus: Ergo incomparabilis est ejus excellentia.

Character] Arg. 5. CHRISTUS est character, seu expressa imago Personæ Patris, id est, (quantum de eo imperfecta similitudo docere nos potest,) distincta est à Patre persona, Patrem in omnibus referens, unius ejusdemque formæ seu essentiæ, qui Patrem nobis ad vivum repræsentat, ut qualis est Filius, talem & Patrem esse agnoscamus: Ergo incomparabilis est ejus excellentia.

Sustineatque] Arg. 6. CHRISTUS omnes creaturas in Cœlo & terra sustentat, tuetur, conservat, nutu seu verbo divino suæ potentiæ, seu virtute Deitatis suæ: Ergo excellentia ejus incomparabilis est.

Purificatione] Arg. 7. Purgationem omnium peccatorum nostrorum pleniſſimè impetravit, acquisivit, & fecit, quatenus pontifex, & θυσιαστὴς est, non adjutus à quoquam, non per victimam ullam legalem, sed per semetipsum in cruce semel oblatum: Ergo excellentia ejus incomparabilis est.

Sedit] Arg. 8. Post expiationem peccatorum nostrorum per se solum semel factam, consedit θρονιστὴς ut Rex Ecclesiæ ad dextram Majestatis in excelsis, æquali honore & potentiâ cum DEO Patre regnans, & gubernans omnia: Ergo incomparabilis est ejus excellentia.

Vers. 4. *Tantò præstantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis sortitus est nomen.*

Arg. 9.

Arg. 9. CHRISTUS tanto præstantior est Angelis, quantò nomen filii DEI præstantius est nomine Angeli, seu nuntii: Nomen autem *filii DEI* CHRISTO competit, & secundùm divinitatem, ex æterna generatione, communicatâ ipsi totâ essentiâ divinâ; & insuper secundùm humanitatem, non per adoptionem, sed per unionem datum est ei hoc nomen, siquidem eadem persona, quæ fuit filius DEI *incarnandus*, est jam filius DEI *incarnatus*, humanâ naturâ in unionem & unitatem personæ secundæ, assumptâ & evectâ.

Vers. 5. *Nam cui dixit unquam Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rursum, Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius?*

Hoc argumentum ultimum Apostolus confirmat octo rationibus, quarum septem priores ex totidem testimoniis Scripturæ petuntur.

Ratio prima, ex PSAL. 2. 7. De CHRISTO dicit DEUS PATER; *Filius meus es, ego hodie genui te.* Ex quo loco probatur CHRISTI Deitas, eo quod alio, & altiori modo sit Filius, quam Angelorum quisquam, Filius nempe per æternam generationem: id quod confirmatur ex *Act.* 13. 33. & *Rom.* 1. 4. Ubi hic locus applicatur ad manifestationem Deitatis CHRISTI, quam habebat ab æterno, ante manifestationem factam per resurrectionem à mortuis. Nam nisi CHRISTUS in se fuisset Filius, non potuisset declarari mundo Filius. Et licet in Scriptura aliquid dicatur tum fieri cum patefit, Et sic *Hodie genui te*, erit *Mundo hodie Unigenitum meum declaravi te*; debet tamen (*hodiè*) non tantùm notare tempus declarationis CHRISTI Θεανθρωπε ut filii, sed etiam æternam & constanter immutabilem ejus generationem significare. Nam æternitas optimè denotatur adverbio, *hodiè*, quo præsens dies significatur; quia æternitas quasi unus dies est, idemque totus semper præsens, in quo non est successivum quidquam, seu aliud post aliud, sicut in nostro tempore, sed unà constans immutabilis permanentia. Et hic etiam utitur verbo præteriti temporis, ut licet præsentem audias, perfectam tamen intelligas generationem, sicut splendor Solis perfectus est, & tamen continuo emanat ex sole: Ergo CHRISTUS Angelis tanto est excellentior, quanto est Filius nuntio præstantior.

Ego ero] Ratio 2. Ex 2 *Sam.* 7. 19. Ubi in typo Salomonis promittit DEUS missionem Messiæ, quem Filium suum palam agniturus, & mundo declaraturus esset.

Vers. 6. *Rursum autem cum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei*

Ratio 3. Ex *Psal.* 97. 7. Cum DEUS quasi jam introducturus esset Filium in mundum per incarnationem (ut Primogenitum suum, seu Hæredem omnium, propter ipsius nativum jus in omnia) communicat cum eo, sicut essentiam, sic gloriam suam soli DEO propriam, imperando, ut etiam Angeli omnes eum adorent. Ergo CHRISTUS Angelis excellentior.

Vers. 7. *Et de angelis quidem dicit, Qui Angelos suos facit Spiritus, & ministros suos, ignis flammam.*

Ratio 4. ex *Psal.* 104. 5. Angelos secluſit DEUS à Divinæ gloriæ, seu adorationis & cultus communione, & constituit eos Ministros suos, qui ipsi (sicut venti vel flammæ) ad nutum serviant. Ergo CHRISTUS Angelis excellentior est.

Vers. 8. *Ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi: virga recta, virga regni tui.*

Vers. 9. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, ultra consortes tuos.*

Ratio 5. Ex *Psal.* 45. 7, 8. DEUS per os Prophetæ testatur de Filio: 1. Quod sit DEUS: 2. Quod thronum seu regnum habeat in Electos, æternum: 3. Quod omnipotenti gratiâ SPIRITUS sui, in justitia perficiat subditos; per fidem justificatos in via rectitudinis dirigens ad vitam æternam: 4. Quod Filius DEI CHRISTUS sicut est DEUS, sic etiam homo futurus fuerit, cum hæc prædicebantur: 5. Quod fœderis Gratiæ cum Patre initi, altera pars fœderata fuerit, qua homo & princeps fœderatorum, Patrem suum, DEUM suum habiturus: 6. Quod oleo SPIRITUS Sancti (per quem omnis lætitia & felicitas communicatur ejus subditis) absque mensura perfundendus fuerit, ut de ejus plenitudine omnes consortes, fœderati & electi DEI, quantùm satis est, sortirentur: Ergo CHRISTUS Angelis est excellentior.

Vers. 10. *Et, Tu in initio Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli:*

Vers. 11. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut vestimentum veterascent:*

Vers. 12.

Vers. 12. *Ac velut amictum circumvolves eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.*

Ratio 6. ex *Psal.* 102. 25. 26. Filius est *Jehova*, essentiâ Deus, unus cum Patre & Spiritu Sancto: 2. Et Creator omnium creaturarum in Cœlo & Terra: 3. Et in se immutabilis in æternum, semper sibi constans: Ergo Angelis excellentior est.

Vers. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit unquam, Sede ad dextram meam, usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

Ratio 7. ex *Psal.* 110. Nulli unquam Angelorum communicavit Pater eam quam Christo, Messiæ, Filio suo, Mediatori, & Ecclesiæ Capiti, concessit æqualitatem Honoris & Potentiæ, & Victoriam in omnes communes hostes Patris & Filii: Ergo Christus excelentior est Angelis.

Vers. 14. *Nonne omnes sunt ministratores Spiritus, qui ministerii causa mittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis?*

Ratio 8. Omnes Angeli sunt spiritus ministratores, qui non tantùm servire tenentur Christo, sed etiam omnibus Electis, seu Fidelibus, qui hæredes vitæ æternæ designantur à Deo: Ergo Christus tantò illis excellentior, quantò nomen Filii Dei excellentius est nomine ministrantium Spirituum.

Caput Secundum.

Superioris doctrinæ (de Prophetiæ & personæ Christi excellentiâ) sequitur usus duplex. Primus, ne deficiant à veritate doctrinæ ipsius, ad vers. 6. *Alter, ne quid detrahant existimationi* CHRISTI, *propter ipsius passiones in carne, ad finem.*

Vers. 1. *Propterea oportet nos eo magis attendere iis quæ audivimus, ne quando perfluamus.*

Primi usus propositio hæc est, Oportet nos attentiùs auscultare (id est credere & obedire) doctrinæ Christi, seu ejus Euangelio.

Argumenta ad probandam hanc propositionem sunt sex: Argumentum primum in verbo *Propterea* continetur, Quia scilicet jam demonstrata est, Capite superiori, Prophetiæ CHRISTI excellentia. Idcirco attentius oportet auscultare ejus doctrinæ.

Ne quando] Arg. 2. Nisi sedulò attendamus ejus doctrinæ, periculum est ne aliquando perfluamus, ne elabatur nobis ejus veritas & ne nos deficientes ab eo, pereamus: Ergo attentius auscultare nos oportet ejus doctrinæ.

Vers. 2 *Etenim si per Angelos dictus sermo fuit firmus, omnisque transgressio & contumacia justam mercedis retributionem retulit:*

Hoc confirmat à comparatione Legis & Euangelii, in qua varia alia Argumenta continentur.

Arg. 3. Si sermo legis pronunciatus per ministerium Angelorum, seu nunciorum, quorum ministerio DEUS usus est, firmus, ratus, authenticus, divinus, & inviolabilis habitus est, multò magis sermo Euangelii per Filium CHRISTUM prolatus, talis haberi debet: Ergo auscultandum est doctrinæ CHRISTI Filio DEI.

Omnisque] Arg. 4. Si omnis transgressio & contumacia adversus legem (quæ doctrina est mortis meritæ) justam mercedem, seu retributionem capitalis supplicii retulit; Non poterimus nos effugere perditionem, si Euangelium salutis gratuitæ neglexerimus. Ergo auscultandum attentius CHRISTI Euangelio.

Vers. 3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ quum primùm enarrari cœperit per ipsum Dominum, ab iis qui ipsum audierant, fuit nobis confirmata:*

Vers. 4. *Testimonium illis præbente Deo & signis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus, pro sua voluntate.*

Arg. 5. confirmans superius, Verbum Euangelii immediatè publicatum est ab ipso IESU CHRISTO Domino, in terris agente, & cum autoritate prædicatum est Ecclesiæ per Apostolos, qui oculati & auriti erant Testes doctrinæ ejus: Et denique, omnis generis donis SPIRITUS, & variis miraculis prædicationem Apostolorum comitantibus, quasi divinitus addito sigilli Divini testimonio confirmatum est. Ergo nisi attentiùs auscultemus ejus doctrinæ, impunè ferre non poterimus tantæ salutis nobis ita confirmatæ, neglectum.

Vers 5.

Vers. 5. *Non enim Angelis subjecit mundum illum futurum, de quo loquimur.*

Mundi nova conditio futura sub Messia, seu mundus restaurandus, in gratiam Messiæ, de quo loquebamur, à versu sexto superioris Capitis, non subjicitur Angelis, sed CHRISTO DEI Filio. Ergo si Angelis (qui servi sunt,) non attentè auscultare nefas fuit, quanto magis capitale erit potentissimum mundi instaurati regem aspernari *Ecclesia.* Quasi novus mundus, per Evangelium colligenda, seu nova creaturæ conditio sub MESSIA, vocatur *Mundus*, Quia tota gloria quæ in ornatu universi jam apparet, glorioſius splendet quando in nostrum usum convertitur per CHRISTUM. Dicitur *futurus mundus*, propter renovationis perfectionem, non nisi in futuro seculo perfectè futuram: Incepit jam quidem CHRISTUS nova omnia facere in suis, & propter suos, sed quod incepit, non nisi in die novissimo completum dabit, quando creatura asseretur à servitute corruptionis in libertatem glòriæ filiorum DEI.

Secunda pars.

Vers. 6. *Testatus est autem quidem alicubi: dicens, Quid est homo, ut memor sis ejus? aut filius hominis, ut eum respicias?*

Hoc argumentum confirmans ad secundam partem Capitis dilabitur, ut probet nihil decedere de CHRISTI excellentiâ vel æstimatione, per incarnationem, vel passiones ejus in carne: quod erat scandalum Hebræorum. Argumenta in hunc finem sunt quatuordecim, ex quibus infert conclusionem probandam, versu primo sequentis Capitis, per admonitionem ad considerandum, quis nam sit CHRISTUS, id est, quam excellens sit in officiis Apostolatus, seu Prophetiæ & Sacerdotii sui, in quibus humiliatus & passus est.

Argumentum primum, ex *Psal.* 8. *vers.* 5. In hunc sensum; Apud DEUM in pretio & honore admirabili habetur homo CHRISTUS, & alii homines ejus subditi propter Eum, si DEI Majestas, & operum ejus magnificentia, cum humanæ naturæ vilitate comparentur, vel si quantus DEUS sit, & quam eximia ejus alia opera, & quantulus homo sit, consideretur: Ergo non debet CHRISTI quâ homo est, æstimatio apud nos deminui propter humanæ naturæ quam assumpsit, infirmitates & passiones.

Vers. 7

Vers. 7. *Fecisti eum paulisper inferiorem Angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Arg. 2. ex *Psal.* 8. *vers.* 6. Etiamsi CHRISTUS tempore humiliationis, inferior factus fuerit Angelis, respectu passionum in carne; Non tamen fuit illa humiliatio perpetua, sed ad breve tempus, & ex parte tantùm, humanæ naturæ patientis respectu; Quia pretio redemptionis persoluto, resuscitatus est à mortuis, evectus ad DEI dextram, & gloriâ & honore coronatus, Dominus & Rex declaratus super opera DEI omnia: Ergo nihil detrahi debet de ejus æstimatione, propter passiones in carne.

Vers. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Enimverò per hoc quòd ei subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum: at nunc nondum videmus ei omnia esse subjecta.*

Vers. 9. *Sed Iesum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui paulisper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpessionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem gustaret:*

Arg. 3. Ex *Psal.* 8. *vers.* 7. Angelorum DOMINUS est CHRISTUS, etiam qua homo; DEUS enim subjecit ei omnia opera manuum suarum, sine exceptione, & sic inter alia Angelos. Ergo nihil detrahendum CHRISTI æstimationi, propter humanæ naturæ assumptæ infirmitates.

At nunc] Arg. 4. Per solutionem objectionis propositum, Etiamsi nondum cernamus omnia subjici CHRISTO, respectu membrorum suorum, quibus quotidie se opponunt hostes quam plurimi; Videmus tamen non oculis Fidei tantùm, sed etiam rationis lumine per indicia multa, & miraculorum multitudinem convicti, CHRISTUM post humiliationem infra conditionem Angelorum, jam gloria & honore coronatum, in sua persona in Cœlo, & sedentem ad dextram Patris, donec omnes hostes ponantur in scabellum pedum ipsius, atque ita videmus victoriam CHRISTI inchoatam. Ergo nihil detrahendum æstimationi CHRISTI propter ejus passiones, sive in persona propria, sive in membris ipsius.

Paulisper] Arg. 5. Ex prædictione humiliationis, *Psal.* 8. *v.* 6. Ex decreto DEI, & ad complementum Prophetiarum de CHRISTO, oportuit eum humiliari, & mortem pati, & in hunc finem, inferiorem aliquâ ex parte Angelis reddi, ut mortem pateretur. Ergo non detrahendum ejus æstimationi propter ipsius passiones.

Gustaret]

Gustaret] Arg. 6. Non temere nec necessitate coactus, passus est CHRISTUS sed ex gratia, seu gratuita voluntate DEI erga nos, mortem ad breve tempus degustavit, non pro se, sed pro omnibus nobis *filiis adducendis ad salutem* scilicet, ut versu sequenti exponitur. Ergo non minuenda ejus existimatio, propter carnis assumptæ passiones.

Vers. 10, *Decebat enim ut ipse propter quem* sunt *hæc omnia, & per quem* sunt *hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem salutis ipsorum per afflictiones consecraret.*

Arg. 7. Conveniebat gloriæ DEI, qui Autor & Finis est rerum omnium, cum per CHRISTI passiones maximè manifestari potuerint, ejus justitia, misericordia, sapientia, potentia, reliquaque attributa, ut CHRISTUM Principem salutis nostræ, per afflictiones consecraret, inauguraret, consummaret, & omni ratione idoneum redderet, quo decentius multos filios ad vitam electos in gloriam per afflictiones adduceret, non doctrinâ suâ tantùm, nec exemplo vitæ tantùm, sed etiam merito ignominiosæ suæ mortis pro ipsis redimendis, obeundæ. Ergo non minuenda ejus existimatio, propter carnis assumptæ passiones.

Vers. 11. *Nam & qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno* sunt *omnes: quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare*,

Arg. 8. Redemptor & Redempti, Sanctificator & sanctificati, non tantùm ex DEI decreto, & Scripturæ prædictionibus, sed etiam ex ipsa justitia, unius ejusdemque sunt naturæ, ejusdem naturalis massæ, ab eodem Adamo derivati: Justitia enim & Sapientia DEI requirebat, ut in natura humana quæ peccaverat, plecteretur peccatum: Et idcirco exigebat ut Redemptor hominum verè HOMO esset. Ergo propter humanæ naturæ infirmitates assumptas, CHRISTI Filii DEI existimatio non est minuenda

Quam ob] Arg. 9. Confirmans superius, Messias voluit incarnari, ut posset nos fratres habere, & nobis se fratrem exhibere; & licet sit DEI Filius, non erubescit tamen Redemptos seu Electos vocare Fratres suos. Ergo non minuenda est ejus existimatio, propter passiones ipsius in carne humanâ, sed gloriari nos decet potius in ejus consanguinitate, & ipsum, passionum pro nobis nomine, tantò magis glorificare.

Vers. 12. *Dicens, Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam.*

Hoc

Hoc argumentum probat tribus Scripturæ testimoniis. Primum petitur ex *Psal.* 22. *vers.* 22. In quo CHRISTUS & suscipit in se λυτρω̃ persolutionem, & pollicetur se justitiam partam per suam obedientiam, prædicaturum fratribus suis Electis, seu Ecclesiæ Fidelium, in quorum cœtibus, etiam post ascensionem, Spiritu suo præsens est, fidem, gaudium, & gratiarum actionem in cordibus Fidelium per prædicationem Justitiæ, excitans.

Vers. 13. *Et rursum, Ego fretus ero ipso, Et iterum, Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus.*

Testimonium 2. ex *Psal.* 18. 3. Unde CHRISTUS probatur homo esse, quia in numero fœderatorum, à DEO per fidem pendentium, ponitur.

Et iterum] Testimonium 3. ex *Isa.* 8. 18. Ubi CHRISTUS inducitur à Propheta, associans se pueris, ut fratribus suis; quos DEUS elegerat, & ei redimendos, seu salvandos dederat, quos unà secum sistit Patri, in servos tandem glorificandos.

Vers. 14. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum:*

Arg. 10. CHRISTUS ex dilectione Electorum DEI Filiorum, ejusdem humanæ naturæ cum ipsis particeps esse voluit, ut posset pro iis moriendo satisfacere, & ita DIABOLI potentiam in eos abolere, quam ille, ut lictor vel carnifex habet per legem, in omnes peccatores: Ergo non est minuenda existimatio CHRISTI propter assumptæ carnis passiones.

Vers. 15. *Et liberos redderet quotquot metu mortis, per omnem vitam obnoxii erant servituti.*

Arg. 11. Inter mortis CHRISTI fructus & fines hic est, ut CHRISTUS liberaret suos à metu mortis, & temporariæ & æternæ: cui metui obnoxii totâ vitâ suâ tenentur omnes peccatores, donec apertis oculis per fidem in CHRISTUM, videant se manumissos à peccato & morte, propter morientis pro ipsis CHRISTI meritum: Ergo non est minuenda existimatio CHRISTI propter assumptæ carnis passiones.

Vers. 16. *Non enim utique Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit.*

Arg. 12

Arg. 12. CHRISTUS assumendo semen Abrahæ, seu humanam naturam in unitatem Personæ suæ, in qua ab æterno subsistebat, naturam humanam respectu Privilegiorum, dignitatis, & honoris, evexit supra naturam Angelicam, quam non assumpsit. Ergo propter assumptæ carnis passiones non est deminuenda CHRISTI existimatio.

Vers. 17. *Unde debuit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors esset & fidelis pontifex, in iis quæ apud Deum* agenda forent, *ad expiandum peccata populi.*

Arg. 13. Debuit CHRISTUS electis fratribus similis fieri naturâ, proprietatibus, affectibus, & infirmitatibus omnibus, excepto peccato, ut possent ejus fratres de fidelitate & misericordia ipsius, in sacerdotii exercitio, & perpetuâ intercessione apud DEUM pro ipsis, certiores & confidentiores esse. Ergo propter assumptæ carnis passiones nihil deminui debet de excellentiæ CHRISTI existimatione.

Vers. 18. *Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest & iis qui tentantur succurrere.*

Arg. 14. confirmans superius, CHRISTUS ex eo quod perpessus sit afflictiones, & tentationes in natura humana, idoneus per malorum experientiam factus est, cui confidamus, quod nobis similia patientibus succurrere & possit & velit. Ergo non minuenda est ejus existimatio propter assumptæ carnis passiones: Atque ita sicut superiori Capite demonstravit CHRISTUM esse verè DEI Filium, sic hoc Capite demonstravit verè esse Filium hominis; Unum, verum Θεανθρωπον; Simulque infirmitatum & passionum CHRISTI in carne scandalum, ad quod impingebant Hebræi omnes infideles, è medio sustulit.

Caput Tertium.

Indicatâ Prophetiæ & personæ Christi excellentiâ, etiam sub omnibus assumptæ carnis passionibus, Capite superiori, digito quasi intento ad hujus Excellentiæ considerationem, hortatur, ut firmiter retineant professionem fidei Christianæ, nec ab ea deficiant, adductis in hunc finem Argumentis quindecim.

Vers. 1. *UNde, fratres sancti, vocationis cælestis participes; considerate Apostolum & Pontificem professionis nostræ Christum Iesum:*

Propositio de firmiter retinendâ professione fidei continetur in hortatione ad seriam considerationem CHRISTI, Apostoli & Pontificis professionis nostræ. Arg. 1. Sanctificati estis & efficacis ad cœlestia vocationis, cœlitus participes per fidem facti estis. Ergo firmiter retinenda vobis est professio hujus fidei.

Apostolum] Arg 2. Habetis IESUM CHRISTUM Filium DEI Apostolum, seu Doctorem vestræ hujus fidei à DEO missum, & Pontificem nostrum, qui sanguine suo expiavit peccata nostra: Habetis (inquam) hunc Autorem hujus professionis. Ergo ea firmiter est retinenda.

Vers. 2 *Fidelem ei qui ipsum constituit; ut & Moses* fidelis fuit *in tota domo ipsius.*

Arg. 3. CHRISTUS in administratione Apostolatus & Pontificatus, seu Sacerdotii sibi commissi, non minùs fidelis est quam Moses, qui testimonium obtinuit à DEO, quod fidelis fuerit in tota domo ejus. Ergo Christianæ fidei professio firmiter vobis tenenda est. Quia Mosi ministro plus quam satis erat, tribuebant Hebræi, & à ceremoniis Mosaicis ægrè divelli poterant, ut ad CHRISTUM transirent, Idcirco hic deditâ operâ comparat CHRISTUM cum Mose.

Vers. 3. Tanto *namque ampliore gloria præ Mose hic dignus est habitus, quanto majorem habet honorem is qui construxit domum, quàm domus ipsa.*

Arg 4. CHRISTUS tantò excellentior est Mose, & totâ etiam Ecclesiâ, quantò conditor domus excellentior est ipsa domo, vel aliquâ ejus parte: CHRISTUS autem Ecclesiæ totius, quæ domus est DEI, conditor est. Moses verò membrum tantum est illius Ecclesiæ, & pars illius domus tantùm: Ergo professio fidei Christianæ firmiter retinenda est.

Vers. 4. *Omnis enim domus constituitur ab aliquo: porrò qui condidit omnia hæc, Deus* est.

Arg. 5. confirmans superius sub eâdem comparatione, Sicut nulla domus, neque pars domus conditur à se ipsâ sed ab alio, ita neque Ecclesia,

cleſia, neque Moſes, qui membrum eſt Eccleſiæ, conditur à ſe, ſed debet architecto ſuperiori ſui ædificationem. CHRISTUS verò qui DEUS jam probatus eſt, Conditor eſt Eccleſiæ, & ſingulorum ejus membrorum, & rerum inſuper omnium. Ergo & excellentior eſt Moſe, & doctrinæ ipſius fides & profeſſio firmiter retinenda eſt.

Verſ. 5. *Et Moſes quidem fidelis fuit in tota domo ipſius, ut ut famulus, ad teſtificanda quæ poſt dicenda erant*:

Verſ. 6. *At Chriſtus, ut Filius domui ſuæ præeſt: cujus domus ſumus nos, ſi fiduciam & ſpem illam de qua gloriamur, ad finem uſque firmam tenuerimus.*

Arg. 6. Moſes fidelis fuit, ut ſervus in familiâ alienâ ad teſtificandum, & id quidem obſcurè, quod poſteà plenius & apertius dicendum erat de CHRISTO, ipſiuſque dominio. At CHRISTUS eſt fidelis, ut Filius & Hæres, qui præeſt domui ſuæ, & loquitur ex autoritate ſua. Ergo CHRISTUS Moſe excellentior eſt, doctrinæque ejus profeſſio firmiter retinenda eſt.

Cujus domus] Arg. 7. Si firmiter retineamus fiduciam & ſpem vitæ æternæ, per CHRISTUM nobis partæ & communicandæ, (in qua ſpe nunc gloriamur) declarabimus nos eſſe domum ejus, ſeu veram ejus Eccleſiam, in qua DOMINUS habitaturus eſt. Ergo profeſſio fidei Chriſtianæ firmiter retinenda eſt.

Verſ. 7. *Quapropter ſicut dicit Spiritus ille Sanctus, Hodie ſi vocem ejus audieritis,*

Verſ. 8. *Ne obdurate corda veſtra, ſicut in exacerbatione in die tentationis illius in deſerto*:

Verſ. 9. *Ubi tentaverunt me patres veſtri: probaverunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis.*

Arg. 8. ex *Pſal.* 95. 8, 9, *&c.* Niſi firmiter retineatis fidem CHRISTI, futuri eſtis inobedientes SPIRITUI Sancto, qui in Scriptura vetat obdurare corda, cum auditis DEI verbum, ſeu ne loquentem DEUM rejiciatis, vel ne verbo ejus vos ſubjicere recuſetis. Ergo firmiter retinenda eſt fidei Chriſtianæ profeſſio.

Sicut in] Arg. 9 ex 17. *Exodi*, Cavendum vobis eſt pravum exemplum Patrum veſtrorum, qui ex infidelitate in deſerto tentarunt DEUM, qui potentiam & bonitatem ſuam, operum ſuorum teſtimonio totos

quadraginta annos, in ipsorum conspectu probatam dederat. Firmiter ergo vobis Christiana fides retinenda est.

Vers. 10. *Quapropter infensus fui nationi isti: & dixi, Semper errant corde: neque cognoverunt vias meas.*

Arg. 10. ex verbis *Psal.* 95. nisi in fide firmi perstiteritis, Hæredes futuri estis iræ DEI, in Gentem incredulam denunciatæ, & condemnandi estis ejusdem pravitatis cum Patribus vestris, qui in cordibus suis affectarunt errorem, nec voluerunt DEI vias cognoscere. Ergo in fide vobis firmiter persistendum est.

Vers. 11. *Itaq; juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.*

Arg 11. ex eodem Psalmo, Nisi firmi in fide permanseritis, periculum est ne juramento irati DEI secludamini à regno Cœlorum, seu à requie DEI. Ergo in fide constanter vobis est permanendum.

Vers. 12. *Videte, fratres, ne quando sit in ullo vestrûm cor malum & infidele, deficiendo à Deo vivo:*

Arg. 12. Ex applicatione citati exempli, per hortationem propositum, Nisi singuli caveatis vobis assiduò, à nativa cordis pravitate & incredulitate, defecturi estis procul dubio à DEO vivente. Ergo in fide vigilanter persistendum est.

Vers. 13. *Sed exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: nequis ex vobis induretur fraude peccati.*

Arg. 13. Singulis incumbit, non vobisipsis solum cavere ne deficiatis, sed etiam per mutuas hortationes, quamdiu occasio datur, curare, & operam dare, ne quis ex vestro numero per seductionem peccati obfirmet animum in quovis vitio, ne defectio in religionis negotio sequatur, ex corruptela morum: Ergo ut omnes & singuli in fide perstent, laborandum est.

Vers. 14. *Christi enim participes facti sumus, si modo principium illud quo sustentamur, firmum tenuerimus ad fidem usque:*

Arg. 14. Nemo verè particeps est JESU CHRISTI in præsenti, qui non firmiter ad finem usque retinuerit principium illud per quod sustentamur, id est fidem per quam subsistimus in vitâ nostra spirituali. Ergo in fide firmiter permanendum est.

Vers. 15. Interim *dum dicitur, Hodie si vocem ejus audieritis, ne obdurate corda vestra, ut in exacerbatione.*

Vers. 16.

Vers. 16. *Nam quidam quum audissent, exacerbarunt* Dominum, *non omnes tamen ii qui exierant ex Ægypto per Mosen.*

Vers. 17. *Quibus autem infensus fuit quadraginta annis? nonne iis qui peccaverant, quorum corpora conciderunt in deserto?*

Vers. 18 *Quibus autem juravit non ingressuros in requiem suam, nisi iis qui non obedierant?*

Vers. 19. *Et videmus non potuisse ingredi propter incredulitatem.*

Arg. 15. Ex consideratione circumstantiarum textus Psalmi citati, in hunc sensum, Ex verbis Psalmi citati, vers. 15. colligere licet non omnes, sed aliquos tantùm DEUM exacerbasse, (aliqui enim in fide promissionum perseveraruut, vers. 16.) qui autem DEUM exacerbarunt, soli erant illi qui ab exitu Egypti ad vitæ suæ finem permanserunt increduli: quique ita DEUM provocarunt, ut in ira DEUS eos occiderit in deserto, *vers.* 17. & incredulitatis jam damnatos juramento secluserit à requie sua, *vers* 18. Quos cum ex historia videamus non potuisse ingredi in DEI requiem propter incredulitatem, *vers.* 19. Sequitur necessariò vos quotquot cum fidelibus (qui ab ira & exclusione à DEI requie excipiuntur) servari cupitis, & cum incredulis, à DEI requie seclusis, arceri non vultis, in fide CHRISTI firmiter persistere oportere.

Caput Quartum.

Vers. 1. *Metuamus igitur nequando derelicta promissione introeundi in requiem ejus, videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus.*

INsistens in loci ex *Psal.* 95. citati, expositione & applicatione, hortatur ut testiment', per fiduciam in CHRISTUM, ingredi in requiem DEI. Per *requiem DEI*, intelligit spiritualem illam & cœlestem requiem, quâ cessamus à peccato, & tranquillitatem habemus in conscientiâ, ex pace erga DEUM. & tuti habitamus sub umbra DEI, cujus initium est in hac vita, & complementum in vita futura: in hanc requiem per fidem magis magisque ingredimur,

gredimur, donec tandem consequamur plenum, refrigerium in adventu Domini. Argumenta hortationis sunt undecim.

Derelicta] Argumentum primum, In gremio comminationis, versu ultimo *Psal.* 95. relinquitur nobis fidelibus promissio introeundi in requiem DEI. Ergo festinandum vobis ut per fidem in requiem illam ingrediamini.

Metuamus] Arg. 2. Nisi festinetis in cursu fidei, ingredi in promissam requiem, periculum est, ne nimium tardando excludi videamini, vel excluſi inveniamini: Segnis enim & otiosa fides meritò suspecta est. Ergo cum timore qui acuat diligentiam, vobis festinandum est, ut ingrediamini in requiem.

Vers. 2. *Etenim nobis euangelizatum est sicut & illis: at non profuit illis auditus sermo, ut qui fidei mixtus non fuerit ipsis qui audierant.*

Arg. 3. confirmans utrumque præcedens, Cum eadem illa Euangelica promissio, eâdem conditione prædicetur tam nobis quam illis, & non profuerit sermo auditus illis, qui fide admistum non susceperunt, sed solùm iis qui per fidem eum amplexi sunt; Sequetur neque nobis profuturam hanc promissionem introeundi in requiem, nisi fide amplectentes promissiones studeamus in requiem ingredi: & contra, sequetur promissionem nobis profuturam, si per fidem ingredi curæ sit: Studendum ergo ut ingrediamini.

Vers. 3. *Introimus enim in requiem nos qui credimus. sicut dixit, Itaque juravi in ira mea si ingressuri sint in requiem meam: licet operibus à jactis fundamentis mundi perfectis.*

Vers. 4. *Ita enim dixit quondam in loco de septimo die, Et quievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.*

Vers. 5. *Et hìc rursum, Si introibunt in requiem meam.*

Arg. 4. Nos qui credimus in CHRISTUM aditum in requiem habemus apertum nobis per fidem: Ergo festinemus per fidem progredi, donec plenam requiem consequamur.

Juravi] Arg. 5. confirmans superius, Dominus in ira jurans excludendos infideles à requie, à contrario jurat admittendos esse fideles in requiem ejus: Ergo juranti DEO fidem habentes, festinemus magis magisque ingredi in ejus requiem.

Operibus]

Operibus] Explicat hujus argumenti vim, ad *verſ.* 10. Tribus modis: primo oſtendendo *requiem Dei* in juramento expreſſam, *Pſal.* 95. 11. Non eſſe requiem DEI *die ſeptimo*, quo DEUS requievit ab operibus novis creandis, Quia operibus illis jam initio mundi finitis, *verſ.* 3. celebrata eſt ſeptimi diei requies, ut patet ex *Gen.* 2. atque ita illa requies DEI præterit, *verſ* 4. in Pſalmo autem 95. 11. David de alia requie mentionem facit: Ergo non hic intelligitur illa prima DEI requies, per Sabbatiſmum ſeptimi Diei celebrata, *verſ.* 5.

Verſ 6. *Quia igitur reliquum eſt ut aliqui introeant in eam, & quibus prius annuntiatum fuit, non introierunt propter incredulitatem:*

Secundo, Argumentum explicat declarando conſequens, quod ſequitur ex eo, quod excludantur infideles propter infidelitatem, ne introirent in requiem; neceſſariò relinquitur (inquit) colligendum fore, ut aliqui, id eſt, fideles introeant in eam. Nam aut fideles introibunt in regnum DEI, aut infideles: At infideles non introibunt, ſed excluduntur DEI juramento. Reliquum eſt igitur ut aliqui, id eſt, fideles introeant.

Verſ. 7. *Rurſum quendam præfinit diem, Hodie, apud Davidem dicens, tanto pòſt tempore (prout dictum eſt) Hodie ſi vocem ejus audieritis, ne obdurate corda veſtra.*

Tertio, oſtendendo requiem DEI in juramento expreſſam *Pſal.* 95. 11. non eſſe requiem typicam in terra Canaan, Quod probat, Quia David *Pſal.* 95. *verſ.* 7. 8. quendam præfinit diem *hodie* tanto tempore poſt requiem ſeptimi diei, & poſt populi ingreſſum in terram Canaan, nempe *diem patientiæ* DEI: quandiu, *viz.* audimus vocem DEI: quandiu admonemur ne induremus corda, quandiu DEUS, hominibus ipſius vocem audientibus offert ingreſſum in requiem ſuam, niſi per infidelitatem induraverint corda ſua, Ergo per requiem DEI non intelligitur à Propheta Davide requies in terra Canaan typica.

Verſ. 8. *Nam ſi eos Jeſus in requie collocaſſet, nequaquam de alio poſthac die loquutus fuiſſet:*

Verſ. 9 *Itaque reliquis eſt aliquis ſabatiſmus populo Dei.*

Cujus rationem reddit, Quia ſi Joſua, ſeu IESUS typicus collocaſſet populum in requie illa DEI, quam David promittit, tum David nequaquam

nequaquam de alio post hac die loquutus fuisset in Psalmo, At loquutus est *vers.* 8. Ergo reliquus est aliquis Sabbatismus, seu alia requies populo Dei promissa à Davide, quam typica requies in terra Canaan, *vers.* 9.

Vers. 10. *Nam qui ingressus est in requiem ipsius, requievit, & ipse ab operibus suis, quemadmodum à suis* DEVS.

Vers. 11. *Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis in idem incidat contumaciæ exemplum.*

Arg. 6. Requies Dei est cessatio ab operibus nostris, sicut Deus cessavit ab operibus suis, seu est cessatio à peccatis, à molestiis à curis discruciantibus, seu anxietatibus, & miseriis omnibus nostris: Ergo festinemus per fidem ingredi in illam requiem, ne quis nostrûm ex requie Dei, cum contumacibus Israelitis excludatur.

Vers. 12. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, ac pertingit usque ad divisionem animæ simul ac Spiritus, compagumque & medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptiones cordis.*

Arg. 7. confirmans superius in hunc sensum. Sermo ille Dei, qui vocat nos ad requiem ejus, cum interminatione iræ nisi obtemperemus, non minus efficaciæ jam habet & ad servandum fideles, & ad perdendum infideles quam olim habebat; Festinemus ergo per sinceram fidem ingredi in illam requiem, ne pereamus sicut olim infideles.

Epitheta autem verbi tria sunt: 1. est *vivum*, Quia vim suam non amittit cum mortalibus prophetis, qui illud prædicant, neque cum illis mortalibus, quibus primum dicitur, sed perpetuam vim virtutemque retinet per omnes ætates, *Zach.* 1. 5. 6. 2. *Efficax* est, Quia est potentia & brachium Dei ad operandum quod pronunciat, sive in consolationem, sive in terrorem: 3 Est *penetrantius quovis gladio ancipiti*: Quia sicut gladius anceps penetrat in intimas, abditissimas, & durissimas corporis partes, sic verbum Dei penetrat perfectâ lucis manifestatione in intimos cordis recessus, qui per medullas in ossibus & per ossium commissuras intelliguntur, & in intimas animæ facultates omnes, ut discernat quid moliatur pars animæ sensitiva, quid pars intellectiva, quid intendat, quid prætendat quid cupiat unusquisque, & quibus mediis ac rationibus studeat quod intendit assequi: Pervadit, inquam, Dei

Verbum,

Verbum, omnes humanæ Animæ facultaes, ut palam faciat unicuique, si qua hypocrisis, si qua radix amaritudinis aut infidelitatis in ipso lateat, utque discernendum, unicuique proponat secundùm normam, non solùm quid intus ipse cogitet in corde suo, verùmetiam quâ intentione cogitet ac valit; ita ut qui intus meditantur apostasiam, vel apostasiæ in se semina fovent, Verbi Divini vim, nullis suis artibus, aut sophistica possint eludere, vel ictum ipsius declinare.

Vers. 13. *Nec est ulla res creata quæ non conspicua sit: coram ipso imò omnia* sunt *nuda & patentia oculis ejus qui eum nobis est negotium*.

Arg. 8. confirmans superius, Deus quibuscum nobis res est, quando cum verbo ejus nobis res est, omnia perspicit, si quid intus infidelitatis lateat sub larva professionis externæ, quia omnia, etiam intima cordis penetralia, nuda & aperta sunt in ejus conspectu, sicut cum animal per cervicem & spinam dorsi ita dividitur, ut viscera omnia pateant. Ergo studendum ut per sinceram fidem ingrediamini in ejus quietem, nec putetis eludi posse vim comminationum ejus si secus feceritis.

Vers. 14. *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus* hanc *professionem*,

Arg. 9. Habemus Iesum Christum Filium Dei, Pontificem, seu Sacerdotem magnum, qui jam penetravit Cœlos & ingressus est regnum, ut aperiat nobis aditum. Ergo retinendo professionem fidei studeamus introire.

Vers. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque peccato.*

Arg. 10. per occupationem objectionis, Etiamsi Christi Majestas terrere nos possit, ne audeamus nos indigni peccatores aspirare ad requiem illam cœlestem, ubi ejus sanctitas habitat, misericors tamen est Pontifex noster, & aliquando expertus in sua carne eadem tentationes quas nos experimur, sed sine peccato. Ergo possumus, & audere debemus per fidem ad eum contendere, & studere, ut ingrediamur in illam requiem.

Vers. 16. *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium*.

Arg. II. In hunc sensum, Non sedet DEUS in throno justitiæ accedentibus ad CHRISTUM per fidem, sed in throno gratiæ, ut in omnibus necessitatibus auxilium nobis ferat opportuno tempore. Ergo accedendum cum fiducia ad thronum gratiæ, ut sub alis propitiatorii quiescamus: quod idem est ac in requiem DEI per fidem ingredi.

Caput Quintum.

Evit excellentia Prophetiæ Jesu Christi, & necessitas adhærendi ipsi, doctrinæque ejus qui est Apostolus & magnus Propheta professionis nostræ. Sequitur excellentia Sacerdotii ipsius. Capitis duæ sunt partes, In prima probat Christum esse Pontificem, seu summum Sacerdotem, omni typico Pontifice excellentiorem, ut Hebræos doceat moderatè sentire de Levitico Sacerdotio, quod illi in præjudicium adversus Christum, nimis magni faciebant, ad vers. II. *In secunda est objurgatio segnitiei Hebræorum, ut attentiores reddat ad sequentem doctrinam. Excellentiam autem Pontificatus Christi supra Leviticum, probat Argumentis novem.*

Vers. 1. *Nam omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deum* agenda sunt: *ut offerat dona ria & victimas pro peccatis.*

Vers. 2. *Qui quantum satis est, possit miserari vicem ignorantium & aberrantium: quòd & ipse circundatus sit infirmitate:*

Vers. 3. *Et propter hanc debeat, sicut pro populo, ita & pro seipso offerre* victimam *pro peccatis.*

Argumentum primum, Perfectiones quæ requirebantur in Leviticis Sacerdotibus, *vers.* 1. 2. conjunctæ erant cum notis imperfectionis, & cum peccatis Sacerdotum, *vers* 2. 3. Ergo CHRISTUS, qui Pontifex absque peccato declaratus est, in fine superioris Capitis, excellentior est Sacerdotibus Leviticis.

Ex hominibus] Levitici Pontificis perfectiones sunt quatuor: 1. Leviticus Pontifex *ex hominibus* assumebatur, unus ex multis eligebatur: 2. Constitutus erat *pro hominibus* in iis quæ apud DEUM agenda erant, id est, ut populi vice & nomine administraret cultum DEI, DEUM orando pro populo,

populo, populum DEI nomine docendo, & ut omni qua posset ratione honorem DEI, populique salutem procuraret. 3. Offerebat *donaria* rerum inanimatarum, & *sacrificia* animalium: nunc *holocausta* pro peccatis generatim, nunc *pacifica* pro impetrandis beneficiis, nunc *Eucharistica* pro beneficiis acceptis, nunc *sacrificia pro peccatis specialibus*, Quibus omnibus virtutes sacrificii IESU CHRISTI leviter adumbrabantur.

Miserari] 4. Perfectio in officio sacerdotali requisita, est sympathia proportionata ad miseriæ populi magnitudinem, quâ tangi oportebat eos erga peccantes, sive ex ignorantiâ sive ex errore voluntario & consilio deliberato delinquentes.

Quid ipse] Notæ imperfectionis sunt duæ: 1. Quid ipsi obnoxii fuerint infirmitatibus iisdem, hoc est, ignorantiæ, & erroribus, miseriisque, quæ peccata consequuntur.

Ita & pro] Secunda nota imperfectionis, demonstrans priorem, quod ex officio obligati sint non minùs pro suis ipsorum peccatis offerre victimas, quam pro peccatis populi. Hoc primum argumentum est.

Vers. 4. *Neque sibipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron.*

Vers. 5. *Ita & Christus non sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is qui dixerat ei; Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Arg. 2. Sicut legitimi sacerdotes vocati sunt ad hujus muneris honorem, Sic CHRISTUS non tantùm legitimè vocatus est à Patre, ut Aaron, sed etiam insuper Filius DEI unigenitus, agnitus, & declaratus est, in hoc munere sacerdotali: Ergo Leviticis sacerdotibus multò est excellentior. Probatur autem antecedens ex *Psal.* 2. ubi Pater Filium alloquens, *vers.* 7. vocat eum *Filium suum quem genuit*, priùs quam jubeat eum, *vers.* 8. petere ab eo fines terræ, seu intercedere pro hominum salute, quod est sacerdotis partes exercere. Ergo ex hoc Psalmo non tantùm vocatur ad officium sacerdotale à Patre, sed etiam Filius agnoscitur, & sic excellentior est Leviticis Sacerdotibus.

Vers. 6. *Sicut & alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.*

Arg. 3. ex *Psal.* 110. CHRISTUS à Patre constituitur Sacerdos in æternum, cujus sacerdotii non est finis, secundùm ordinem typi Melchisedeci. Ergo est excellentior Leviticis pontificibus.

Vers. 7. *Qui in diebus carnis suæ, quum deprecationes & supplicationes apud eum qui poterat ipsum servare à morte, cum clamore valido, & lachrymis obtulisset, & exauditus esset ex metu,*

Arg. 4. Quinque membris constans, quæ totidem possent esse Argumenta: 1. CHRISTUS hic est Filius DEI, ut etiam sit homo, seu filius in carne nostra, cujus infirmitates sine peccato ille aliquando expertus est, & sic excellentior homo est quam ullus ex Leviticis Sacerdotibus: 2. Obtulit deprecationes & supplicationes, seque ipsum ad mortem usque, pro populo suo: atque ita excellentius sacrificium obtulit quam Levitici: 3. Majori cum sensu miseriæ nostræ, & reatus nostri intercessit, cum *Clamore valido & lachrymis*; & sic in sympathia sua erga suos excellebat supra Leviticos: 4. Majori cum fiducia causam egit nostram, quam quivis ex typicis posset, etiam tum cum in angustiis mortis, & sensu iræ seu maledictionis divinæ, peccatis nostris debitæ, sancta humana natura ipsius cum terroribus mortis conflictabatur: 5. Majori cum efficaciâ & fructu, quam ullus typicus Sacerdos oravit: nam liberatus est secundùm precationem à metu, quem sensui, & sanctæ rationi injiciebat irati DEI aspectus, quia jam persoluto pretio sufficienti pro nobis, iræ, metusque causa sublata est. Ergo CHRISTUS est Leviticis Pontificibus, Sacerdos longè excellentior.

Vers. 8 *Quamvis Filius esset, tamen ex iis quæ passus est didicit obedientiam:*

Arg. 5. ex prioribus deductum, Quod simul removet scandalum crucis, simul excellentiam Sacerdotii CHRISTI ostendit. CHRISTUS non occupabatur in spectandis victimarum occisionibus, ipse interim immunis ab omni passione, ut Levitici Sacerdotes in victimis cædendis, sed etiamsi Filius DEI fuerit, reipsa tamen in corporis & animæ suæ sanctæ passionibus expertus est, quam ardua res fuerit peccata nostra expiare, experientiâ edoctus quam fuerit difficile expiatoriam obedientiam usque ad mortem crucis, ad Patris iram placandam, & justitiæ satisfaciendum præstare: Est ergo CHRISTUS Leviticis sacerdotibus multò excellentior.

Vers 9 *Et consecratus, factus est autor salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant:*

Arg. 6. CHRISTUS summus Sacerdos, fuit omnibus numeris completus

plenus & perfectus, in quo ne minimum quidem desiderari potest, quod in Sacerdote requiritur; postquam enim jam sanctificatus, seu in sacrificium propitiatorium Patri oblatus est, totum pretium redemptionis complevit, seu quod restabat, in ultimis suis passionibus persolvit; cujus pretii nulla pars à Leviticis persoluta est: Ergo Leviticis & umbratilibus illis Sacerdotibus. multò est excellentior.

Autor] Arg. 7 CHRISTUS jam pretio redemptionis plenè persoluto, merito & efficaciâ, evaluit & declaratus est Author, Dominus, Dator & Consummator vitæ æternæ omnibus in ipsum credentibus, & se ipsi in disciplinam tradentibus: Ergo CHRISTUS Leviticis Sacerdotibus multo excellentior est.

Vers. 10. *Cognominatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchesidec.*

Arg 8. Confirmans superius, CHRISTUS à DEO cujus dictum efficax est; cognominatus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci, qui ordo excellentior est multò ordine Levitico: Ergo CHRISTUS est summus Pontifex, Leviticis omnibus multò excellentior.

Vers. 11. *De quo nobis multa sunt dicenda, eaque difficilia explicatu; quandoquidem segnes facti estis auribus.*

Arg 9. Doctrina de Sacerdotii CHRISTI excellentiâ, præsertim prout in typo Melchisedeci repræsentatur, copiosior & altior est quam ab Apostolo possit ad ipsorum captum facile explicari: Ergo Leviticis Sacerdotibus multò est excellentior.

Secunda pars.

Secunda pars Capitis, in qua infert ex doctrinæ de CHRISTI sacerdotii excellentiâ, reprehensionem ignorantiæ & tarditatis ingenii Hebræorum, ad mysteria Euangelii discenda. Propositio reprehensoria hæc est, Vos Hebræi reprehendendi estis ob segnitiem ad capiendum mysteria Euangelii, quale est, CHRISTI Sacerdotium.

Vers. 12. *Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est doceri quæ sint elementa initii eloquiorum Dei: factique estis ii quibus lacte sit opus, & non solido cibo.*

Rationes reprehensionis reddit quatuor: prima est, Quia opus habetis elementario, catechetico & puerili genere doctrinæ, etiam jam postquam

postquam pro temporis in luce Euangelii peracti ratione, multa ipsi didicisse, & alios instituere potuissetis.

Factique] Ratio 2. Confirmans superiorem, Quia pueri & infantes estis in cognitione Euangelii, qui lacte, seu qui in rudimentis doctrinæ institui opus habeatis, potiùs quam cibo solido, seu doctrinæ perfectione.

Vers. 13, *Enimverò cui cum lacte res est, is rudis est sermonis justitiæ: (infans enim est)*

Ratio 3. Probans superiorem, Quia rudes estis sermonis justitiæ, seu non benè intelligitis doctrinam justificationis per fidem CHRISTI; sed parati estis ceremonias legis cum fide CHRISTI conjungere. Idcirco & infantes estis, & ob ignorantiam reprehendendi.

Vers 14. *Sed adultorum est solidus cibus, eorum* videlidet *qui propter habitum, sensus habent exercitatos ad discretionem boni ac mali.*

Ratio 4. Explicans postremam partem rationis secundæ, Quia destituti estis proprietatibus adultorum: Adulti enim gaudent cibo solido, seu affectant perfectiorem doctrinam: 2. Gaudent crebra exercitatione. 3. Per crebram excercitationem sui in doctrina Euangelii habitum contraxerunt cognitionis salutaris non facile mutabilem, & sensus seu facultates animi expeditiores habent ad judicandum de veritate & falsitate doctrinæ propositæ; de utilitate veritatis, & de errorum periculo, ût possint bonum prosequi, & malum evitare. Tales non estis vos Hebræi, licet per tempus post vestram fidei professionem tales esse potuissetis. Ergo reprehendendi estis.

Caput Sextum.

Sequitur ex priori reprehensione segnitiei deducta hortatio ad perseverandum, & progressus faciendum in fide Euangelii.

Vers. 1. *QUapropter omisso qui in Christo rudes inchoat, sermone, ad perfectionem feramur: non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum,*

Propo-

Propositio primis verbis continetur, Debetis perseverare, & progressus facere in fide Euangelii. Nam *omittere sermonem* catecheticum, qui rudes in CHRISTO inchoat, est præsupponere, & pro confesso habere, quod ea rudimenta jam teneant, Aliquo modo, idcirco non opus esse scribenti ad eos, his immorari, sed catecheticis omissis, ad perfectionem, id est, ad perseverandum, & progressus in fide faciendum, eos promovere.

Argumenta hortationis sunt quindecim: Argumentum primum, Sicut fundamentum domus, sic fundamentum religionis non est bis ponendum, sed fundamento semel posito pergendum in ædificio extruendo. Ergo vobis perseverandum & progrediendum est in fide Euangelii; Fundamentales autem seu catecheticas doctrinas enumerat sex: prima, Est de *resipiscentiâ ab operibus mortuis*, seu à peccatis: Hoc fundamentum continet initialem doctrinam de lege DEI, de agnitione peccati, & meritæ damnationis consequentis, de dolore ob peccata, & desiderio liberationis à peccato & à morte. 2. Fundamentalis doctrina est *de fide in DEVM*, quæ doctrinam continet redemptionis per CHRISTUM, & de justitiâ & vitâ per eum partâ, deque fide in eum ad salutem.

Vers. 2 *Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis, & resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.*

3 Est doctrina *baptismatum*, continens rationem confirmandi fidem per Sacramentum Baptismi, & doctrinam sanctificationis, & afflictionis, seu crucis ferendæ pro Euangelii defensione, quæ doctrina per Baptismum significatur: 4. Est doctrina *impositionis manuum*, quæ in collatione donorum SPIRITUS sancti, ad confirmationem divinæ veritatis Euangelii olim facta est, modo extraordinario in primitivâ Ecclesiâ: nunc verò modo ordinariò fit in ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, de quorum autoritate & officio, sicut ad omnes catechumenos olim spectabat, sic jam ad omnes spectat fideles recte institui, ut DEI ordinationi se alacrius subjiciant in Ecclesiasticæ disciplinæ obedientia.

5. *Doctrina est de resurrectione mortuorum* in die novissimo: 6. Est de judicio extremo, quo per CHRISTUM fidelibus vita æterna, impiis verò mors æterna adjudicanda est.

Vers 3. *Atque id faciemus, siquidem permiserit Deus.*

Arg. 2. ad perseverantiam & profectum in fide Euangelii, Ego Apostolus per DEI gratiam, ut in cognitione Euangelii promoveatis operam

tis operam daturus sum pro virili, quantùm DEO videbitur meis in ministerio laboribus benedicere: Ergo vobis opera danda, ut perseveretis, & progrediamini in fide Euangelii.

Vers. 4 *Nam fieri non potest, ut qui semel fuerint illustrati, gustaverintque donum cœleste, & participes facti fuerint SPIRITVS Sancti,*

Vers. 5. *Gustaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi.*

Vers. 6 *Si prolabuntur, ut denuo renoventur per resipiscentiam, ut qui rursum crucifigant sibimetipsis Filium Dei, & ad ignominiam exponant.*

Arg. 3. Quicunque post talem animi convictionem de veritate Euangelii, qualem hic descriptam habetis, non perseverant, sed à rudimentis fidei resiliunt, & prolabuntur in peccatum illud irremissibile in SPIRITUM Sanctum, non possunt resipiscere nec servari: Ergo ne in hoc peccatum incidatis, perseverandum & progrediendum vobis in fide Euangelii.

Describuntur autem illi adversùs quos stringitur hæc comminatio ex his sex notis: 1. *Illuminati* sunt per cognitionem Euangelii; per cujus lumen misera conditio hominis, & ratio redemptionis per CHRISTUM potest etiam irregenitis aperiri: 2. *Gustaverunt* donum cœleste, quod fieri potest per contemplationem CHRISTI, & rerum cœlestium in Euangelio revelatarum, omnis enim veritatis vel levissima delibatio sensum aliquem excitat sui, licet non semper solidum & permanentem: 3. *Participes facti sunt Spiritus Sancti*, quod fieri potest per dona aliqua regenitis & irregenitis communia: 4. *Gustaverunt bonum Dei verbum*, quod fieri potest per fidem hystoricam Euangelii, & per apprehensionem possibilis suæ ipsorum salutis, quam ut actu adipiscantur non prosequuntur: 5. *Gustarunt virtutes futuri seculi* in leviusculo gaudio de futurâ vitâ, quod fieri potest per fidem temporariam in iis qui recipiunt verbum in terrâ petrosâ cum gaudio, *Math.* 13. 20. ex apprehensione non *possibilis* tantùm, sed etiam *probabilis*, & apparenter futuræ suæ salutis: quam ut lubenter cum Balaamo optare, & cum fatuis virginibus sperare possunt, etiamsi mundo, & pravis suis cupiditatibus non renunciaverint: 6. Post omnes hos gradus convictionis

victionis de veritate religionis Christianæ à SPIRITU DEI productos, *prolabuntur*, seu lapsu totali, voluntario, & malitioso, ut postea apparebit, defectionem faciunt à CHRISTO.

Denuo] Pœna quam minatur hujusmodi apostatis, est quod ipsorum *respiscentia*, & per consequens *salus*, sit impossibilis; quia post peccatum hoc, nunquam sequitur respiscentia. Cujus rationes redduntur duæ: 1. A malitia ipsorum adversus CHRISTUM, quia Filium DEI semel crucifixum malitiosè abnegando, nolunt salvari per ejus mortem, abhorrent ab ea ratione salutis consequendæ, ex qua sola dependet respiscentia & salus, imò verò quantùm in se est CHRISTUM de solio cœlestis gloriæ deturbatum, si fieri posset, & denuò crucifixum vellent.

Exponunt] Altera ratio à scandalo dato, Quia CHRISTUM ignominiæ, ludibrio & sannis infidelium ultrò exponunt, idque atrociori scelere, quam illi qui primò CHRISTUM ignorantes in crucem egerunt.

Vers. 7. *Nam terra quæ imbrem sæpius in se venientem combiberit, & progenuerit herbam accomodam eis per quos excolitur, recipit benedictionem à Deo:*

Arg. 4. ad perseverandum, Sicut terra frugifera recipit benedictionem à DEO, sic perseverantes, & progressum facientes in fide & obedientiâ Euangelii benedictionem à DEO recipiunt: Ergo vobis perseverandum est.

Vers 8. *At quæ profert spinas & tribulos, reproba est, & maledictioni affinis: cujus exitus* tendit *ad exustionem.*

Arg. 5 Sicut terra culta, & sæpiùs irrigata, quæ nihil profert præter spinas & tribulos, rejectanea, maledictioni proxima, & tandem exurenda est: Sic Apostatæ qui jam sæpius imbrem verbi Divini in se venientem combiberunt, & tamen nullum bonum fructum proferunt, sed prolabuntur, omninoque deficiunt, reprobi sunt & maledictioni proximi, prorsus perituri, ut quorum conversio & salus est desperata.

Vers 9. *Sed persuasimus nobis de vobis, dilecti, istis meliora, & cum salute conjuncta, etiamsi ita loquamur.*

Consolatur Hebræos fideles adversùs asperitatem dictorum, & ipsorum apostasiæ futuræ suspicionem, quam intus de iis fovere videri potuisset Apostolus, nisi se purgasset, & addit Arg. 6. Etiamsi periculum apostasiæ proposuerim vobis, persuasimus tamen nobis meliora de vestra fide vera,

& obedientia sincera, & perseverantia, aliisque gratiis, quæ cum salute æterna necessariam habent connexionem. Ergo vobis perseverandum est animosiùs.

Vers. 10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ charitatis quam exhibuistis ipsius nomini, ut qui ministraveritis sanctis & ministretis.*

Arg. 7. confirmans superius, Justitia & Veritas Dei non patientur ut gratia Dei salvifica vobis jam data, & in efficaci constantique charitate vestra erga verè Fideles, seu Sanctos, opere demonstrata, oblivioni tradatur, sed gratiam pro gratia tribuens perseverantiam & vitam æternam promissam etiam vobis dabit. Ergo vobis animosè perseverandum

Vers. 11, *Cupimus autem, ut unusquisque vestrûm idem ostendat studium ad plenam spei persuasionem, ad finem usque* :

Arg. 8. Perseverantiæ studendo magis magisque certam reddetis vestræ ipsorum spei persuasionem : Ergo unicuique vestrûm danda opera ut perseveretis. Atque hîc ipsa hortatio ad perseverantiam expressè ponitur.

Vers. 12. *Ut ne sitis segnes, sed imitatores eorum qui per fidem ac patientiam obtinent promissam hæreditatem.*

Arg 9 Excutiendo segnitiem in comparanda altiori cognitione Euangelii, & pergendo in studio charitatis, debetis imitari sanctos Patres, qui in fide & patientia perseverantes, promissam hæreditatem obtinuerunt : Studete igitur perseverantiæ.

Vers. 13. *Deus enim pollicitus Abrahæ, quum non posset per quem quam majorem jurare, juravit per seipsum*,

Vers. 14 *Dicens, Certè benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te*.

Vers. 15 *Atque ita quum patienter expectasset, assequutus est promissum*

Arg. 10. Promissio benedictionis factæ fidelibus, in persona Abrahami, Patris Fidelium, & per juramentum Dei optimi maximi confirmata, experimento speciali comprobata est Abrahamo, patienter in fide & spe perseveranti. Ergo in fide promissionis, & spe benedictionis similiter vobis est patienter perseverandum. Hujus argumenti vis, ut appareat, meminisse oportet hanc promissionem factam Abrahæ, de

hæ, de benedictione, intelligendam esse non de nascituro Isaaco tantùm, sed de CHRISTO, ex Isaaco oriundo, & de justitiâ gratuitâ & vita æterna in CHRISTO dandâ, non Abrahæ tantum, sed etiam ut credentium Patri, & credentibus omnibus in ejus persona repræsentatis, id est, veris hæredibus istius promissæ benedictionis, sicut Apostolus hoc loco, & alibi pro concesso habet, & nominatim *Gal.* 3. 9, 10, 13, *&c.* expressè docet.

Vers. 16. *Nam homines quidem per eum jurant qui sit major, atque iisdem omnis controversiæ finis, est jusjurandum ad confirmationem* adhibitum.

Arg. 11. ex superiori deductum, Sicut cum homines jurant per majorem, & jusjurandum ad confirmationem adhibitum, est finis controversiæ inter eos; Sic promissio benedictionis, seu justitiæ & vitæ gratuitò in CHRISTO dandæ, per juramentum supremi DEI confirmata omnibus fidelibus in Abrahamo, finis debet esse controversiæ inter DEUM & fideles, ne titubent in fide promissionis: Ergo vos Hebræi fideles sic confirmati, confidenter perseverate in fide.

Vers. 17. *Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii sui, fidejussit jurejurando:*

Arg. 12. Etiamsi sufficiens fuisset nuda promissio benedictionis, DEUS tamen ex abundanti interposuit juramentum (quasi vadimonium) ut Isacidas, filios & hæredes promissionis, id est, fideles omnes, certiores redderet de immutabilitate consilii sui, de ipsis benedicendis. Ergo vos fideles Hebræi ex abundanti confirmati, perseverare debetis in fide Euangelii.

Vers. 18 *Ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationem habeamus nos, qui cursum* eo *corripuimus, ut spem propositam obtineamus:*

Arg. 13. in hunc sensum, DEUS eo ipso fine juravit, ut fideles qui perseverare studeant, ex duabus rebus immutabilibus hauriant consolationem & fiduciam validam, & gaudium in DEO solidum, adversùs omnem metum & miseriam: Ergo vos fideles Hebræi, hâc consolatione animati, perseverare debetis confidenter. Describit fideles hæredes promissionis, qui perseverare studeant, ex ipsorum proprietate, quod ex conscientia peccatorum, & iræ meritæ, *confugiant ad Christum*,

ut speratam vitam æternam in eo propositam obtineant. Duas res immutabiles intelligit: 1. Promissionem DEI: 2. Juramentum DEI, per quæ certi reddantur fideles de tertio immutabili, id est, de consilio seu decreto DEI de ipsis salvandis.

Fieri non potest] Rationem reddit immutabilitatis illius duplicis, quia impossibile est ut DEUS mentiatur, hoc est, ut non præstet quod promisit simul & juravit.

Vers. 19. *Quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam, & ingredientem usque in ea quæ sunt intra velum*

Arg. 14. Nos fideles habemus spem vivam, velut tutam & firmam anchoram animæ fluctuantis, jactam intra Cœlum, quod per velum Templi figurabatur. Ergo ad portum salutis constanter cum fiducia vobis est contendendum.

Tuta vocatur *anchora* Spes, quia tutos conservat sperantes: nam spes nunquam pudefacit: *Firma* vocatur, & quia nunquam disrumpitur penitus, & quia firmiter defixa & fundata est in rupe, nitens omnipotentiâ, veritate, & bonitate DEI, & merito CHRISTI.

Vers. 20 *Quò præcursor pro nobis ingressus est Iesus, secundùm ordinem Melchisedec, Pontifex factus in æternum*

Arg. 15. IESUS CHRISTUS pro nobis fidelibus ingressus est cœlum, quod figurabatur per Pontificis ingressum intra velum in Sanctum Sanctorum, Præcursor pro nobis paraturus locum, & pro nobis intercessurus, ne in cursu deficiamus, constitutus à PATRE in æternum Sacerdos, secundùm ordinem Melchisedeci. Ergo vos fideles Hebræi debetis cum fiducia perseverare in fide Euangelii.

Caput Septimum.

Prosequitur institutum sermonem de Melchisedeco hoc Capite, & simul etiam doctrinam de excellentia CHRISTI.

Capitis duæ sunt partes: In prima probat excellentiam Christi supra Leviticos Sacerdotes respectu Personæ, ad vers. 11 *In secunda excellentiam Christi supra eosdem respectu officii Sacerdotalis, ad finem. Proponitur dignitas personæ Christi, partim in descriptione*

descriptione typica Melchisedeci, partim in Argumentis inde deductis. Omnes autem partes descriptionis de Melchisedeco typicè accipiendæ sunt, de Christo autem verè & propriè intelligendæ, ut ex fine versus tertii apparet. Notæ excellentiæ personæ Christi typicè propositæ, sunt tredecim.

Vers. 1. *NAM hic Melchisedec rex erat Salem, Pontifex Dei altissimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde regum, & benedixit ei:*

Nota prima, Ut Melchisedecus *Rex erat* in typo, sic CHRISTUS rex est propriè. *Sacerdos*] Nota 2. Ut Melchisedecus Sacerdos DEI altissimi erat typicè, Sic CHRISTUS Sacerdos DEI altissimi, proprie & DEUS ipse altissimus est.

Occurrit] Nota 3. Ut revertenti Abrahamo à cæde regum occurrit Melchisedecus, & benedixit ei, ut typus CHRISTI: Sic CHRISTUS is est qui solus potest efficaciter benedicere credentibus in eum.

Vers. 2. *Cui & decimas ex omnibus impartitus est Abraham qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex justitiæ, deinde verò etiam rex Salem: quod est rex pacis,*

Nota 4. Sicut Abrahamus Melchisedecum agnovit per oblationem decimarum, quæ DEO propriè debentur, Sacerdotem & CHRISTI venturi typum fuisse: Sic etiam in eo agnovit CHRISTUM Sacerdotem DEI esse, & DEUM in typo repræsentatum.

Primum] Nota 5 Sicut Melchisedecus in typo, sic CHRISTUS in veritate, est primum Rex Justitiæ, donans justitiam (nam id significat Melchisedec Rex) deinde Rex Salem, id est, pacis, seu donans pacem, quæ sequitur justitiam per fidem imputatam.

Vers. 3. *Sine Patre, sine Matre, sine genere: nec initium dierum, neque vitæ finem habens: sed assimilatus Filio DEI, manet Sacerdos in perpetuum.*

Nota 6. Sicut Melchisedecus in *statu typico*, & in *esse historico*, est sine Patre: Sic CHRISTUS *qua homo ex virgine natus* vere est sine Patre.

Matre] Nota 7. Sicut Melchisedecus in typo, sic CHRISTUS in *rei veritate* ut DEVS, est sine matre.

Genere] Nota 8 Ut Melchisedecus in *esse suo historico & typico*: sic CHRISTUS ut DEUS in *rei veritate*, est sine genere seu genealogia, expers omnis cognationis, & consanguinitatis naturalis, seu terrenæ.

Nec in-

Nec initium] Nota 9. Sicut Melchizedecus in statu historico & typico; Sic CHRISTUS verè æternus est, sine principio dierum. & sine vitæ termino Quamobrem nimis curiosè & audaciter agere videntur, qui genealogiam Melchizedeci à DEO de industria cœlatam, scrutari & definire audent, etiam ex Scripturâ.

Assimilatus] Ut comparatio hæc solida agnoscatur, Apostolus has omnes descriptionis partes, typicè, & in assimilatione illa quâ representabat Filium DEI Sacerdotem æternum ostendit esse concipiendas.

Vers. 4 *Spectate verò quantus hic fuerit, cui etiam Decimas spoliorum dederit Abraham patriarcha.*

Nota 10. Sicut Abraham, licet victor in prælio adversùs tot Reges, & Patriarcha, seu princeps Patrum nobilissimus, in spoliorum decimis persolvendis, agnovit tamen Melchizedecum superiorem se esse, nempe qui Melchizedecus typus erat CHRISTI. Sic CHRISTUM typo illo repræsentatum multò se superiorem agnovit necessariò.

Vers. 5. *Et ii quidem qui sunt ex filiis Levi, sacerdotio fungentes, præceptum habent decimarum accipiendarum à populo secundùm Legem, hoc est, à fratribus suis, licet egressis ex lumbis Abrahæ.*

Hanc notam esse excellentiæ, probat Apostolus ex eo, quod Levi hoc ipso nomine superior sit fratribus suis, quia secundùm DEI mandatum, acceperat decimas à fratribus: Ergo propter eandem rationem superior est Melchizedec Abrahamo, qui ultro decimas offerendo se inferiorem agnovit Melchizedeco.

Vers. 6 *Is verò cujus genus ad illos non refertur, decimas accepit ab Abraham, & habenti promissiones, benedixit.*

Nota 11. Melchizedecus qui in Levitarum genere non est censendus, non tantùm accepit decimas ab Abrahamo, sed etiam ut superior, Abrahamo benedixit, ipsi (inquam) Abrahamo, qui omnium Fidelium nomine, primus accepit promissiones: Ergo CHRISTUS (cujus ille typus & umbra tantum fuit) multò est excellentior & Abrahamo, & Leviticis omnibus Sacerdotibus ab ipso oriundis.

Vers. 7 *Porrò sine ulla controversia, id quod minus est, ab eo quod majus est, benedicitur.*

Hanc esse notam excellentiæ probat, ex eo quod extra controversiam sit, benedici minorem à majori. Quod non intelligendum est de benedictione

one *laudis* quâ benedicimus DEO, nec de benedictione *charitatis*, quâ alii aliis bona precamur, sed de benedictione *potestatis*, quâ DEUS efficaciter suis benedicit, vel *autoritatis* sive ordinariæ, qua Pastores & parentes ex officio *communiter*, sive extraordinariæ, quâ DEI legati extra ordinem, ex speciali legatione specialiter precando applicant DEI benedictionem alicui: In hoc genere benedicens quâ talis, major est eo cui benedicitur.

Vers. 8. *Atque hîc quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt; illic autem is de quo testatum est quòd vivat.*

Nota 12. Melchizedecus, licet nec in statu physico, nèc in statu civili, in statu tamen typico & scripturali, decimas accipit, ut *semper vivens*, ut DEI immortalis imago: Levitæ vero decimas recipiunt, ut homines mortales. Ergo CHRISTUS per Melchizedecum repræsentatus, qui naturâ est DEUS verè immortalis, cum Levitis comparatus, multo iis excellentior est.

Vers. 9. *Et (ut ita loquar) in Abraham decimatus est etiam ipse Levi, qui decimas solet accipere.*

Vers. 10. *Nam is adhuc in lumbis patris erat, quum occurreret Abrahæ Melchisedec.*

Nota 13. Melchizedecus qua typus CHRISTI, & per consequens ipse CHRISTUS qui veritas, erat in Melchizedeco repræsentata, accepit decimas non tantùm ab ipso Abrahamo, sed etiam à Levi, qui fuit in lumbis Abrahæ, secundùm rationem naturalis generationis, quando decimas obtulit Abraham Melchizedeco, & CHRISTO per ipsum repræsentato: Ergo verus Melchizedecus, CHRISTUS, & in se, & cum Levitis comparatus, multò est illis excellentior. Verum quidem est CHRISTUM etiam ex semine Abrahami oriundum fuisse, quando Abraham decimas obtulit Melchizedeco, sed non erat ab eo oriundus secundum rationem æterni Sacerdotii Mediatoris, de quo hic agitur, nec secundùm rationem naturalis generationis, neque secundum rationem personæ simpliciter, sed tantùm secundum humanam naturam, secundum materiam carnis, in qua licet CHRISTUS Sacerdotium administraturus erat, non tamen ut homo merus, instar Levitarum, sed ut Θεανθρωπος Abrahami DEUS, & Mediator inter DEUM & Abrahamum, quo respectu CHRISTUS non continetur in Abrahamo, sed opponitur in typo Melchizedeci, & Abrahamo

& Abrahamo, & omnibus aliis ab eo oriundis, ut superior illis & excellentior. Tenet ergo Argumentum firmiter.

Vers. 11. *Porrò si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, (nam sub hoc sancita Lex est populo) quid amplius erat opus alium exoriri Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, nec secundum ordinem Aaronis dici?*

Fuit excellentia personæ CHRISTI, Sequitur altera pars Capitis, in qua probatur excellentia Sacerdotii CHRISTI supra Leviticum, idque Argumentis septemdecim. Arg. 1. Perfectio, seu efficax consummatio cultorum DEI, quoàd peccati expiationem, justificationem, sanctificationem, & vitam æternam, non potuit obtineri per Leviticum Sacerdotium. Ergo imperfectum est Leviticum Sacerdotium; neque tam excellens quam CHRISTI Sacerdotium.

Quid amplius] Arg. 2 confirmans superius, Si perfectio obtineri potuisset per Sacerdotium Leviticum, non opus fuisset alium præstantiorem Sacerdotem oriri, nempe CHRISTUM secundùm ordinem Melchizedeci, & non secundum ordinem Aaronis. Assumptionem nobis relinquit colligendam, quæ hæc est, At opus fuit ut oriretur præstantior Sacerdos, ut patet ex *Psalmo* 110: Ergo perfectio per Sacerdotium Leviticum obtineri non potuit, sed per Sacerdotium CHRISTI, quod idcirco excellentius est.

Populus enim] Ratio confirmans majorem connexam, Sub hoc Sacerdotio Lex data est & populus in ejus doctrina exercitatus est: & quicquid virium Lex, seu legale Fœdus habebat, huc totum collatum est à Legis zelotis, ut cultores per hoc Sacerdotium perficerentur, sed frustra. Ergo si per hoc Sacerdotium, vel per Legem, seu legale Fœdus cum eo junctum obtineri potuisset perfectio cultorum, non opus fuisset Sacerdotio præstantiori, & Lege aliâ: cum verò perfectio per hoc Sacerdotium obtineri non potuerit, opus fuit alio præstantiori necessariò.

Vers. 12. *Mutato igitur Sacerdotio, necesse quoque est ut fiat mutatio legis.*

Arg. 3 Simul etiam probans CHRISTUM exoriturum Sacerdotem, secundum ordinem Melchizedec, non denominandum secundùm ordinem Aaronis, nec legi Leviticæ obnoxium. Sacerdotii Levitici mutabilitas & mutatio, secum traxit legis Leviticæ, seu fœderis legalis cum eo conjuncti,

conjuncti, mutabilitatem & mutationem, ut succederet aliud Sacerdotium, & alia lex, seu aliud fœdus immutabile. Ergo Leviticum Sacerdotium mutabile non tam excellens est quam Melchisedeci, seu CHRISTI Sacerdotium immutabile.

Vers. 13. *Nam is de quo hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinet, de qua nullus attendit altari.*

Vers. 14, *Palam est enim è tribu Juda exortum esse Dominum nostrum: cujus tribus respectu nihil de Sacerdotio loquutus est Moses.*

Arg. 4 Simul probans mutato Sacerdotio Levitico mutandam etiam esse legem Leviticam. CHRISTUS de quo hæc dicuntur in *Psalmo* 110. Pertinet ad aliam tribum, eamque principem & dignissimam, nempe Judah, (unde constat Dominum nostrum ortum esse) ex qua nullus attendit altari, nullus præceptum habet à Mose de exercendo Sacerdotio Levitico. Ergo introducto CHRISTI Sacerdotio abolendum est Sacerdotium Leviticum, cum Lege Ceremoniali Levitica, & per consequens Sacerdotium CHRISTI, de principe tribu oriundi, præstantius est Levitico.

Vers. 15. *Itaque etiam magis patet ex eo quòd ad instar Melchisedec exoritur Sacerdos alius.*

Arg. 5. Ex verbis, *Psal.* 110. idem probans quod prius, CHRISTUS est alius Sacerdos à Leviticis, inter quem & Melchisedecum ipsius typum est similitudo. Sequitur ergo & non pendere CHRISTI Sacerdotium à lege Levitica, & simul etiam quia Melchizedecianum est, Sacerdotio Levitico longe præstantius esse.

Vers. 16. *Qui non ex lege, cujus mandatum sit carnale, factus est Sacerdos sed ex vi indissolubilis vitæ.*

Arg. 6. CHRISTUS factus est Sacerdos, non secundùm legem quæ dabat mandata infirma & carnalia, de corporalibus Ceremoniis, sicut Levitici Sacerdotes, sed secundùm virtutem & potentiam vitæ immortalis seu indissolubilis, quâ CHRISTUS in æternum ipse vivens, & vitæ autor posset suis vitam æternam efficaciter conferre: Ergo CHRISTI Sacerdotium excellentius est Levitico.

Vers. 17. *Testificatur enim ad hunc modum, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.*

Hoc argumentum confirmat, ex *Psal.* 110. In quo Pater pronunciat Filium suum Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchizedeci, & per consequens declarat vim Sacerdotii CHRISTI, ad æternam vitam cultoribus ipsius sufficere.

Vers. 18. *Nam mandatum præcedens abrogatur, quòd nullis viribus sit præditum, & inutile.*

Arg. 7. ex eodem Psalmo deductum. Lex seu fœdus legale, (cum mandatis cerimonialibus, totoque Sacerdotio Levitico fœderi isti conjunctis,) propter infirmitatem & inutilitatem ipsius in se, ad peccatorum expiationem, ad justificationem hominum, & vitam æternam conferendam, aboletur per introductionem Sacerdotii æterni, CHRISTI videlicet. Ergo CHRISTI Sacerdotium præstantius est illo Levitico.

Vers. 19 *Nihil enim sanctificavit Lex, sed adscita spes melior, per quam appropinquamus Deo.*

Arg, 8. confirmans priorem. Lex seu fœdus legale, sub Sacerdotio Levitico, licet pædagogus fuerit quidem ad CHRISTUM; per se tamen nihil perficiebat, nullum justificabat sanctificabat, vel servabat. Sed Sacerdotium CHRISTI, spes illa melior, seu Euangelium, bonum illud præfiguratum, & speratum à fidelibus sub lege, in locum Sacerdotii Levitici, seu legalis fœderis, jam introductum: Hoc, inquam, perfectionem affert DEI populo & bonam spem vitæ nobis facit. Ergo CHRISTI Sacerdotium est excellentius Levitico.

Per quam] Arg. 9. Per Sacerdotium CHRISTI, (seu per spem illam lege & Sacerdotio Levitico meliorem,) nos qui per naturam longè distamus à DEO, propè accedimus omnes ad DEUM, ad Thronum gratiæ ejus; quod privilegium erat Sacerdotum tantùm, vel summi Sacerdotis potiùs, sub legalibus typis. Ergo excellentius est CHRISTI sacerdotium Legali seu Levitico.

Vers. 20. *Et jam quatenus non absque jurejurando.*

Vers. 21. *Nam illi quidem, citra jusjurandum Sacerdotes facti sunt: (hic verò cum jurejurando, per eum qui dixit ei, Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedec)*

Arg. 10. Sacerdotes Levitici, *citra jusjurandum* per *legem* ex voluntate legislatoris *mutabilem*, facti sunt Sacerdotes: CHRISTUS vero ut ex

Psal. 110.

Psal. 110. constat, pronunciatur Sacerdos *æternus* ex *juramento* DEI Patris: Ergo Sacerdotium CHRISTI excellentius est Levitico.

Vers. 22. *Tantò potioris fœderis sponsor factus est Jesus.*

Arg. 11. CHRISTUS in Sacerdotio suo *tantò præstantioris fœderis sponsor* est, quantò Sacerdotium juramento confirmatum, præstantius est Sacerdotio imperato ad tempus, & mutabili, Ergo ejus Sacerdotium est præstantius. Nam ubi Sacerdos, ibi est fœdus, cujus fœderis sponsor est Sacerdos; fœdus legale & umbratile, sponsorem habebat Sacerdotem typicum & umbratilem, qui præfigurabat verum Sacerdotem CHRISTUM venturum: Fœdus vero gratiæ habet CHRISTUM verum Sacerdotem sponsorem, qui primo se obligavit ad satisfactionem divinæ justitiæ præstandam pro debito nostro, deinde fore ut tanquam DEI amici in fœdere gratiæ ambularemus, ad vitam æternam. Aliæ etiam sunt sponsionis partes, sed hæ sufficiunt ad præsens argumentum explicandum.

Vers. 23. *Et illi quidem, plures facti sunt Sacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere:*

Vers. 24. *At iste propterea quod in æternum maneat, perpetuum habet Sacerdotium.*

Arg. 12. Sacerdotes Levitici *simul plures* erant, & *successivè* alii aliis morte sublatis succedebant: nam unus omnia subire solus non poterat, & mors prohibebat, ne diu ullus in officio permaneret. Sed CHRISTUS *solus* Sacerdotio suo præest in *æternum*, *nullo* Collegâ vel *Successore* vel substituto indigens: Ergo Sacerdotium ejus præstantius est Levitico.

Vers. 25. *Unde & servare prorsus potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens ut interpellet pro eis.*

Arg. 13. ex priori tanquam consectarium deductum, Noster Sacerdos CHRISTUS, semper vivendo, & odore perpetuo sui sacrificii intercedendo pro suis, *prorsus servare & perficere potest*, seu omnibus numeris absolutam dare, sanctificationem, & salutem omnium Fidelium, seu accedentium ad DEUM per eum. At Levitici Secerdotes id non potuerunt. Ergo Sacerdotium ejus præstantius est Levitico.

Vers. 26. *Talis enim nos decebat Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior Cœlis factus:*

Arg. 14. CHRISTUS Sacerdos, sicut decebat unicum nostrum Redemptorem personæ suæ qualitates excellentiores, & statum seu conditionem excellentiorem habet, quam ullus ex Leviticis. Ergo ejus Sacerdotium est excellentius: Quod ad qualitates personæ: 1. *Sanctus est*, & naturâ suâ, & voto suo, in DEI Patris honorem totus consecratus: 2. *Innocens* est qui nulli homini nec ulli creaturæ faciat injuriam: 3. *Impollutus* est, Primo à pollutione seu labe omnis peccati, & sui & alieni immunis: 4. *Segregatus à peccatoribus*, id est, nullo modo obnoxius peccato, vel adeò remotus à peccato, ut peccator esse non possit.

Quod ad statum seu conditionem personæ attinet, sublimior est cœlis omnibusque in cœlo creaturis, nam etiam corpore suo evectus supra Cœlos aspectabiles, ad societatem Throni cum Patre exaltatus est.

Vers. 27 *Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illi pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde* pro peccatis *populi: id enim fecit semel quum semetipsum obtulit.*

Arg. 15. ex priori consequens, Non est CHRISTO imposita necessitas offerendi victimam pro peccatis suis, quæ nulla habuit, nec offerendi victimam sæpius pro peccatis populi; nam *semel obtuliſſe* seipsum sufficit: Sacerdotibus vero Leviticis necesse erat & pro suis peccatis, & peccatis populi quotidie offerre: Ergo ejus Sacerdotium præstantius est Levitico.

Seipsum obtulit] Arg. 16. Sacrificium CHRISTI non erat pecudis vel animalis bruti alicujus, sed *ipse* obtulit *seipsum* & ad hoc sacrificium offerendum, nullus idoneus & dignus sacerdos esse potuit præter ipsum, *ipse solus seipsum obtulit*; Levitici vero Sacerdotes offerebant pecudes, quibus offerendis sufficiebant homines. Ergo CHRISTI Sacerdotium Levitico excellentius est.

Vers. 28. *Lex enim homines constituit Pontifices infirmos: at sermo jurisjurandi post Legem* concepti, *Filium* constituit *qui in æternum est sanctificatus*

Arg. 17. A sextuplici differentia Levitici seu legalis Sacerdotii, & Euangelici seu CHRISTI: Differentia prima, Constitutio Sacerdotis Levitici fluit à *lege*, quæ mutari potest: Constitutio verò Sacerdotis Euangelici seu CHRISTI, fluit à sermone jurisjurandi, qui mutari non potest, propter

teſt, propter jusjurandum DEI immutabile: Differentia 2. Lex Levitica admittit homines in plurali: Euangelium unum tantùm CHRISTUM: Differentia 3. Lex admittit ut alius poſt alium ſucceſſor ſit. Euangelium vero admittit, *unicum* tantùm ſine ſucceſſore, nempe CHRISTUM Filium DEI: Differentia 4. Levitica lex admittit Sacerdotes homines, *infirmitate laborantes*, id eſt, peccato obnoxios, qui ſacrificium ſuum non poſſunt efficax reddere ad DEUM placandum, vel benedictionem quam pronunciant, reapſe conferre in eos quibus benedicunt: Euangelicus vero ſermo conſtituit *Chriſtum, qui Filius eſt Dei omnipotens*, qui Sacerdotium ſuum in omnibus efficax poterit reddere: Differentia 5. Lex conſtituit Sacerdotes temporarios, qui conſecrantur tantùm in breve tempus vitæ ſuæ. Euangelium verò habet unicum filium qui in *æternum* conſecratus eſt: Differentia 6. Lex Levitica præceſſit, nec fuit lex, ſententia DEI ultima, de Sacerdotibus: At Euangelium ſeu ſermo juriſjurandi *poſt legem* ſucceſſit, ut DEI ſententia ultima: Ergo Sacerdotium CHRISTI excellentius eſt Levitico. Huc omnia tendunt ut Hebræi fideles, perſpectâ Sacerdotii Levitici infirmitate, & abolitione, & CHRISTI Sacerdotii excellentiâ, legalibus ritibus renunciarent, & CHRISTO firmius adhærerent.

Caput Octavum.

IDem *argumentum proſequitur. Capitis duæ ſunt partes: In prima probat excellentiam Sacerdotii Chriſti ſupra Leviticum; Argumentis quatuor, ad* verſ. *7. In ſecunda probat novum fœdus præſtantius eſſe veteri. De toto autem capite præfatur, quod in eo ſumma totius comparationis inter Leviticum, & Chriſti Sacerdotium contineatur.*

Verſ. 1. *CÆterùm eorum quæ dicimus* hæc *ſumma* eſt, *Talem* nos *habere Pontificem, qui conſedit ad dextram throni Majeſtatis illius in Cœlis,*

Argumentum primum, CHRISTUS noſter Pontifex talis, & tantæ dignitatis eſt, ut conſideat rex ad dextram Throni Majeſtatis DEI Patris in cœlis;

in cœlis, pari cum Patre potestate & gloria: Relinquit nobis alteram comparationis partem, ut satis perspicuam, de Pontifice Levitico, quod non sit talis: Ergo præstantius est CHRISTI Sacerdotium Levitico.

Vers. 2. *Sanctuarii minister, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus, & non homo.*

Arg. 2. CHRISTUS Minister est illius Sanctuari in Cœlis, ubi sedet Rex in Throno, & rerum sanctarum omnium quæ ad cultum DEI, & salutem hominis pertinent, non otiosus Sacerdos, sed Sacerdotis partes strenuè agens in cœlis, licet pontifex regalis propter personæ dignitatem, & modum administrationis, ut Minister tamen propter officium Mediatoris. Tales non sunt Levitici Sacerdotes in terrâ, sed tantùm Ministri: Ergo CHRISTI Sacerdotium est excellentius Levitico.

Veri tabernaculi] Arg. 3. CHRISTUS in cœlis est Minister *veri illius tabernaculi, quod fixit* Dominus & non homo, nempe corporis sui (quod ipse CHRISTUS comparavit tabernaculo) & quod per typicum figuratum est: quod Tabernaculum verum corporis sui, formavit & aptavit illi per miraculum SPIRITUS Sanctus in utero Virginis: CHRISTUS autem jam in cœlis ministrans repræsentat Patri corpus illud, & humanitatem suam, in qua passus est: eique offert continuo in illo corpore pro nobis intercedens. Sacerdotes vero Levitici Ministri sunt tantùm typici Tabernaculi, quod homo ædificavit. Ergo CHRISTI Sacerdotium excellentius est Levitico.

Vers. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur: unde necesse fuit hunc quoque habere quod offerret.*

Probat CHRISTUM constanter offerre tabernaculum verum corporis sui DEO Patri, rationibus tribus: 1. Quia cum omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas constituatur, necesse est etiam ut CHRISTUS habeat quod offerat, At præter intercessionem, & corporis sui sacrificati exhibitionem Patri, in Cœlo nihil habet CHRISTUS quod propitium reddat DEUM. Ergo verum illud tabernaculum corporis sui solum est, quod CHRISTUS in Cœlesti Sanctuario DEO offert.

Vers. 4. *Nam si esset in terra, ne Sacerdos quidem esset, manentibus illis Sacerdotibus, qui secundum Legem offerunt dona.*

Ratio 2. Quia si esset in terra, non posset per legem esse Sacerdos ad offerendum scilicet quæ lex offerenda præscribit Sacerdotibus, dona nempe & sacrificia typica. Ergo verum illud tabernaculum corporis

poris sui solum restat, quod CHRISTUS in Cœlesti Sanctuario DEO offert.

Vers. 5. *Ut qui exemplari & umbræ deserviunt rerum cœlestium, sicut divinitus dictum est Mosi, quum esset absoluturus tabernaculum. Vide enim, inquit, ut fa ias omnia ad exemplar quod ostensum est tibi in monte.*

Ratio 3. confirmans etiam priorem. Quia Sacerdotes secundùm legem, in terrâ deserviunt tantùm exemplari, & umbræ rerum cœlestium; nam eorum Ministerium alligatur Tabernaculo, vel Templo Hierosolymitano, & exercetur in figuris & ceremoniis tipicis administrandis, sicut probatur ex lege Levitica. Ergo CHRISTUS cum per legem non posset typica ulla sacrificia offerre, si esset in terra, neque posset esse Sacerdos per legem, & nunc in cœlo cum sit, in eoque Sacerdotium suum exerceat, necesse est ut rem illam cœlestem per umbras illas legales figuratam, nempe Ceremoniarum omnium corpus, & substantiam administret. Id quod facit verum Tabernaculum corporis sui constanter DEO repræsentando, & beneficia spiritualia per corporis sui oblationem acquisita nobis dispensando. Testimonium ad probandum antecedens est *Exod.* 25 40. ex quo sub nomine Tabernaculi, DEUS vult non Tabernaculum tantùm, sed etiam omnia quæ ad Leviticum sacerdotium pertinebant, repræsentationes esse rerum cœlestium, nimirum sacerdotii CHRISTI, & beneficiorum ejus.

Vers. 6. *At nunc noster ille Pontifex eo excellentius ministerium sortitus est, quo præstantioris est fœderis interc ssor, quod præstantioribus promissis sancitum est.*

Arg. 4 Ad probandam excellentiam Sacerdotii CHRISTI supra Leviticum, à præstantia Fœderis novi, præ veteri. Quia CHRISTUS tantò excellentius Ministerium sortitus est præ Leviticis, quanto fœdus cujus CHRISTUS est Mediator præstantius est, & præstantioribus promissis sancitum, quam fuit fœdus sub Sacerdotio Levitico: Nam fœdus sub Sacerdotio Levitico, quoàd externam ejus formam, erat fœdus operum, promissis conditionalibus rerum externarum sancitum: fœdus vero sub CHRISTI Sacerdotio partum, est fœdus gratiæ fidelibus, seu fœderatis, CHRISTUM cum omnibu b neficiis, gratis promittens. Sacerdotis autem officium est intercedere inter Deum & homines, & pacta inter eos conventa oblato sacrificio confirmare, tum operam dare, ut divinis promissis homines

mines potiantur. Quare quanto pacta meliora fuerint, tantò Sacerdotium ipsum majoris censeri dignitatis, consentaneum est.

Secunda pars.

Vers. 7. *Nam si prius illud tale fuisset, ut nihil in eo posset requiri, haud quaquam fuisset secundo quæsitus locus.*

Secunda pars Capitis, in qua hoc argumentum confirmat per partes & primum probat præstantius esse novum fœdus Euangelicum veteri illo legali abolito, sex rationibus.

Nam si] Ratio prima præsupposita in connexa propositione, Prius fœdus sub Sacerdotio Levitico fuit imperfectum, in quo aliquid desiderari vel reprehendi potuit, non respectu sui quidem, sed respectu efficaciæ & virtutis, idque vitio non fœderis, sed fœderatorum impotentium: Ergo minus excellens erat prius fœdus, quam novum hoc scilicet.

Haud quaquam] Ratio 2. confirmans priorem, Quia abolendum erat vetus fœdus, & novum fœdus ejus loco surrogandum, quod non contigisset nisi imperfectum fuisset: Ergo illud prius est imperfectius, hoc novum verò excellentius.

Vers. 8. *Nam increpans eos, inquit, Ecce, dies venient, dicit Dominus, quum pangam cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum:*

Ratio 3. confirmans priores, Quia prius fœdus propter infirmitatem fœderatorum ad præstationem legis, quæ erat federis conditio, non potuit reddere fœderatos irreprehensibiles, vel ab accusatione DEI eos liberare, sed oportebat melius fœdus & efficacius à DEO excogitari ad populum DEI justificandum, sanctificandum, & salvandum. Ergo prius fœdus minus excellens est, novum vero excellentius.

Vers. 9. *Non secundum fœdus quod feci cum patribus ipsorum, quo die prehendi manum ipsorum, ut educerem eos ex Ægypto: nam ipsi non perstiterunt in illo meo fœdere, & ego despexi eos, dicit DOMINUS.*

Ratio 4. Quia novum fœdus non est simile fœderi, quod DEUS pepigit cum populo in monte Sinai, cum eduxit eos ex Egypto, de quo, *Jer.* 31. 31. Nam illud etiamsi non carebat aliquâ obscurâ significatione gratiæ obtinendæ in CHRISTO, per sacrificia repræsentato, externam tamen

tamen formam habebat Fœderis legalis, & conditionem expressam plenæ obedientiæ omnibus DEI mandatis præstandæ, ut patet ex ejus formula, *Exod.* cap. 19. & 20. & *Jer.* 17. 23. 31, 32, *&c.* Novum verò (ut statim patebit) absolutum à conditione operum, & respectu ejus qui fœdus inirus est, & respectu ejus qui jam pepigit fœdus.

Nam ipsi] Ratio 5. Fœderati secundùm vetus fœdus deficere possunt, & defecerunt, & irritum sibi reddere possunt illud fœdus, & reddiderunt. Novum verò ut statim patebit, est perpetuæ gratiæ, secundùm quod verè fœderati, seu fideles nunquam defecerunt, nec deficere propter DEI gratiam, nec irritum sibi reddere possunt novum fœdus, propter timorem quem DEUS indit ipsorum cordibus, ne discedant ab eo, *Jerem.* 32. 40. Ergo fœdus novum præstantius est.

Despexi] Ratio 6. Fœderati secundum vetus fœdus abutentes maritali DEI clementia, & adulterium cum alienis diis in idololatria sua perpetrantes, secundum DEI maritalem, & Dominicam in eos potestatem, despici, rejici, & condemnari possunt à DEO: Non sic fœderati secundùm novum fœdus. Ergo novum fœdus præstantius est, cujus CHRISTUS & Mediator & Sponsor est.

Vers. 10. *Quamobrem hoc est fœdus quod paciscar domui Israel post dies illos, dicit Dominus. Indam Leges meas menti eorum, & cordi eorum inscribam: & ero ipsis DEVS, & ipsi erunt mihi populus.*

Jam probat alteram partem argumenti, Quod scilicet fœdus novum sancitum sit melioribus promissionibus, idque quatuor promissiones absolutas, Electis seu Fidelibus factas, enumerando. *Indam*] Promissio prima est regenerationis; Quæ nihil aliud est quam Legis DEI inscriptio primùm *in mente*, consistens in animi renovatione ad imaginem DEI, in sapientia & cognitione. Deinde *in corde*, quæ fit cum cor renovatur ad imaginem DEI, secundùm justitiam & sanctimoniam veram. *Et ero ipsis DEVS*] Promissio 2. est perpetuæ cum DEO communionis, & juris matrimonialis ex confœderatione orti, quo populus fœderatus cedit DEO in possessionem dilectionis peculiaris, DEUS verò cedit populo suo in possessionem beatificantem, & utrumque hic p omittit DEUS: Ego me iis præstabo DEUM, (inquit) eosque præstabo populum meum, & habebo pro populo meo.

Vers. 11. *Neque docebunt singuli proximum suum, & singuli fratrem suum, dicentes, Cognosce Dominum: nam omnes cognoscent me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos.*

Promissio 3. est, *Institutionis* continuæ à SPIRITU Sancto, ita ut non hausturi sint cognitionem DEI ex decretis & placitis hominum, nec suspensuri fidem suam ex autoritate hominum docentium, nec hæsuri in nudâ contemplatione illorum quæ prædicata audient, (sicut iis contingit qui extra novum fœdus degunt irregeniti,) Sed per docendi media divinitus instituta, imbuendi sint omnes (minimi pariter & maximi) viva, affectuosâ, efficaci & salvifica cognitione DEI, amore & observantiâ DEI, ita ut neque in se, neque in æstimatione credentium, is qui plantat, vel is qui rigat sit aliquid futurus, in comparatione cum DEO scilicet: sed DEUS futurus solus doctor, qui docet efficaciter, & dat incrementum.

Vers. 12. *Ero enim propitius iniquitatibus eorum, & peccatorum ipsorum & iniquitatum ipsorum non recordabor amplius.*

Promissio 4. Est *perpetuæ remissionis peccatorum*, quâ DEUS propter obedientiam CHRISTI propitium se semper fidelibus confœderatis ostendit.

Vers. 13. *Dum novum dicit, antiquavit prius: porrò quod antiquatur ac senescit, prope est ut evanescat.*

Ex verbis Jeremiæ citatis infert consectarium duplex. Primum est, fœdus legale seu Leviticum, propterea quod *vetus* esse declaretur à Propheta, in Epitheto *Novi*, consenuit & antiquatum est.

Porro] Alterum consectarium hinc derivatum, Temporibus Jeremiæ Prophetæ, prope erat ut moreretur, & evanesceret fœdus legale seu Leviticum, & per consequens post adventum CHRISTI, sub quo nova facta sunt omnia, expiravit. Quo nihil efficaciùs dici potuit ad movendum Hebræos, ut renunciantes Cæremoniis Leviticis, soli CHRISTO se totos consecrarent.

Caput

Caput Nonum.

Prosequitur comparationem Sacerdotii Levitici cum Sacerdotio Christi, & Sacerdotii Christi excellentiam porro ostendit. Capitis duæ sunt partes, In prima Sacerdotium CHRISTI *excellentius esse Levitico, probat Argumentis quindecim, ad* versum 16. *In secunda tollit scandalum Crucis, seu Mortis* CHRISTI, *necessitatem & sufficientiam ejus ostendendo, ad finem.*

Vers. 1. *Igitur habebat quidem etiam prius* fœdus *constitutos religionis ritus, & sanctuarium mundanum.*

Quod ad primam partem attinet, septem priora Argumenta sunt totidem imperfectionis Levitici Sacerdotii indicia, ex quibus commendatur excellentia Sacerdotii CHRISTI.

Argumentum primum, Primum Fœdus ad Leviticum Sacerdotium pertinens, habebat umbratiles justificationis ritus, & Sanctuarium terrenum tantùm. Sequitur ergo CHRISTI Sacerdotium, (quod habet veram justificationem secundùm novum fœdus, & cœleste Sanctuarium, ut prius ostensum est,) esse multò excellentiùs.

Vers. 2. *Tabernaculum enim constructum fuit: prius* quidem *in quo* erat *candelabrum, & mensa, & propositi panes quod sancta vocant.*

Hoc Argumentum explicat, Primò describendo Sanctuarii partes, & quæ in illis erant sacra; deinde justificationis ritus typicos. Tabernaculum quod erexit Moses, habebat duas partes; Anterior pars vocabatur *Sanctum*, interior pars *Sanctum Sanctorum*. In prima parte seu anteriori, fuit candelabrum: in parte domus meridionali ingredienti ad sinistram positum. Ex opposito, in parte domus septentrionali erat mensa cum panibus propositionis, sic dictis, quia coram DEO proponebantur: quibus significabatur accedentibus ad DEUM, lucem, & vitam ministrari. Erat etiam in hac parte, altare suffitus ante aditum interioris partis collocatum, quo precum oblatio significabatur.

Vers. 3. *Post medium autem velum* erat *Tabernaculum quod vocant Sancta Sanctorum*:

Velum quod pendebat in aditu hujus partis, hîc intelligitur esse pri-

mum Velum: Alterum velum quod dividebat partem anteriorem à Sancto Sanctorum, vocatur hic medium velum: & interius domicilium quod post illud erat, Sanctum Sanctorum dicitur: prior pars figurabat Ecclesiam in terris, posterior figurabat cœlum, seu locum in quo DEUS triumphanti Ecclesiæ se manifestat.

Vers. 4. *Aureum habens thuribulum, & arcam Fœderis undique circumtectam auro in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ germinavit, & Tabulæ fœderis.*

In Sancto Sanctorum, 1. erat aureum thuribulum, quod in usum Pontificis ingressi semel quotannis inservire potuit, aptum ad significandum intercessionem CHRISTI precantis pro nobis, & nostras preces acceptas DEO reddentis: 2. Erat Arca fœderis undique tecta auro, unde DEUS vocem edebat. Idonea figura Verbi incarnati, & consilium DEI nobis aperientis: 3. Erat urna habens Manna, abditum illud Manna (quod DEUS verè fidelibus in CHRISTO ad vitam æternam vescendum dat) commodè figurans: 4. Erat virga Aaronis, quæ germinavit, apta ad figurandam benedictionem efficacem, quam CHRISTUS ministrorum suorum laboribus concedit: 5. Tabulæ fœderis in arca positæ, quæ Legis impletionem non nisi in CHRISTO nobis quærendam docebant.

Vers. 5. *Supra hanc autem Cherubim gloriosi, obumbrantes propitiatorium: de quibus non est nunc dicendum singulatim.*

6. Erant Angeli Cherubini, alis ad se invicem conversis, operculum Arcæ obumbrantes; inter quas alas DEUS quasi sedebat, & consulentibus respondebat; quo ministerium Angelorum CHRISTO (magno pietatis mysterio, & in luce inaccessa habitanti) inservientium in typo proponebatur. Et quia latis hîc dictum de gloria externi Tabernaculi, seu de loco terreno, Apostolus abrumpit ampliorem de loco terreno disputationem.

Vers. 6 *His autem ita ordinatis, in primum quidem Tabernaculum quovis* tempore *ingrediuntur Sacerdotes qui ritus obeunt:*

Fuit locus; proximè describit umbratiles justificationis ritus, & primò quotidianos, quos quilibet sacerdotes quotidie exercebant in anteriori parte Tabernaculi, suffitum adolentes, panes ad mensam instruendam, oleum ad candelabrum, reliquaque secundum legem curantes.

Vers 7.

Vers. 7. *In secundum autem semel quotannis solus Pontifex, non sine sanguine quem offert pro semetipso, & pro populi erratis.*

Deinde describit ritus anniversarios, qui hujusmodi erant: 1. Pontifex solus sine comite: 2. Semel quotannis, non sæpius: 3. Nunquam sine oblatione sanguinis vituli, & hirci in pelvim excepti: 4. Sanguinem hunc offerebat pro suis peccatis, maximis & minimis, & pro peccatis populi. Hæc autem omnia externa, mundana & umbratilia, & in se minimè efficacia erant. Præfigurabant enim CHRISTI ingressum in cœlum per sanguinem suum verè propitiatorium. Hoc primum est argumentum, terrenæ imperfectionis in Sacerdotio Levitico.

Vers. 8. *Hoc declarante Spiritu sancto, nondum patefactam fuisse viam ad Sacrarium, priore Tabernaculo adhuc consistente.*

Arg. 2. per expositionem mysterii proximi propositum, Tempore Levitici Sacerdotii, dum statum obtineret Tabernaculum, & cultus ille ceremonialis circa Sanctuarium, via ad Cœlum, seu ad verum Sanctuarium non erat manifestè declarata, sicut jam manifesta facta est sub CHRISTI Sacerdotio. Id quod SPIRITUS Sanctus docebat per exclusionem Sacerdotum ex Sanctuario intimo: per admissionem Pontificis semel in anno, clauso manente Sanctuario, reliquo toto anno: Ergo excellentius est CHRISTI Sacerdotium Levitico.

Vers. 9 *Quod erat exemplar pro tempore illo præsenti quo dona sacrificiaque offeruntur, quæ non possunt in conscientia sanctificare cultorem,*

Arg. 3. Ritus expiatorii prædicti, & reliqua istius generis exercitia Pontificis Levitici, erant typica, parabolica, & merum exemplar eorum quæ per CHRISTUM præstanda erant: Ergo in excellentia cum CHRISTI Sacerdotio minimè æquiparandum est Leviticum.

Tempore] Arg. 4. Quæ fiebant à Pontifice & Sacerdotibus Leviticis inserviebant tantùm præsenti tempori legalis pædagogiæ (scilicet in Ecclesiæ ruditate & infantiâ, quo dona & sacrificia typica offeruntur: Ergo Leviticum Sacerdotium longè est inferius Sacerdotio CHRISTI.

Non possunt] Arg. 5. Dona & sacrificia quæ offerebantur à Leviticis Sacerdotibus, non poterant in conscientia sanctificare cultorem, vel malam conscientiam peccatorum admissorum tollere: Ergo Sacerdotium Leviticum cum CHRISTI Sacerdotio non est comparandum.

Vers. 10.

Vers. 10. *In cibis duntaxat & potionibus, & diversis ablutionibus ac ritibus carnalibus, usque ad tempus correctionis impositæ:*

Arg. 6. confirmans superius, Quæ donabantur & offerebantur à Levitico Sacerdote, tantùm in cibis & potionibus, & diversis lotionibus, & carnalibus ritibus consistebant, quæ non commendabant hominem DEO, 1 *Cor.* 8. 2. sed tantùm ut in carne sanctificati ceremonialiter mundi haberentur cultores, faciebant: Ergo nihil est Sacerdotium Leviticum ad excellentiam Sacerdotii CHRISTI comparatum.

Usque ad] Arg. 7. Imposita erant dona & sacrificia, reliquaque Sacerdotum Leviticorum officia, ut jugum & onus, usque ad tempus correctionis tantùm, id est, ad CHRISTI adventum, qui correcturus erat veteris Sacerdotii sacrificia & dona imperfecta, iisque abolitis donum & sacrificium perfectius introducturus: Ergo perfectius est CHRISTI Sacerdotium Levitico.

Vers. 11. *Adveniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius Tabernaculum non manufactum, id est, non hujus structuræ,*

Arg. 8. CHRISTUS est Pontifex non typorum, sed bonorum spiritualium, ut justificationis, sanctificationis & salutis, quæ per typos figurabantur: Ergo CHRISTI Sacerdotium est longe excellentius.

Per majus] Arg. 9. CHRISTUS majus & perfectius tabernaculum habebat, non manufactum, non communis structuræ, nempe tabernaculum corporis sui, quod à SPIRITO Sancto speciali modo fabricatum est in utero virginis, sine peccati originalis labe: in quo tabernaculo plenitudo Deitatis inhabitat: Ergo ejus Sacerdotium longe excellentius est Levitico.

Vers. 12. *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in Sacrarium, æternam redemptionem nactus.*

Arg. 10. CHRISTUS obtulit non sanguinem taurorum, seu hircorum, ut Levitici Pontifices, sed sanguinem proprium, factusque est idem & Sacerdos & Sacrificium: Ergo ejus Sacerdotium est excellentius Levitico.

Semel] Arg. 11. CHRISTUS ingressus est semel in Sacrarium verum, id est, in cœlum, ibique manet, non sæpius ut Levitici Pontifices in typicum: Ergo excellentius est ejus sacerdotium Levitico.

AEter-

Æternum] Arg. 12. CHRISTUS æternam redemptionem suo sacrificio comparavit, quod Leviticis erat impossibile. Ergo ejus Sacerdotium longè excellentius est Levitico.

Vers. 13. *Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem,*

Vers. 14. *Quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum æternum semetipsum obtulit inculpatum DEO purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad serviendum Deo vivo?*

Emundabit] Arg. 13 confirmans superius, CHRISTI sanguis purgat conscientiam, partim quatenus conscientia videns plenam pro se justitiæ divinæ satisfactionem factam in CHRISTI passione, absolutionem suam perfectam amplectitur, & in ea conquiescit: partim quatenus vis sanctificans cor ad DEO serviendum, ab eo profluit.

Nam si] Hoc argumentum confirmat à minori. Sanguis taurorum reliquique typi præstiterunt id ad quod erant instituti, nempe purificationem externi hominis Ecclesiasticam, ut sanctus haberi posset ad opera cultus externi; Quantò magis præstabit sanguis CHRISTI antitypus id, quod per typos est significatum, nempe purificationem conscientiæ, à peccatis, ad DEO serviendum. Peccata vocantur *opera mortua*, quia mortem merentur, & mortis reos reddunt peccatores.

Per Spiritum] Arg. 14. In oblatione CHRISTI, SPIRITUS æternus, seu CHRISTUS quâ DEUS, præcipuas Sacerdotis partes agebat, & seipsum ut hominem immaculatum pro sacrificio offerebat: Ergo ejus Sacerdotium Levitico tantò excellentius est, quantò DEUS homine, & sancta ejus humanitas, pecude præstantior est.

Vers. 15. *Itaque ob id novi Fœderis Mediator est, ut morte intercedente, ad redemptionem earum prævaricationum quæ fuerant sub priore Testamento, vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis.*

Arg. 15. Sub veteri fœdere nec remissio peccatorum, nec vitæ æternæ hæreditas data est vocatis, nisi propter CHRISTI mortem intercedentem sub novo fœdere, in quem finem ille jam Mediator novi fœderis constitutus est in gratiam omnium Vocatorum. Ergo præstantius est illius Sacerdotium Levitico illo sub veteri fœdere.

Secunda

Secunda pars.

Vers. 16. *Nam ubi testamentum est, mors intercedat, necesse est testatoris.*

Secunda pars Capitis, in qua ad tollendum scandalum crucis, probat primo necessitatem mortis CHRISTI, Argumentis sex, ad *vers.* 25. Deinde sufficientiam oblationis semel factæ in cruce, Argumentis quinque, probat ad finem.

Argumentum primum, Novum fœdus CHRISTI, est novum Testamentum CHRISTI: Ergo intercedere mortem Testatoris CHRISTI necesse erat.

Vers. 17. *Testamentum enim in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet quum vivit testator.*

Arg. 2. confirmans superius, Nisi mortuus fuisset CHRISTUS, fœdus seu testamentum non fuisset ratum: nam etiam inter homines non valet testamentum, dum testator vivit, sed tantùm postquam mortuus est: mutari enim potest viventis testamentum, sed non demortui: Ergo necesse erat ut moreretur CHRISTUS.

Vers. 18. *Unde ne prius quidem illud absque sanguine dedicatum fuit.*

Arg. 3. Sicut vetus testamentum non fuit DEO dedicatum, sine sanguine typico: Sic neque novum testamentum, sine veri Mediatoris CHRISTI vero antitypo sanguine dedicari potest, seu offerri in satisfactionem pro hominibus peccatoribus: Ergo CHRISTUM mori necessarium fuit.

Vers. 19. *Quum enim Moses omnia mandata secundum Legem recitasset toti populo, sumpto sanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyssopo, simul & ipsum librum & totum populum aspersit:*

Vers. 20. *Dicens, Hic est sanguis testamenti quod mandavit vobis DEUS.*

Argumentum hoc explicat & probat ex historia, *Exod.* 24. de dedicatione primi tabernaculi per sanguinem; ubi librum fœderis & populum aspersit Moses sanguine Vitulorum & Hircorum; simul significationem & usum ceremoniæ exponens, quod sanguis ille esset sanguis fœderis,

deris, seu symbolum fœderis typice icti in illis ceremoniis, & verè complendi in CHRISTI sanguine.

Vers. 21. *Insuper autem & Tabernaculum, & omnia vasa sacrorum, sanguine similiter aspersit.*

Vers. 22. *Et omnia fere secundum Legem sanguine purificantur, & absque sanguinis effusione non fit remissio.*

Arg. 4: Sicut sub lege omnia purgabantur vel sanguine, vel lotionibus ex factitiis vim purgandi trahentibus, adeò ut absque sanguinis effusione typica nulla fieret remissio peccatorum. Sic in novo fœdere nulla posset esse remissio peccatorum, nisi ex sanguinis CHRISTI vera effusione: Ergo CHRISTI mors fuit necessaria, Dicuntur sanguine aspergi tabernaculum, & vasa sacra quæ in se impolluta erant, quia respectu nostri nisi per CHRISTI sanguinem nos purificemur, omnia cedunt nobis in pollutionem. Idcirco sanctificari oportet nobis rerum sanctissimarum usum per CHRISTUM: alioqui immundis omnia sunt immunda; quatenus in omnibus, & per omnia, se polluunt infideles.

Vers. 23. *Itaque necesse fuit exemplaria quidem eorum quæ sunt in Cœlis, his rebus purificari, ipsa verò cœlestia potioribus quam hæ sint victimis.*

Arg. 5. Si typos oportuit purgare sanguine typico, res cœlestes spirituales significatas per typos oportuit consecrari melioribus victimis, hoc est, sanguine ipsius Mediatoris, qui virtute sua omnium victimarum vim continet, & per consequens CHRISTI mors necessaria erat.

Vers. 24. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar, vero* sacrario *respondens: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.*

Arg. 6. confirmans superius. CHRISTUS non est ingressus in manufactum Sacrarium typycum, sed in cœlum per Sacrarium significatum, ut constanter pro nobis apparens intercederet. Ergo tantò digniorem victimam (id est, Seipsum oportebat offerre) quanto cœlum superat terrestre sacrarium. Et per consequens mors ejus necessaria fuit.

Vers. 15. *Neque ut sæpe offerat semetipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacrarium quotannis cum sanguine alieno:*

Jam probat sufficientiam unicæ oblationis CHRISTI in cruce, Argumentis quinque.

Argumentum primum, CHRISTUS non est ingressus Sanctuarium terrestre sæpius, ut sæpe offerret seipsum, sicut Pontifex Leviticus, qui non suum sed alienum sanguinem quotannis offerebat. Sed cœlum ingressus est semel. Ergo sufficiebat unica illa oblatio sui in cruce, per quam in cœlum admissus est.

Vers. 26. *Alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo (sed nunc semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est.*

Arg. 2. Nisi sufficeret unica CHRISTI oblatio in cruce, oportuisset eum sæpius se offerendo, sæpius mori ab initio mundi: nam si sæpe debeat fieri oblatio corporis CHRISTI pro peccato, certè necesse fuit ut incepisset oblatio, quo tempore primum peccatum cæpit & commissum est, hoc est, initio mundi, & ab eo tempore oportuisset eandem oblationem toties repeti, quoties peccata nova post oblationem commissa sunt, repetitis vicibus absque numero: At hoc absurdum est. Ergo sufficit unica oblatio ejus in cruce facta.

Nunc semel] Arg. 3. CHRISTUS in plenitudine temporis apparuit eo fine, ut unica sui oblatione aboleret peccata suorum in præsenti, præterito, & futuro tempore; nam ad impetrandam & applicandam remissionem peccatorum, ad mortificationem & abolitionem peccatorum, omnium Redemptorum seu Electorum, satis est valoris in morte CHRISTI. Ergo sufficit unica oblatio.

Vers. 27. *Et sicut illud statutum est hominibus ut semel moriantur, posteà verò judicium.*

Vers. 28. *Ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, alterâ vice absque peccato conspicietur iis qui ipsum expectant ad salutem.*

Arg. 4. Sicut à DEO statutum est, ut omnes moriantur semel, & ut post mortem fiat judicium. Sic statutum est à DEO, ut CHRISTUS semel tantùm se offerret ad expiandum peccata multorum, id est, Electorum, & ut secundò veniret Judex Vivorum & Mortuorum. Ergo sufficit unica ejus oblatio in cruce.

Secundo] Arg 5. CHRISTUS secundâ vice veniens in die judicii manifestum faciet toti mundo, se unicâ oblatione sui pleniſſimè satisfeciſſe pro peccato, peccatique imputationem, & pœnas seu miseriam, & quæcunque

cunque alia sunt vestigia peccati, & à se ut Sponsore, & à suis pro quibus spopondit removisse, & salutem impetrasse Fidelibus, qui adventum ejus expectant. Ergo sufficit unica illa oblutio in cruce ad redemptionem nostri plenam. Dicitur CHRISTUS in secundo adventu appariturus, *sine peccato*, respectu primi adventus, in quo licet à peccati pollutione inhærente liberrimus fuerit, non tamen liber fuit à peccato alieno, seu nostro, quod ei imputatum est: Et propter quod infirmitati & miseriæ obnoxius factus est, donec pro peccatis nostris satisfecit. In die autem judicii apparebit in gloria, quæ peccati abolitionem omnimodam testificabitur: & per consequens demonstrabit unicam illam oblationem in cruce ad peccata tollendum abundè sufficientem esse.

Caput Decimum.

CHRISTI Sacerdotium pergit supra Leviticum extollere. Capitis duæ sunt partes, In priori probat præstantius esse sacrificium Christi unicum, omnibus victimis legalibus, ad vers. 19. In posteriori doctrinam hanc deducit in usum, hortatione adhibitâ ad fiduciam & constantiam in fidei professione, & vitæ sanctitate, cum patientia, ad finem.

Vers. 1. *LEX enim umbram obtinens futurorum bonorum, non expressam formam rerum, iis hostiis quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam potest accidentes sanctificare.*

Argumenta excellentiæ sacrificii CHRISTI supra Leviticas victimas sunt duodecim. Argumentum primum, Præscriptæ in Lege Ceremoniali Leviticæ victimæ, umbram tantùm sacrificii CHRISTI, & beneficiorum ejus continebant, non vivam rerum ipsarum repræsentationem, qualis redditur in speculo Euangelii à rebus ipsis, prout jam exhibitæ in seipsis considerantur: Ergo longè inferiores erant CHRISTI sacrificio illo repræsentato.

Nunquam] Arg. 2. Etiam præstantissimæ hostiæ Leviticæ quotannis repetitæ, per Pontificem, non poterant justificare vel sanctificare eos pro

quibus, vel à quibus offerebantur. Ergo deteriores erant CHRISTI sacrificio.

Vers. 2. *Alioqui desitissent offerri, propterea quòd qui sacrificassent, ac semel purgati essent, nullorum peccatorum amplius essent sibi conscii:*

Arg. 3. confirmans superius, Victimæ Leviticæ, ipsâ sui repetitâ oblatione, præ se ferebant imperfectionem suam & impotentiam ad justificandum peccatores, pro quibus offerebantur. Ergo deteriores erant Sacrificio CHRISTI.

Alioqui] Ratio redditur antecedentis, Si victimæ illæ justificassent cultores, sæpiùs offerri desiissent, quia cultores purgati à peccatorum reatu & quieti in conscientiis redditi, per unicam oblationem, non opus habuissent repetitâ oblatione. At victimæ illæ Leviticæ non desierunt sæpiùs offerri, quia lex repetitionem mandabat. Ergo non justificarunt cultores suos, illæ victimæ.

Vers. 3. *Atqui in illis repetita fit mentio peccatorum quotannis.*

Arg. 4. confirmans idem, Etiam nobilissimæ ex iis nempe anniversariæ victimæ quotannis secum ferebant omnium præteritorum peccatorum repetitam mentionem; quod frustra fuisset, si per priora sacrificia abolita fuissent: Ergo longè deteriora erant hæc sacrificia CHRISTI sacrificio.

Vers. 4. *Non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.*

Arg. 5. confirmans etiam secundum; Viliora erant hæc sacrificia (ut pote bestiarum) quam ut auferre possent peccata. Ergo CHRISTI sacrificio longè erant inferiora.

Vers. 5. *Quapropter ingrediens mundum, dicit, Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.*

Vers. 6 *Holocautomata & hostium pro peccato non approbasti.*

Vers. 7. *Tunc dixi, Ecce adsum (in capite libri scriptum est de me) ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Vers. 8. *Quum superius dixisset, Sacrificium & oblationem, & holocautomata & hostiam pro peccato noluisti, neque approbasti (quæ juxta Legem offeruntur)*

Vers. 9.

Vers. 9. *Tunc dixit, Ecce adsum ut faciam, Deus, voluntatem tuam, Tollit prius, ut posterius statuat.*

Hoc argumentum probat ex *Psal.* 40. In quo introducitur CHRISTUS à Propheta, quo tempore homo factus est, & in carne apparuit, pronuncians sublata esse à Patre sacrificia legalia, & statutam esse ipsorum loco suam in corpore obedientiam, ad mortem usque crucis, in eo quod dicit, *aures sibi perforatas*, vel *corpus sibi aptatum à Deo*, qua utraque phrasi intelligitur Filium DEI incarnatum, formatum fuisse ad obsequium, & obedientiam Patris. Nam cum repudiata videt sacrificia legalia, ut indigna quæ expiarent peccata, offert seipsum ad moriendum ex Patris voluntate, secundùm Prophetias, quæ de ipso in volumine Bibliorum continentur; Atque ita tollit sacrificia Levitica, ut stabiliat sacrificium CHRISTI.

Vers. 10. *Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel* factam.

Arg 7. Per oblationem corporis CHRISTI ex *voluntate Dei* justificamur & sanctificamur nos, qui per sacrificia legalia sanctificari non poteramus. Ergo CHRISTI sacrificium etiam ex institutione divina, est præstantiùs Leviticis.

Vers. 11. *Omnis igitur Sacerdos adstat quotidie operans, & easdem sæpius offerens hostias quæ nunquam possint auferre peccata:*

Vers. 12 *Hic verò una pro peccatis oblata victima, in perpetuum sedet ad dextram Dei:*

Arg. 8 Sacerdotes juge sacrificium offerentes quotidie stabant, ut ministri, laborantes & offerentes eaidem hostias, ad peccata auferenda inefficaces: CHRISTUS vero unâ victima semel oblatâ, ut Dominus cœli & terræ, in perpetuum consedit in consortio gloriæ cum Patre regnans. Ergo ejus sacrificium præstantius est Leviticis.

Vers. 13 *Id quod superest, expectans, donec inimici ipsius scabellum pedum ejus fiant.*

Arg. 9 Post sacrificium CHRISTI nihil faciendum restat pro expiatione peccatorum impetrandâ fidelibus seu electis, sed sola superest debellatio DIABOLI, mundi, peccati inhabitantis, mortis, & reliquorum nostrorum & CHRISTI inimicorum plena subjectio ut redempti potiantur plenâ felicitate, ab hostibus omnibus liberati. Ergo excellentius est ejus sacrificium Leviticis.

Vers. 14.

Vers. 14. *Unica enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.*

Arg. 10. confirmans superius, Oblatio CHRISTI semel facta, vim habet infinitam, non tantùm satisfaciendi pro peccatis Electorum seu Fidelium, qui in sanctitatis voto seipsos dedicarunt DEO, sed etiam efficaciter conferendi in eos omnes, qui fuerunt, sunt, & erunt, sanctitatem, & salutem, per gradus perficiendam, & in perpetuum duraturam. Ergo & excellentior est hæc oblatio Leviticis, & eâ jam oblata nihil restat præter abolitionem hostium, & applicationem beneficiorum per illam oblationem partorum, in Electorum bonum.

Vers. 15. *Testificatur autem nobis & ipse Spiritus sanctus: nam posteaquam prædixit*,

Vers. 16. *Hoc est fœdus quod paciscar cum iis post dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas cordibus eorum, & eorum mentibus eas inscribam*:

Vers. 17. *Et peccatorum atque iniquitatum ipsorum non recordabor amplius.*

Arg. 11. Fœdus novum fundatum in Sacrificio CHRISTI, absolute, nullâ positâ conditione promittit electis omnibus plenam sanctificationem. *Indam legem meam, &c*; & remissionem peccatorum *eorum non recordabor amplius*, ut testatur SPIRITUS Sanctus: *Jer.* 31, 31. *&c.* Ergo CHRISTI sacrificium quo sancitur hoc fœdus est præstantius Levitico.

Vers. 18. *Porrò ubi est horum remissio, non est amplius oblatio pro peccato.*

Arg. 12. Unica illa oblatio CHRISTI à DEO plenam remissionem peccatorum impetrat fidelibus sub novo fœdere, ut neque relinquat locum suæ ipsius repetitioni; neque ulli alii pro peccato oblationi. Ergo præstantior est oblationibus Leviticis.

Secunda pars Capitis.

Vers. 19, *Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi Sacrarium per sanguinem Iesu,*

Secunda pars Capitis, in qua doctrinam præcedentem deducit in usum, per hortationem ex variis membris constantem, ut cum fiducia in DEO, ad *vers.* 23. Sanctitatis studium in seipsis sigillatim, & in omnibus

bus Ecclesiæ membris promoventes, ad *vers.* 26. confidenter & patienter perseverent in fide, ad finem. Brevitatis autem causa, hortatio tota, hac propositione comprehendi poterit,, Debetis cum fiducia in sanctitatis studio, confidenter & patienter perseverare. Argumenta hortationis quæ propositionem hanc probant & urgent, sunt novemdecim: Quorum aliqua, allusione factâ ad typos ita proponit, ut interim ad rei significatæ excellentiam animum Hebræorum attollat.

Habeamus] Argumentum primum, Habetis unà nobiscum libertatem per fidem in precibus vestris in hac vita, & plenam possessionem post hanc vitam ingrediendi in cœlum, & ad DEUM ipsum accedendi. Ergo debetis cum fiducia perseverare in fide.

Per sanguinem] Arg. 2. Per sanguinem seu mortem IESU, tanquam per *plenissimum pretium* redemptionis & reconciliationis nostræ, paratur vobis hoc privilegium, ut in omnibus necessitatibus vestris, liberè sensa animi DEO proponatis. Ergo confidenter vobis est perseverandum.

Vers. 20. *Ea via quam dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est per carnem suam*:

Arg. 3. in hunc sensum, CHRISTUS homo factus, & communione naturæ se nobiscum uniens, carnem suam seu humanitatem dedicavit in hunc usum, ut vos nobiscum hoc communionis vinculo adjuti (per ejus mediationem, tanquam per viam recentem, planam, tutam, & viventem, quæ ambulantes in ea vivificet, & delassatos refocillet) ad DEUM accederetis, sicut Leviticus Pontifex per velum ingressus est in Sanctuarium. Ergo cum fiducia in DEUM vobis perseverandum est.

Vers. 21. Quumque habeamus *Sacerdotem magnum, præfectum domui Dei*:

Arg. 4. Habemus CHRISTUM Pontificem nostrum seu Sacerdotem magnum, qui præeat nobis in via, gerens iniquitatem inferiorum Sacerdotum, ne quæ à nobis perperam fiunt in nostro imperfecto colendi modo, aditum nobis ad DEUM præcludant. Cum fiducia ergo in DEUM vobis est perseverandum.

Præfectum] Arg. fiduciæ 5. Habemus CHRISTUM nostri amantissimum, præfectum domui DEI, qui potestatem habet intromittendi in cœlum quos vult, locumque assignandi ingressis, quem vult, & ex thesauro gratiæ tribuendi ipsis quantum optari potest. Ergo cum fiducia vobis unâ nobiscum perseverandum est.

Vers. 22

Vers. 22. *Accedamus cum vero corde, & certa persuasione, fidei, purus cordibus à conscientia mala*:

Vers. 23. *Et abluto corpore aqua pura, teneamus confessionem spei non vacillantem: (fidelis enim est qui promisit)*

Arg. 6. Fidelibus datum est jus ad novum & sincerum cor, ad plenam persuasionem fidei, & ad quietam in CHRISTO conscientiam, & ad vitæ sanctitatem, quæ per lotiones legales significabatur: Vos ergo per fidem nobiscum apprehendentes jus vestrum & aspergentes, seu applicantes vobis vim sanguinis CHRISTI, per fidem certiorati in vitæ sanctitate debetis unâ nobiscum ad DEUM accedere propius, & adhærescere DEO, ut confidentius perseveretis.

Fidelis] Arg. 7. DEUS qui promisit omnem gratiam sperantibus in ipsum, ut in sanctitate perseverent ad salutem, fidelis est. Ergo cum fiducia vobis perseverandum est.

Vers. 24. *Et observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera*:

Vers. 25. *Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicuti mos est quibusdam, sed adhortantes alii alios: idque eo magis quod videtis diem illum appropinquare*.

Arg. 8. Nisi diligentiam adhibeatis ut omnibus modis & mediis quæ vel ad propriam singulorum, vel ad Ecclesiæ in communi perseverantiam in fide & obedientia Euangelii faciant, (nempe alii alios observando, & exacuendo ad charitatem & bona opera, cœtus publicos observando, & unitatem Ecclesiæ conservando, *&c.*) periculum est ne separatio vel schisma sequatur, & tandem apostasia à fide, sicut in aliquorum exemplo experientia testatur. Ergo in fide perseverandum est.

Eo magis] Arg. 9. Dies judicii appropinquat, in quo perseverantibus, & à fide deficientibus, retributio secundùm opera est danda. Ergo vobis studiosè perseverandum est.

Vers. 26. *Nam si ultrò peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia*:

Arg. 10. Nisi perstiteritis in fide, vel si post agnitam Euangelii veritatem, sponte, ultro, seu destinato animi proposito, defectionem feceritis ab Euangelio (quod est peccatum admittere in SPIRITUM Sanctum) non restat pro peccatis aliqua hostia, neque per consequens peccati

peccati remissio, siquidem malitiosè rejecto CHRISTO, & ejus sacrificio, reliquum est nullum sacrificium pro peccato. Ergo ne incidatis in hanc abyssum studiosè perseverandum est.

Vers. 27. *Sed horrenda quædam expectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios.*

Arg. 11. Apostatas, qui CHRISTUM agnitum ultro abjiciunt, & in adversaria castra malitiosè transeunt, manet metus horrendi judicii DEI, & ignis æterni certò devoraturi omnes CHRISTI hostes, & inter primos, apostatas. Ergo perseverandum in fide.

Vers. 28. *Qui violarit Mosis legem, absque misericordia, ex duorum aut trium testimonio moritur.*

Vers. 29 *Quanto (putatis) acerbiore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit, & sanguinem fœderis per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia afficerit?*

Hoc Argumentum confirmat sex rationibus: 1. Quia contemptor legis Mosaicæ legitimè convictus, capitale luebat supplicium, sine misericordia. Ergo multò magis apostata perdendus est.

Conculcavit] Ratio 2. Quia apostata non minori contumelia CHRISTUM afficit, quantùm in ipso est, quam si pedibus conculcaret ipsum de Throno detractum. *Sanguinis*] Ratio 3. Quia sanctissimum sanguinem CHRISTI, (per quem semel quoàd externum hominem, seu carnis externam sanctificationem Ecclesiasticam, separati sunt à mundo, & DEO consecrati in Baptismo,) quasi de vulgo hominis cujuspiam sanguinem æstimant. *Spiritum*] Ratio 4. Quia SPIRITUM Sanctum qui ipsos convicit de CHRISTI Deitate, & Divinâ virtute, contumelia afficiunt quasi mendacem.

Vers. 30. *Novimus enim eum qui dixit, Meum est ulcisci, ego repensam, dicit Dominus. Et rursum, Dominus judicabit populum suum.*

Ratio 5. Quia DEUS profitetur se Ultorem omnium peccatorum, & Vindicatorem injuriarum populo suo factarum, *Deuter.* 32. 35, 36. Et multò magis tam atrocis peccati adversùs Filium suum, simul & Ecclesiam totam, admissi.

Vers. 31. *Horrendum est, incidere in manus Dei vivi.*

Ratio 6. Quia apostatis negotium est non cum miseris mortalibus, sed cum DEO vivo, hoc est, Omnipotente, & ad ultionem semper parato, in cujus manus, ut in Judicis irati, incidere horrendum est. Ergo apostatis nihil expectandum præter horrendum DEI judicium.

Simul hic habetur Argumentum 12. ad perseverandum in fide. Ultronea apostasia à fide, conjuncta est cum tot atrocibus in CHRISTUM & SPIRITUM Sanctum contumeliis. Ergo ab apostasia cavendum, & constanter in fide perseverandum est.

Vers. 32. *Revocate verò in memoriam superiores dies, quibus postquam illustrati fuistis, ingens certamen afflictionum sustinuistis:*

Vers. 33. *Partim quidem, dum & cum probris, & cum oppressionibus in theatrum estis producti: partim verò, dum socii facti estis eorum qui eo statu versantur:*

Vers. 34. *Nam & de vinculis meis mecum doluistis, & direptionem facultatum vestrarum cum gaudio accepistis, ut qui sciretis vos habere apud vos potiorem substantiam in Cœlis, & quæ permaneat.*

Arg. 13. Persequutionem patiendo pro Euangelio, edidistis jampridem constantiæ vestræ in fide præclarum specimen, in spe mercedis vobis in cœlis repositæ. Ergo in fide constanter vobis jam posteà est perseverandum. Hoc Argumentum declarat, revocando illis in memoriam quomodo statim post receptam fidem CHRISTI, ex illuminatione Verbi & SPIRITUS DEI commissi sint quasi in certamen cum afflictionibus ingentibus, *vers.* 32. Partim dum ipsi publicè ignominia afficerentur ab Euangelii hostibus, & opprimerentur omnis generis injustitiâ & violentiâ. Partim denique dum se ex Christiana sympathia socios adjungebant afflictis & oppressis pro Euangelio, *vers.* 33. Id quod experientia manifestum facit, quia dum Apostolus vinciretur pro Euangelio, Hebræi fideles condoluerunt, & facultatum suarum direptionem cum gaudio acceperunt, nihil curantes terrenas divitias præ cœlesti & æterna hæreditate in cœlis sibi reposita, *vers.* 34.

Vers. 35. *Ne igitur abjicite fiduciam vestram, quæ magnam habet præmii retributionem.*

Arg. 14. Constans perseverantia in fide magnam habet præmii retributionem. Ergo non abjicienda, sed retinenda est vobis constanter fidei professio.

Vers. 36

Vers. 36. *Nam patientia vobis opus est: ut ubi voluntatem Dei præstiteritis, reportetis promissionem.*

Arg. 15. Si patienter perseveraveritis, vitam æternam vobis promissam reportabitis, alioqui non. Ergo constanter & patienter perseverandum est vobis.

Vers. 37. *Adhuc enim tantillum, tantillum* inquam, *& qui venturus est veniet, neque tardabit.*

Arg. 16. Laborum statim finis erit, & modicum tantùm restat ad victoriam: statim aderit DEUS vos liberaturus ab omni molestiâ: (ut Propheta admonet, *Habbak.* 2. 4.) Ergo constanter perseverandum.

Vers. 38. *Justus autem ex fide vivet: at si quis se subduxerit, non probat eum animus meus.*

Arg. 17. Justus non præsenti spei suæ possessione, sed fide vivet: justitiam simul & vitam, non nisi fide apprehendens. Ergo in fide vobis perseverandum est, ut justitiam & vitam consequamini.

Siquis] Arg. 18. Qui abjectâ fide superbit in fiducia carnali virium suarum, vel ullius creaturæ virtuti innititur, odiosus est, & DEO & Sanctis ipsius: Ergo vobis in fide perseverandum est.

Vers. 39. *At nos non ii sumus qui nos subducamus ad exitium, sed qui credamus ad animæ salutem.*

Arg. 19. Persuasum habeo nos qui verè fideles sumus, non esse de numero hypocritarum rejectitiorum, qui in die tentationis solent deficere ad sui perditionem, sed de numero Electorum, ex quibus nullus non perseverat ad animæ suæ salutem. Ergo vobis confidenter perseverandum est in fide.

Caput Undecimum.

Pergit confirmare superiorem hortationem ad perseverandum in fide, variis argumentis deductis à fidei proprietatibus & effectis, multiplici experientiâ Sanctorum, illustratis. Argumenta hortationis sunt viginti quatuor, Quæ omnia probant fovendam esse fidem, seu perseverandum in fide, seu vivendum ex fide in mediis afflictionibus.

Vers. 1. *EST autem fides, illud quod facit ut extent quæ sperantur, & quod demonstrat quæ non videntur.*

Argumentum primum, Fides amplexa promissionem de rebus sperandis, eas nobis sistit tanquam præsentes, iisque quasi subsistentiam quandam tribuit, quatenus veritatem & potentiam DEI promittentis, (in cujus virtute res promissæ continentur) nobis applicat, & in gremium injicit, nosque tam certos reddit de eventu, quam si promissa jam præstita essent: Ergo in fide perseverandum & vivendum est.

Et quod] Arg 2. Fides amplexa DEI verbum est demonstratio convincens de veritate rerum præteritarum, præsentium, & futurarum quæ non videntur, vel nobis apparent, & tamen pro certissimis jurè à nobis habentur, propter indubitatam autoritatem verbi Divini, Ergo in fide perseverandum & vivendum est.

Vers. 2. *Ob eam enim testimonio sunt ornati majores.*

Arg. 3 Per fidem, à DEO testimonio ornantur, laudantur, justificantur, & beati prædicantur fideles, ut in antiquorum exemplis in Scriptura positis apparet. Ergo in fide perseverandum est, & in mediis afflictionibus vivendum.

Vers. 3. *Per fidem intelligimus constructum fuisse mundum verbo DEI, ut quæ cernimus non sint ex apparentibus facta.*

Arg. 4. Fides sibi satisfacit in Verbo DEI omnipotentis, de constructione mundi ex nihilo, seu de creatione omnium quæ cernimus, ex nulla apparenti, vel præexistenti materia. Ergo ex fide vivendum est, in eâque perseverandum, etiamsi nihil cernamus eorum quæ in verbo DEI nobis promittuntur: Siquidem potest DEUS non minùs verbo suo promissam nobis salutem ex non apparentibus producere, quam potuit mundum ex nihilo creare.

Vers. 4. *Abel per fidem majoris pretii sacrificium obtulit Deo quàm Cain: per quam testimonium obtinuit quòd esset justus testimonium perhibente Deo de donis ejus: & per hanc mortuus adhuc loquitur.*

Sequuntur proprietates fidei, quæ illustrantur speciali experientiâ Sanctorum, quos in quatuor quasi classes ordinis causâ dispescit. Prima classis est eorum qui vixerunt ante diluvium, ad versum 8. Secunda est eorum

est eorum qui à diluvio ad descensum Israelis in Egyptum vixerunt, ad vers. 23. Tertia est eorum qui sub exitum ex Egypto vixerunt, ad vers. 32. Quarta est eorum qui reliquo post tempore vixerunt, ad finem.

In prima classe primus est Abel, qui dicitur præstantius sacrificium obtulisse per fidem quam Cain, non solùm quia fides effecit ut delectum faceret præstantissimi sacrificii, quod per DEI mandatum licuit ipsi offerre, sed maximè quia per fidem in rem significatam, id est, in MESSIAM, immaculatum illum Agnum DEI promissum, qui sublaturus erat peccata mundi, conjecit oculos, & in Spiritu DEUM coluit; cum Cain in nuda ceremonia superficiali tantummodo hæreret. Atque ita declaratus est Abel justificatus per fidem, DEO testimonium perhibente de præstantia sacrificii ab ipsò oblati: Per quam etiam fidem licet mortuus sit, loquitur hucusque tamen, exemplo suo docens omnes in Ecclesia, in CHRISTUM credere, fidemque suam sanguinis Martyrio, si DEUS voluerit, obsignare. Hinc Arg. 5. Per fidem declarantur fideles justi, acceptantur ipsorum munera, cultus DEO oblatus probatur, & posteri ædificantur fidelium exemplo, ut Abelis experientiâ manifestum est, Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 5. *Per fidem Enoch fuit translatus, ne videret mortem: nec fuit inventus, propterea quod transtulerat eum DEVS: priusquam enim transferretur, testimonium obtinuerat quod placuisset DEO.*

Vers. 6. *Atque fieri non potest, ut sine fide quisquam ei placeat, nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum, & præmia largiri iis qui ipsum requirunt.*

Sequitur secundo loco Enoch, qui per Fidem dicitur translatus in vitam immortalem, non interveniente morte seu separatione animæ à corpore, sed mutatione tantùm facta à qualitatibus mortalibus ad immortales. Probat autem quod hæc translatio fuerit fructus Fidei, quia Enoch DEO placuit, seu approbatus est ante translationem sui. Placere autem DEO impossibile est, nisi per fidem: cujus ratio redditur, quia nemo ad DEUM accedit, seu in societatem cum DEO admittitur, nisi DEI omnisufficientiæ & bonitati per Fidem subscribat, ita ut etiam sibiipsi oblatam DEI bonitatem applicet, & accedat ad DEUM, communionemque cum DEO colat. Sola enim fides est quæ hominem omni dignitate propria exuit, DEOque misericordi & benigno agglutinat. Hinc

arg. 6

arg. 6. Per fidem obtinemus æternam vitam, sicut DEUS testatum nobis fecit per translationem Enochi, qui nisi fide præditus fuisset, non placuisset DEO, neque ad DEUM accessisset, neque in Cœlum admissus fuisset. Ergo in Fide perseverandum est.

Vers. 7. *Per fidem divinitus admonitus Noe de iis quæ nondum videbantur, veritus apparavit arcam ad servandam domum suam, per quam arcam condemnavit mundum, & ejus quę ex Fide est justitiæ factus est hæres.*

Tertius est Noach, qui divinitus admonitus de deluvio post multos annos venturo, credidit, & metuit, arcamque paravit ex DEI mandato ad familiæ suæ conservationem. Quo facto convicit incredulitatis reliquos in mundo secum tum viventes, & declaratus est hæres illius justitiæ, quæ est per fidem in CHRISTUM, qui per arcam repræsentatus est: Hinc Arg. 7. Per fidem cavemus nobis à DEI ira, mediisque ad salutem institutis diligenter utimur, per quam diligentiam mundum arguimus infidelitatis & socordiæ, & veritatem testamur fidei nostræ, per quam credimus in CHRISTUM, hæreditatemque justitiæ in illo consequimur, ut in experientia Noachi manifestum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 8. *Per Fidem, vocatus Abraham auscultavit* DEO, *ut abiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem: & exivit, nesciens quò esset venturus:*

Vers. 9. *Per Fidem commoratus est in terra promissa ut aliena, commoratus est in tabernaculis cum Isaac & Jacob cohæredibus ejusdem promissionis.*

Vers. 10. *Expectabat enim urbem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus.*

Secunda classis Fidelium, qui à diluvio ad tempora descensus Israelitarum in Egyptum, vixerunt. In quo ordine primus est Abraham, qui per fidem renunciavit patriæ suæ, & DEUM sequutus est in terram alienam, nixus DEI promissione de hæreditate sibi danda, incertus interim ubi terrarum ipse commoraturus esset, vers. 8. Per fidem etiam in terra promissa agebat in tabernaculis, ut Advena & peregrinus aliquis, sicut etiam Isaac & Jacob ejus posteri fecerunt, quibus eadem promissio hæreditatis facta est, vers. 9. Typicam enim illam terram Canaan, non tam

respexit,

respexit, quam repræsentatum per illam terram promissionis cœlum, quod est simile munitæ & firmissimæ fundatæ civitati, à DEO & non ab hominibus conditæ: Hinc Arg. 8. Per fidem vocati à DEO renunciamus rebus terrenis omnibus, & sorte pro DEI beneplacito qualicunque in hoc mundo contenti peregrinamur, sub spe hæreditatis firmissimæ in cœlo à nobis possidendæ, ut in exemplo Abrahæ perspicuum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 11. *Per Fidem & ipsa Sara vim ad concipiendum semen accepit, ac prater ætatis rationem peperit, quod Fidelem judicarit eum qui promiserat.*

Vers. 12. *Quapropter & ex uno, eoque jam emortuo, nati sunt* posteri, *quanta est astrorum Cæli multitudo, & quasi arena illa innumerabilis, quæ est ad oram maris.*

Antequam absolvat quæ dicturus erat de Abrahamo, mentionem facit fidei uxoris ipsius Saræ, cujus fides concurrebat cum Abrahami fide ad apprehendendam promissionem de numerosa sobole ab ipsis oriunda. Sarah per fidem nixa veritate promissionis DEI fidelis & omnipotentis, sterilis licet & vetula, supra naturæ vires idonea reddita est ad semen concipiendum, & filium Isaacum pariendum ex Abrahamo jam effœto, & respectu prolificationis quasi emortuo, atque ita DEI promissio de sobolis innumerabilitate effectum sortita est. Hinc Argumentum 9. Per fidem idonei reddimur ad ea præstandum, quæ longè superant humanas vires, & ad promissionum, rationi carnali incredibilium, complementum recipiendum, sicut experientiâ Saræ comprobatum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 13. *Secundum fidem mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, sed eminus ea conspicati, postquam credidissent, & amplexi essent, ac professi fuissent se hospites & advenas esse in terra.*

Arg. 10. Omnes hi proximè recitati, nempe Abraham cum uxore Sara, & Isaacus, & Jacobus, perseverarunt in fide, usque ad mortem, neque potiti sunt bonis à DEO promissis in hac vitâ: Tantùm per fidem cernebant rerum promissarum certitudinem, deque eâ persuasi eminùs salutarunt promissa bona, extensisque quasi fidei ulnis ea amplexi sunt, satis habentes quod essent iis post hanc vitam potituri profitentes,

sitentes interim dum viverent, hospites se & advenas esse in terra. Ergo etiam & vobis in fide perseverandum, & ex fide vivendum est.

Vers. 14. *Nam qui hæc dicunt, palàm ostendunt se patriam quærere:*

Vers. 15. *Quòd si illius memores fuissent ex qua exierant, habuissent tempus ad revertendum:*

Vers. 16. *Nunc autem meliorem expetunt, hoc est, cœlestem: quapropter non erubescit ipse* DEVS, *vocari* DEVS *eorum, paraverat enim eis urbem.*

Probat eos quandiu in terris agebant non adeptos fuisse bona promissa, duabus rationibus. Ratio 1. Quia profitendo se hospites in terra esse, palam ostendebant se patriam quærere, *vers.* 14. non autem terrenam patriam quærebant, quia tempus habebant revertendi ad eam si illam quæsivissent, vers. 15. Ergo cœlestem patriam à DEO promissam quærebant.

Quapropter] Ratio 2. DEUS non erubuit DEUS ipsorum vocari, unde significavit, & se urbem paratam, id est, cœlum iis paratum habere, & statuisse eos à mortuis suscitare, ut tam corpore quam anima patriam illam desideratam possiderent, nam ut DEUS ipsorum urbem illam paraverat eis, sic denominari se ab illis voluit *Deus ipsorum*, ut sciant omnes non separandos fuisse sanctos hos à DEI societate quam quærebant.

Vers. 17. *Abraham quum tentaretur, obtulit Isaac per fidem, unigenitum*, inquam, *illum obtulit is qui promissiones exceperat.*

Vers. 18. *Ad quem dictum fuerat, In Isaac vocabitur tibi semen.*

Vers. 19. *Quum illud secum perpendisset, Deum vel à mortuis excitare posse: unde etiam illum similitudine* quadam *recepit.*

Fuerunt argumenta ex communi effecto fidei patriarcharum. Sequuntur argumenta ex fidei effectis singulorum propriis. Primum commendat fidem Abrahami, quod cum DEUS probaret ipsum, an fidem habitutus esset promissionibus, adeoque an in omnibus obediturus esset, nihil reliqui fecit ad offerendum Isaacum in holocaustum, licet unigenitum Filium suum, licet immediate accepisset Abraham promissiones de multiplicando semine in hoc ipso Isaaco, vers. 17. Licet disertè dictum fuerit ipsi de hoc ipso Isaaco, quod semen benedictum, (in quo

(in quo omnes Gentes benedicendæ erant) ex eo oriturum esset, vers. 18. Per fidem enim Abraham ratiocinatus est Deum, qui ex effœtis parentibus Isaacum produxerat, potentiâ etiam præditum esse ad excitandum eum ex cineribus. Atque ita è faucibus mortis Isaacum ereptum recepit in similitudine quadam quasi à mortuis suscitatum, *vers.* 19 Hinc Arg. 11. Per fidem in tentationibus superantur omnia impedimenta, quæ obedientiam Deo præstandam ullo modo possent remorari, idque felicissimo cum successu, ut Abrahami experientia manifestum facit. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 20 *Per fidem de futuris benedixit Isaac* filio *Jacob & Esau.* Proximè nominat Isaacum, qui per fidem pronunciavit de futuris benedictionibus, ac si eas præsens conspexisset: Unde Arg 12. Per fidem futuræ benedictiones quasi præsentes statuuntur, deque iis certitudo non minor habetur, quam si coram sensu aspicerentur. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 21. *Per fidem, Jacob moriens singulis filiis Joseph benedixit: & adoravit baculo innixus.*

Sequitur Iacobi exemplum, qui moriens, & se, & filios suos consolatus est per fidem, de benedictionibus secundùm Dei promissionem venturis in nepotes suos, & eorum posteros, idque tantâ cum persuasione, ut præ gaudio adoraverit Deum, baculo innitens præ corporis infirmitate: Hinc Arg. 13. Per fidem morientes consolationem capere possunt, & non seipsos solùm, sed etiam alios de benedictionibus promissis confirmare, Ut in exemplo morientis Iacobi videre est: Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 22. *Per fidem, Joseph moriens de egressione filiorum Israel meminit, deque ossibus suis mandavit.*

Patriarcharum ultimus nominatur Joseph, cujus animo neque potestas, neque bonorum affluentia qua potiebatur in Egypto, oblivionem, aut neglectum inducere potuit promissionum Dei, quin persuasus de egressione filiorum Israel ex Egypto, deque introductione eorum (licet post multos annos) in terram Patribus promissam, mandaret ossa sua simul asportari, in testimonium quod rem significatam per terram promissam omnibus rebus terrenis prætulerit. Unde Arg. 14. Fides superat temporis diuturnitatem, ante promissionis complementum intercedentis, unàque cum vitæ hujus commodis mortis & sepulchri putredinem,

& mala, & futuram resurrectionem cum Sanctis constanter expectat, ut in Josephi morientis exemplo videmus. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 23. *Per fidem*, *Moses quum natus esset*, *occultatus est menses tres à parentibus suis*, *quòd viderent venustum esse pueru-lum*; *& non timuerunt edictum regis*,

Sequitur tertia classis exemplorum, à temporibus prope egressum Israelis ex Egypto, ad tempora Judicum. Primum exemplum est Parentum Mosis, qui colligentes ex pueri Mosis pulchritudine, DEUM designasse ipsum ad singulare aliquod opus, per fidem occultarunt ipsum tres menses, toto illo tempore non passi, ut metus edicti Regii obstaret, quo minus vivum conservarent eum, quem Rex ut masculum in profluentem abjici edixerat: Unde Arg. 15. Per fidem superatur metus, quem tyranni injustis edictis suis, fidelibus injiciunt, ut in exemplo parentum Mosis manifestum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 24. *Per fidem*, *Moses jam grandis renuit vocari Filius Filiæ Pharaonis*.

Vers. 25. *Potius eligens simul malis affici cum populo DEI*, *quam temporariis commodis peccati frui*:

Vers. 26 *Majores arbitratus divitias probrum Christi*, *quam Ægyptiorum thesauros*. *Intuebatur enim in præmii largitionem*.

Secundum exemplum est Mosis, cujus fidei actus plures numerantur, qui plurium Exemplorum & Argumentorum vim habent. Primus actus fidei Mosis est, quod jam adultus, rationis & consilii potens, per fidem contempserit cognationem regiam, malueritque Hebræus vocari, quam nepos Pharaonis: quod fecit non tam verbis quam facto, quando relictâ aulâ regiâ egressus est ad fratres suos Hebræos in afflictione visitandos, nec ad aulæ delicias ultra est reversus, *vers.* 24. actum hunc Apostolus commendat triplici nomine; Primò, quod elegerit potiùs afflictiones omnes in exilio, & servitute dura pati, ut populo DEI tandem aliquando prodesset, quam deesse officio suo, & momentaneis deliciis aulicis cum peccato, seu officii neglectu, frui, *vers.* 25. Secundò; quod contemni, unà cum populo DEI, propter fidem in CHRISTUM venturum, atque ita gestare crucem, seu probrum CHRISTI (in quem ut caput, injuriæ factæ ipsius membris, reflectuntur) majores divitias æstimaverit, quam thesauros Egyptiorum in aula Pharaonis possidere. Tertiò, quod se

sustinuerit

sustinuerit spe liberationis populi DEI, & expectatione gratuiti præmii, quod DEUS promisit servis suis se redditurum: Unde probatur totum quod de Mose dixit, fidei esse effectum, *vers.* 26. Hinc Arg. 16. Per fidem vilescunt honores & divitiæ, aliæque illecebræ mundanæ, quibus capiuntur incauti homines ad suam perditionem, & splendescunt afflictiones, CHRISTI nomine toleratæ, propter Communionem cum Sanctis, & CHRISTO ipso, in persecutionibus obsignatam, & expectationem præmii afflictis DEI servis promissi, ut in exemplo Mosis perspicuè apparet. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 27 *Per Fidem reliquit Ægyptum, nihil timens iram regis: nam ut qui videret eum qui est invisibilis, ita forti animo fuit*.

Secundus Actus fidei Mosis est, quod fretus promissione DEI, Pharaoni denunciaverit, se vel invito ipso, populum Israeliticum ex Egypto educturum, & facto reliquerit Egyptum, unà cum universo populo, cui ad discedendum Author & Ductor fuit. Hic actus duplici nomine commendatur: Primò, quod non metuerit iram Regis, qui timidum & imbellem populum abeuntem, collectis copiis armatâ vi, vel occidere, vel in graviorem servitutem retrahere potuisset, nisi DEUS se opposuisset. Secundò, quod fide intuitus sit DEI invisibilis veritatem & potentiam, seque in difficultatibus omnibus hoc aspectu se sustinuerit, unde probat actum hunc, fidei effectum fuisse. Hinc. Arg. 17. Per fidem promissam liberationem populi DEI ex regno tenebrarum prosequimur, & superamus omnem metum, quem tyrannorum ira, & armata potentia contendentibus ad promissam hæreditatem injicere possent, oculis semper in DEI invisibilis promissum auxilium, intentis, ut in Mosis exemplo probatum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 28. *Per fidem peregit Pascha, & effusionem illam sanguinis: ne, qui perimebat primogenita ipsos tangeret*.

Tertius Actus fidei Mosis est, quod ex DEI promissione certioratus & persuasus, celebraverit in Egypto festum Paschatis, effusoque Agni Paschalis sanguine, aspergenda curaverit ostia Israelitarum omnium: DEI nomine omnibus promittens fore ut liberarentur à plaga Angeli, (illâ nocte interempturi Primogenitos Egyptiorum) quicunque ædes haberent agni immolati sanguine insignitas. Hinc Arg. 18. Per fidem, Sacramenta in Ecclesia, publicumque DEI cultum celebramus, in testimonium spei

nostræ de liberatione ab interitu, quo involvendus est reliquus mundus, ut apparet in Mosis exemplo. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 29. *Per Fidem transierunt rubrum mare, veluti per siccam* terram: *cujus facto periculo Ægyptii obsorpti sunt.*

Tertium Exemplum est credentium Israelitarum, unà cum ductore ipsorum Mose, qui per fidem, sicut auli sunt divisarum aquarum apertas fauces ingredi, & iter per umbram mortis satis longum capessere, sic incolumes transierunt rubrum mare, veluti per aridam terram: Egyptii verò absque Dei promissione periculum facientes, an possent eos sequi, absorpti sunt. Hinc Arg. 19. Per fidem res humanæ rationi impossibiles aggredimur, & pericula in quibus pereunt infideles, pervadimus, ut in populi transitu per mare rubrum manifestum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 30. *Per Fidem Mœnia Jericho conciderunt quum ea circuivissent ad dies septem.*

Exemplum 4. Est Josuæ & Israelitarum credentium, qui pet fidem expectantes ruinam murorum Jerichuntis, ad septem dies mœnia circumierunt cum arcâ fœderis, & tubis Sacerdotalibus, nec spe frustrati sunt. Hinc Arg. 20. Per fidem, Credentes precibus suis absque ope omni humanâ munitissimas arces & urbes hostium suorum dejiciunt, & expugnant; ut in exemplo Israelitarum ingredientium in terram promissam probatum est. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 31. *Per Fidem, Rahab meretrix illa non periit unà cum iis qui non obedierant, quum pacificè excepisset hospitio exploratores.*

Exemplum 5. Est fidei Rachab meretricis, & alienigenæ, in qua studium servandi exploratores respicit Deus ut effectum fidei, mendacium vero ab humana infirmitate profectum abluit, & præterit sed non probat; nam qui fidem habent non agunt omnia ex fide. Mulierecula hæc per fidem in Deum Israelis, pacificè excepit, & clam dimisit exploratores Israeliticos, & servata est, ne periret cum incredulis concivibus suis Jerichuntinis. Hinc Arg. 21. Nulla peccata præcedentia impedire possunt, quo minus qui per fidem confugiunt ad Deum & consortium veræ Ecclesiæ, serventur, ne pereant cum infidelibus, ut exemplo meretricis Rachab conversæ ad fidem apparet. Ergo in fide perseverandum est.

Vers. 32.

Vers. 32. *Et quid præterea loquor? deficiet enim me tempus commemorantem de Gideone, de Barac, & Samsone, & Jephthe, & Davide, & Samuele, ac Prophetis:*

Vers. 33. *Qui per fidem debellarunt regna, exercuerunt justitiam, assecuti sunt promissiones, occluserunt ora leonum:*

Vers. 34. *Extinxerunt vim ignis, effugerunt acies gladii, validi facti sunt ex imbecillis, effecti sunt robusti in bello, exercitus exterorum in fugam verterunt:*

Vers. 35. — *Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos:*

Sequitur 4. Classis exemplorum, nempe fidei eorum qui reliquo post Josiam tempore vixerunt, quorum nomina recitat aliquot, numero sex, & his adjungit in cumulo, Prophetas aliosque sanctos, qui ante CHRISTUM vixerunt: ex quibus alii, Quid non valuerunt per fidem efficere? Alii vero quid non valuerunt per fidem pati? Factorum autem genera enumerat decem: 1. Alii per fidem debellarunt regna, ut Judices nominati & David rex: 2. Alii exercuerunt justitiam in casibus difficillimis probati, ut cum David bis pepercit Sauli hostiliter ipsum persequenti: 3. Alii superatis difficultatibus constanter perdurarunt, donec speciales ipsis factæ promissiones præstitæ sunt, ut David promissum regnum per fidem adeptus est: 4. Alii occluserunt per fidem ora Leonum, ut Sampson, David, Daniel, *vers.* 33: 5. Alii per fidem extinxerunt vim ignis, ut tres socii Danielis: 6. Alii effugerunt acies gladii, seu præsentissimam mortem, ut Elias fugiens minas Jezabelis: 7 Alii corroborati sunt in infirmitate & convaluerunt ex morbis lethalibus, ut Ezechias: 8. Alii effecti sunt robusti in bello, ut Sampson & David: 9. Alii exercitus exterorum in fugam verterunt, ut Gideon *vers.* 34: 10. Alii acceperunt ex resurrectione mortuos suos, ut Vidua Sareptana hospita Eliæ. Et Shunamita hospita Elizæi *vers.* 35.

Vers. — 35 *Alii verò distenti sunt, neglecta liberatione, ut potiorem resurrectionem nanciscerentur.*

Atque hæc sunt genera actionum illustrium, in quibus excelluerunt sancti per fidem, Sequuntur etiam decem genera passionum, in quibus fortiter ferendis, superiores per fidem evaserunt alii Sancti DEI servi, quorum nomina non recitat, sed an ejusmodi fuerint dubitare nefas, cum autorem habeamus SPIRITUM Sanctum, qui amanuensem suum Paulum

Paulum de veritate dictorum certissimum reddidit, ut nullus restet nobis dubitandi locus, imo nec locus quærendi curiosè, ex qua historia desumpserit ista, cum sciamus hanc ipsam narrationem omni exceptione majorem esse. Primum genus passionum, alii *distenti sunt* per tortores suos, quemadmodum corium in tympano distenditur, & fustibus percussi ut tympana, donec intumescerent & morerentur, quibus oblata est liberatio si fidem abnegarent; sed liberationem eâ conditione promissam contempserunt, sub spe resurrectionis ad vitam meliorem.

Vers. 36. *Alii rursus ludibria & flagella sunt experti, insuper & vincula & carcerem:*

Secundum genus passionum, Alii passi sunt ludibria: 3. Alii verberibus affecti: 4. Alii insuper vinculis astricti: 5. Et alii etiam carceribus inclusi.

Vers. 37. *Lapidati sunt, dissecti sunt tentati sunt, gladio cæsi occubuerunt: oberraverunt cum ovillis & caprinis pellibus: destituti, oppressi, malè habiti:*

Vers. 38 *(Quibus indignus erat mundus) in desertis errantes, & montibus ac speluncis, & cavernis terræ.*

Genus 6. Alii lapidati sunt: 7. Alii serra dissecti sunt: 8. Alii tentati, nunc illecebris allecti, nunc minis territi, nunc importunitate amicorum solicitati; nunc disputationibus & sophismatis ad oppugnandam Fidem comparatis, vexati: Quod genus tormenti morte ipsa acerbius est, imbecillitatis suæ conscii, & metuentibus ne succumbant in tentationibus: 9 Alii gladio cæsi occubuerunt: 10. Alii qui necem effugerunt, oberrarunt, certas sedes non habentes, ob persequutorum sævitiam loca subinde mutare coacti; præ inopia vestimentorum amicti ovillis & caprinis pellibus ad nuditatem tegendam, destituti ope & auxilio hominum, ad varias angustias redacti, & à mundo malè tractati quocunque venirent, adeò ut elegerint in montibus, in desertis, in speluncis & cavernis terræ, inter feras potiùs quam inter homines agere. Qui ne à DEO deserti in his malis videri possent, pronunciat Apostolus genus humanum, (quod ipsos tam misere tractabat) indignum fuisse istiusmodi pretiosorum DEI servorum consortio. Ex his omnibus brevitatis causâ unicum tantùm Argumentum ducemus, quod memoriæ causâ statuimus. Arg. 22. Quid est quod per fidem non valebimus efficere

eorum

eorum quæ à nobis DEUS requirit efficienda? Quid est quod per fidem non valebimus pati, seu sufferre eorum quæ DEUS nobis imponit ferenda, sicut DEUS Fidelium Sanctorum experientiâ nobis comprobatum reddidit: Ergo fovenda fides, ex eâ vivendum, & in eâ perseverandum est.

Vers. 39. *Atque hi omnes testimonium adepti per fidem, non obtinuerunt promissum*:

Arg. 23. Omnes (de quibus diximus) sancti per fidem à DEO approbati, justificati, seu testimonio DEI ornati sunt, quod DEO placuerint; nec tamen magnum promissum illud de incarnando MESSIA, seu de semine illo mulieris venturo (in quo omnes promissiones sunt *Etiam & Amen.*) completum habuerunt, dum in vivis agerent: Cum igitur illi qui in obscuriore luce vivebant, perseverarunt in omnibus persequutionibus, constantes in Fide CHRISTI venturi, quantò magis debemus nos, qui promissionem illam completam videmus in Fide CHRISTI jam exhibiti, perseverare.

Vers. 40. *Quòd Deus de nobis melius quiddam providerat, ne absque nobis consecrarentur.*

Solvit quæstionem, Quæreret aliquis cur DEUS distulerit CHRISTI adventum? Aut quare non sit editus priscorum Patrum temporibus: Respondet, & addit Arg. 24 Visum est DEO hanc nobis beatitudinem concedere, ut oculis cerneremus omnium oraculorum & typorum complementum; honorem videndi diem CHRISTI, & Evangelium audiendi, Patribus non concessit, sed reservavit nobis: Ergo tantò magis tenemur perseverare in Fide CHRISTI, & constanti professione fidei, CHRISTUM honorare.

Ne absque nobis] Aperit consilium DEI, de reservato honore CHRISTUM exhibitum videndi, ad nostra tempora, & addit Arg. 25. Noluit DEUS infantilem conditionem Ecclesiæ ante CHRISTUM exhibitum perfici, absque adultâ conditione Ecclesiæ post CHRISTUM exhibitum; ut tota Ecclesia, ante, & post CHRISTUM esset unus quasi perfectus homo in CHRISTO; nec voluit DEUS fideles sub typis legalibus viventes aliter perfici, quam unà nobiscum intuendo ad rem significatam, quæ nostris temporibus exhibetur. Cum igitur illi in conditione Ecclesiæ infantili, perfectam justitiam & salutem consequuti sint, per fidem intuendo nobiscum in rem significatam per typos legales,

pos legales, id est in CHRISTUM exhibendum tanquam exhibitum, inque ea fide patienter per omnia adversa perseverarunt: Turpe erit nisi & nos in fide CHRISTI exhibiti constanter perseveremus.

Caput Duodecimum.

ALtera pars Epistolæ, in qua variæ continentur hortationes ad officia Christiana. Hoc capite habentur tres: Prima hortatio consolatoria est, ad patientiam & fidei constantiam in adversis, ad vers. 14. *Secunda est ad pacem sanctam,* vers. 14. *Tertia est, ut retineant Gratiæ doctrinam, nec eâ abutantur, ad finem. Propositio prima hortatoria, in qua Apostolus seipsum, & alios fideles involvit, hæc est, Debetis afflictiones, & maximè eas quæ fidei causâ vobis obveniunt, patienter tolerare. Argumenta quæ confirmat hanc propositionem, sunt undecim.*

Vers. 1. *PRoinde nos quoque, quum tanta nos circunstet testium nubes, abjecto omni pondere & peccato ad nos circuncingendos proclivi, constanter propositum nobis stadium decurramus:*

Infertur autem hæc propositio ex præcedente Fidelium catalogo, similitudine athletarum in stadio currentium vestitâ, Debemus omnibus impedimentis abjectis, propositum nobis stadium constanter decurrere.

Quum tanta] Argumentum primum, Habemus exempla Fidelium omnium, ante CHRISTUM exhibitum defunctorum, qui nos in stadio currentes copiosâ multitudine instar nubis condensatæ circumstant, testimonium dicentes quisque suum, de promissionum Divinarum certitudine, de Fidei excellentia, & DEI bonitatete, qui etiam testes adversus nos futuri sunt, nisi constanter per prospera & adversa omnia perrexerimus in cursu Christiano. Ergo constanter per adversa omnia pergere debemus.

Abjecto] Ut hortationem faciliorem, & eos ad cursum hunc expeditiores redderet Apostolus; de duobus impedimentis, altero externo, altero interno, vitandis admonet. Externum impedimentum est, quod à rebus externis, divitiis, honoribus, rebusque aliis mundanis objicitur, quæ

quæ non debent tanti à nobis æstimari, quin parati simus iis renunciare, quando & quatenus retardant cursum nostrum in obedientia Fidei: tunc enim pondera fiunt, quæ abjici jubet. Internum impedimentum est ab innato peccato, seu concupiscentia in carne habitante, quæ natura nobis adhæret, facillemèque incautos irretiat, nisi caveamus. Dicimur autem hoc peccatum abjicere, cum carnis curam non habemus ad explendas cupiditates ejus, neque vitæ hujus mortalis studio tanto tenemur, quin cum DEUS nos vocat, parati simus ad vitam deponendam, sic enim abjicitur peccatum innatum, ne nos in fidei probationibus irretiat, alioqui enim nullis conatibus omnino reprimi potest, quandiu in carne vivimus.

Vers. 2. *Intuentes in Fidei ducem ac perfectorem Iesum, qui vice sibi propositi gaudii pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dextram throni Dei consedit.*

Arg. 2. Habemus non pro exemplo tantùm, sed etiam pro adjumento maximo, CHRISTUM IESUM fidei nostræ Ducem, qui ut Autor est, sic & Perfector fidei nostræ, in quem oculis fidei intuentes stadium percurrere valebimus: Ergo constanter per adversa omnia nobis pergendum est.

Qui pro] Hoc Argumentum confirmat tribus rationibus: Prima ratio, Dux noster præ desiderio salutis nostræ, per Crucem pervenit ad Gloriam, patienter pertulit Crucem, & contempsit contemptum, pro nihilo habuit ignominiam pati, ut nos redimeret, Victorque rediret ad Gloriæ suæ possessionem, & nos eâdem viâ post se ad Gloriæ suæ consortium duceret: Ergo (Duce CHRISTO) per Crucem, & Mundi contemptum nobis pergendum est.

Vers. 3. *Reputate igitur quis ille sit qui talem sustinuit à peccatoribus adversus sese contradictionem, ne animis deficientes, fatiscatis.*

Ratio 2. Tanta est CHRISTI excellentia supra nos, tantæ ejus passiones, quas pro nobis sustinuit ab adversariis indignissimis, ut nostræ passiones in militiâ nostra Christianâ, (seriâ comparatione factâ nostri cum CHRISTO) evanescant. Ergo ejus exemplum intuendum nobis, & per adversa omnia pergendum est. *Ne vestris*] Ratio 3. Nisi à CHRISTO lucem, animos, vireque per fidem subinde mutuetis in cursu vestro, periculum est ne in medio certamine animum de-

spondeatis, & pereatis. Ergo constanter oportet intueri CHRISTUM Ducem, & per fidem in ipsum, in cursu pergere.

Vers. 4 *Nondum ad sanguinem usque restitistis, adversus peccatum decertantes* :

Arg. 3. In certamine contra peccatum (ad quod vos cogere conantur persequutores) nondum vitam & sanguinem profudistis pro CHRISTO, sicut tenemini, si ita ejus gloria postulaverit : Ergo constanter pergite per omnia adversa parati etiam vitam ponere potiùs, quam peccato manus detis.

Vers. 5. *Et obliti estis exhortationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, Fili mi, ne negligito castigationem Domini, neque deficias animo quum ab eo argueris.*

Arg. 4. cum reprehensione conjunctum, Amica DEI hortatio, in Scripturâ, vos, ut filios compellans, exigit à vobis, ut neque contemnatis DEI ferulam in cordis vestri duritie, neque animo deficiatis castigati præ cordis mollitie, id quod nunc facere videmini, obliti hortationis divinæ : Ergo patienter & constanter tolerandæ vobis sunt afflictiones.

Vers. 6. *Quem enim diligit Dominus, castigat : & flagellat quemcunque filium recipit.*

Vers 7. *Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis offert ut filiis : quis enim est filius quem non castiget pater ?*

Arg 5. confirmans superius, Castigatio est effectum dilectionis divinæ erga eum quem DEUS castigat : siquidem castigatio pertinet ad emendationem ejus qui castigatur : Ergo patienter tolerandæ vobis sunt afflictiones.

Flagellat] Arg. 6. Afflictiones patienter tolerate, signum est adoptionis ; neminem agnoscit DEUS pro filio adoptivo, quem non exerceat etiam asperioribus afflictionibus, nec quisquam est qui excipitur : Ergo ut adoptionis tesseram gestare comperiamini, vosque DEI filios probetis, afflictiones patienter tolerare debetis.

Vers. 8 *Quod si estis absque castigatione, cujus participes sunt omnes, nempè spurii estis, & non filii.*

Arg. 7. Qui immunes sunt à castigatione, vel qui paternam DEI castigationem non ferunt, non sunt genuini DEI Filii ; externam & visibilem

visibilem Ecclesiam una cum hypocritis, matrem habere poterint; DEUM verò, patrem habere non possunt. Ergo nisi hypocritæ & filii supposititii haberi vultis, afflictiones patienter tolerare debetis.'

Vers. 9. *Deinde corporum nostrorum patres habuimus castigatores, & eos reveriti sumus: annon multo magis subjectemur Patri spirituum: & vivemus?*

Arg. 8. Patres corporum nostrorum jus habent castigandi nos filios suos, eorumque castigationes ferre æquum est, imo eas cum reverentia toleravimus. Quanto magis jus castigandi nos habet Pater spirituum nostrorum DEUS, nosque hujus castigationes æquo animo ferre tenemur.

Vivemus] Arg. 9. Vitam æternam consequemur, si Paternas DEI castigationes patienter tulerimus. Ergo eas patienter tolerare debemus.

Vers. 10. *Nam illi ad paucos dies, prout ipsis videbatur, nos castigabant; hic autem ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimoniæ ipsius.*

Arg. 10. Si toleravimus castigationes parentum nostrorum, qui ad breve tempus intuitu commodi nostri temporalis pro arbitrio suo, sæpè non satis justè nos castigarunt, multò magis tolerare debemus castigationes DEI, qui nos castigat ad breve tempus prudentissimè & justissimè in commodum nostrum spirituale, ut nos sanctitatis suæ participes faciat, seu ad vitam æternam sanctificet.

Vers. 11. *Omnis autem castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: at postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis qui per eam fuerint exercitati.*

Vers. 12. *Quapropter manus remissas, & genua soluta surrigite.*

Arg. 11. cum solutione objectionis, Licet in præsens ex carnis judicio nulla castigatio videatur esse materia gaudii, sed tristitiæ tantùm; postea tamen iis qui per eam exercitati, probati, & subacti fuerint, sedatis & tranquillis ipsorum animis hæc disciplina profuisse comperietur, & sanctimoniam, seu fructum justitiæ promovisse demonstrabitur. Ergo afflictiones tolerare debetis, & insuper animos & robur colligere, vosque ad constanter progrediendum in viis Domini componere, Quod per *erectionem manuum remissarum, & solutorum genuum*, significatur.

Vers. 13. *Et rectas orbitas facite pedibus vestris; ne quod claudum est abducatur à via, sed ut sanetur potiùs.*

Arg. 12. Nisi afflictiones Euangelii causâ obvenientes patienter toleretis, & infracto animo pergatis in fidei professione, in viis Domini seu orbitis rectis, periculum est ne claudicantes, & ad defectionem inclinantes propter afflictiones, quas fidei causa patimini, statim planè deficiatis, & omnino deflectatis de via, seu ne fidei renuncietis. Ergo sanationem per medicamenta fidei & consolationis Christianæ admittite, patienter afflictiones tolerate, animosè in viis Domini, rectisque orbitis ejus, pedes vestros firmate, & pergite.

Vers. 14. *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DOMINVM:*

Hortatio 2. Ut studeant paci cum omnibus colendæ, cum iis qui intra Ecclesiam sunt, tum iis qui extranei sunt, quantum in ipsis est, simul etiam studeant sanctimoniæ, ita ut dum paci student, sanctimoniam non negligant, seu ne in gratiam pravorum hominum peccent, malum faciendo, aut bonum omittendo.

Sine qua] Rationem conjungendi studii sanctimoniæ cum studio pacis reddit: quia absque pace erga homines, salutem æternam consequi possent, verum absque sanctimoniâ, servari non possent, seu videre Dominum, in cujus aspectu, societate & fruitione in cœlis consistit vita æterna.

Vers. 15. *Prospicientes nequis deficiat à gratia Dei, nequa radix amara suppullulans obturbet, & per hanc inquinentur multi.*

Hortatio 3. Ne quis deficiat à gratia, vel eâ abutatur ad profanitatem, quæ ad singulos spectat, potissimùm ad Episcopos seu Gubernatores Ecclesiæ, sicut res & verba insinuant, quia sicut omnium, sic horum præcipuè officium est studere purgandæ Ecclesiæ à corruptelis doctrinæ & morum, per hortationem ad mutua charitatis officia, & per disciplinam Ecclesiasticam. Quod ad corruptelas doctrinæ, prospicere jubet ne quis deficiat à doctrina Euangelii, seu à sanâ doctrina gratiæ: seu ne quis minùs ascribat gratiæ quam æquum est (atque ita deficiens à veritate, a tergo relictus ab aliis in fide progredientibus, quibus assentiri in doctrina gratiæ vel non potuit, vel non voluit) frustretur gratiâ, atque ita pereat.

Ne qua radix] Rationes hortationis sunt sex: Ratio prima spectans ad membrum primum, Qua defectio à gratiâ, seu doctrinâ gratiæ per infidelitatem in aliquo membro Ecclesiæ, est instar amarissimæ radicis suppullulantis

lulantis in DEI Ecclesia (quæ est vinea seu hortus DOMINI) qua multi in Ecclesia turbari & infici poterint.

Vers. 16. *Nequis sit scortator, aut profanus, velut Esau, qui unico edulio vendidit suum jus primogeniti.*

Quod ad corruptelas morum attinet, (àquibus etiam ad defectionem à fide proclivis est via) vetat, ne quis sit inter eos scortator, hoc est, ne tolerarent, sed ex Ecclesia ejicerent scortatores & profanos, qui cœlestia privilegia, & bona fidelibus & sanctis promissa contemnentes, gulæ, ventri, & vitiosis voluptatibus se dedunt, instar Esau qui jus primogenituræ uno vendidit edulio: Atque ita ostendit pluris se facile gulam suam, quam primogenituram: quæ æternæ hæreditatis, ex gratuita DEI promissione consequendæ credentibus, pignus erat, & spem ipsius fovebat in Patriarcharum familiis.

Vers. 17. *Scitis enim cum etiam postea quum vellet hæreditario jure benedictionem assequi, reprobatum fuisse: non enim repperit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis* benedictionem *illam exquisisset.*

Ratio 2. hortationis, membrum secundum spectans, Quia sicut ex historia sacra notum est Esavum (cum pœnitentia ductus postea à lachrymans, solicitasset Patrem suum, ut hæreditario jure benedictionem assequeretur) repulsam passum esse, & repudiatum à primogenituræ benedictione; Sic metuendum est profanis, gratiæ DEI, & sanctimoniæ contemptoribus, (qui dum audiunt DEI Vocem, obdurant corda, nec resipiscunt, cum offertur occasio) ne excludantur à DEI misericordia, nec resipiscentiæ locum inveniant jam excluſi: Purganda ergo est Ecclesia ab ejusmodi corruptelis.

Vers. 18 *Non enim accessistis ad contrectabilem montem, & incensum ignem, ac turbinem, & caliginem & procellam:*

Vers. 19 *Tubæque sonitum & vocem verborum; quam qui audierant, deprecati sunt ne amplius sibi fieret sermo.*

Vers. 20 (*Non enim ferebant quod imperabatur, Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut jaculo configetur.*

Vers. 21. *Et Moses, adeò terribile erat visum quod apparebat, dixit, Expavefactus sum ac tremebundus*)

Ratio

Ratio 3. in hunc sensum, Non vocati estis ad fœdus legale, ejusque terrores, ad *vers.* 22. sed ad fœdus gratiæ, & societatem suavissimam CHRISTI, & Sanctorum ipsius, ad *versum* 25. Ergo prospiciendum ne quis deficiat à gratia, vel ne quis profanus sit, id est, ne quis infidelitate suâ detrahat DEI gratiæ, vel profanitate sua gratiam convertat in profanam licentiam. Quod idem est cum Apostoli conclusione, quam infert *versu* 25. *Videte ne recusetis eum*, id est, CHRISTUM, *qui loquitur*, &c. Vis Argumenti hæc est, Si jam (cum non Timor sed Amor, non Justitia sed Gratia, non Lex sed Euangelium, Ducem se vobis offert ad Cœlum proficiscentibus) defeceritis à gratia, vel eâ ad profanitatem abusi fueritis, futurum est ut CHRISTUM loquentem de Cœlo, & vos ad communionem suam, & Sanctorum placidissimè, invitantem recusare, & repudiare comperiamini, quod vobis cavendum est. Pro *Fœdere Operum seu Lege*, ponit descriptionem terribilis modi quo tradita est Lex; cujus descriptionis membra sunt octo: 1. In fœdere operum seu legali pangendo mons erat *contrectabilis* (seu terrenus, (cui opponitur Cœlum, seu cœlestis mons Zion, thronus Gratiæ) quasi diceret, Postquam credidistis in CHRISTUM, non accessistis ad montem illum contrectabilem & terrenum, cujus ipse aspectus terrorem incutiebat, & per quem repræsentabatur thronus Justitiæ in quo sedet DEUS, cum ei res est cum homine irregenito, confidenti in suis viribus, & operum suorum merito nitenti: 2. In illo fœdere pangendo, *mons igne incendebatur*, quo repræsentabatur ira Judicis armati, & parati ad consumendum peccatores, suis meritis, seu operibus confidentes, & ex fœdere operum cum ipso agentes: 3. In illo fœdere pangendo erat *turbo*, *caligo*, *& procella*, quibus repræsentabatur animi conditio perplexa, consternatio, & horror, quibus constringitur peccatoris anima, quando Judex ex lege seu fœdere operum, justitiam, iramque suam, secundùm conditionem violati fœderis ipsi demonstrat: 4. In lege tradenda erat *Tubæ sonitus*, quo significabatur citandos & sistendos esse necessariò omnes violati fœderis operum reos, ad DEI Judicis supremi Tribunal, nec evadendi locum relictum iri cuiquam. 5. In illo fœdere pangendo erat *Vox verborum*, per quam repræsentabatur litera Legis, officia debita recitantis, vires verò ad præstandum imperata minimè conferentis: 6. In illo fœdere pangendo, Illi qui *vocem verborum* audierant, *deprecati sunt, ne amplius sibi fieret sermo*, Quo significabatur intolerabile pondus multiplicati reatus, ex violatione legis contracti, simul etiam desperationem de lege in posterum præstandâ

conscientiæ

conſcientiæ incumbere, quando ex fœdere operum DEUS cum peccatore agit; Id quod Apoſtolus hic inſinuat, cum dicit, *Non enim ferebant quod imperabatur*: 7. In illo fœdere pangendo, *Si vel bestia tetigisset montem, lapidanda, aut jaculo configenda erat.* Quo ſignificabatur, Primò, Excludi à DEO peccatorem ab omni acceſſu, nec licere cuiquam peccatori ad DEUM appropinquare, ex hujus fœderis conditione: Secundò, Abominationi eſſe DEO, & peccatorem ipſum, & omnia quæ ad ipſum pertinent, jumenta & pecudes: Tertiò, Miſerrimè perdendum eſſe peccatorem, ex hoc fœdere, id eſt, cum contemptu & ignominiâ, quaſi lapidibus & jaculis eminùs contortis in ejus dirum & abominandum *Caput*. 8. In illo fœdere pangendo *adeò terribile erat viſum quod apparebat, ut Moſes expavefactus totus* contremuerit, & horrorem ſuum confeſſus fuerit; Quo ſignificabatur etiam juſtiſſimos ſeu ſanctiſſimos mortalium non poſſe conſiſtere coram DEO, ſi ſecundùm fœdus operum cum ipſo agatur, ut *Pſal.* 143. 2. dicitur, *In conſpectu tuo nulla caro juſtificabitur:* Hæc prior eſt pars argumenti, cujus hæc eſt ſumma, Liberavit vos DEUS à fœdere operum, & ipſius terroribus.

Verſ. 22. *Sed acceſſiſtis ad montem Sion, & civitatem DEI vivi, Hieruſalem Cœleſtem, & myridias angelorum*,

Verſ. 23 *Conventum & concionem primogenitorum qui conſcripti ſunt in Cœlis, & Judicem univerſorum Deum, & Spiritus juſtorum conſecratorum*,

Verſ. 24. *Et ad novi teſtamenti mediatorem Ieſum, & ſanguinem aſperſionis præſantiora loquentem quàm loqueretur ſanguis Abel.*

Sequitur ſecunda Argumenti pars, de Fœdere gratiæ, quod pepigit DEUS cum fidelibus in CHRISTUM credentibus; Conditio autem & felicitas hominis credentis in CHRISTUM, & ſub fœdere gratiæ, deſcribitur partibus quaſi ſuis: 1. Poſtquam credidiſtis in CHRISTUM, liberati à monte Sinai, & à throno juſtitiæ acceſſiſtis *ad montem Sion*, quo repræſentabatur thronus gratiæ, in quo DEUS propitium ſe oſtendit omnibus ad CHRISTUM accedentibus: 2. Poſtquam credidiſtis in CHRISTUM, poſtliminio revocati ab exilio & erroribus in deſerto hujus mundi, recolligimini ad caput veſtrum CHRISTUM, & ad civitatem perfugii, ad ſtatum quietum poſſidendum in CHRISTO; liberati ab ira & morte, & DEO reconciliati, donati eſtis civitate DEI viventis: liberati à terroribus juſti Judicis, admittimini in Hieroſolymam, id eſt,

id est, DEI Ecclesiam in qua visiones pacis videatis: liberati ab inferno, etiam liberati estis à ceremoniis Leviticis, quibus inferior & terrestris Jerusalem jam servit cum liberis suis, & admittimini ad privilegia cœlestis Hierusalem Ecclesiæ Fidelium, & regni cœlorum: 3. Postquam credidistis in CHRISTUM, liberati à societate Dæmoniorum, peccato & cruciatibus obnoxiorum, admittimini in societatem innumerabilium *Myriadum Angelorum* beatorum: 4. Postquam credidistis in CHRISTUM, evocati & segregati à societate reproborum, impiorum & proscriptorum hominum, seu ab hæreditate vitæ æternæ seclusorum, accessistis & admissi estis in societatem catholicæ Ecclesiæ, ad *Conventum universalem*, ad *cœtum, concionemque Electorum*, qui ad Primogenituræ jus & privilegia restituuntur, ut sitis DEO sacerdotes, & portio DEI selecta, ex hominibus: 5. Qui agebatis olim inter mundanos, quorum portio est in hoc mundo, & quorum nomina scripta sunt in terra, nunc comperti estis ex Electorum numero esse, & ex iis qui olim scripti sunt in Cœlis, in Libro Vitæ, inter Electos, & Prædestinatos ad gratiam, & gloriam obtinendam: 6. Qui in mundo eratis sine DEO, hostes DEI, DEUMque infensum Judicem habuistis olim, nunc DEO reconciliati, Judicem habetis propitium, qui vos absolvat, hostesque vestros potenter perdat: 7. Qui olim in catalogo damnatorum, & censu perditorum numerabamini, consortes cum spiritibus impiorum, qui jam sunt in carcere; ex fœdere gratiæ per CHRISTUM fratres facti estis eorum qui jam Cœlum possident, *spiritusque suos consummatos* habent in cœlo, *i.* qui liberati à peccato & miseria in spiritu suo sanctificantur plenè & glorificantur: 8. Liberati à fœdere operum, quod Mediatorem non admisit, & insuper à jugo Ceremoniarum, admissi estis ad IESUM Servatorem, qui novi fœderis Mediator & Sponsor est, qui pro vobis spopondit se effecturum, ut præstetis quod ex fœdere à vobis exigitur, idque proculdubio efficiet. 9. Vos qui in vobis Justitia & Sanctitate destituti, & omni genere peccatorum polluti eratis, nunc virtute novi Fœderis admissi estis ad *conspersionem sanguinis Iesu Christi*, Agni immaculati, (quo justificemini, & sanctificemini, & ab Angelo interremptore conservemini) cujus sanguis licet, per nos nostraque peccata fusus sit, non clamat tamen adversus nos, *sicut sanguis Abelis* clamavit adversus Cainum interfectorem, sed *pro nobis intercedit* apud DEUM, ut ipse propitius erga nos omnia nobis concedat, quæ pretio sanguinis ipsius empta sunt.

Vers. 25

Vers. 25. *Videte ne aspernemini eum qui loquitur: nam si illi non effugerunt qui aversabantur eum qui loquebatur Dei nomine in terra, multo magis nos, si eum qui de Cœlis est, aversemur:*

Sequitur conclusio Argumenti hortatoria, Ne sub prætextu excusationis cujusvis recusent obedire CHRISTO, ipsos alloquenti in Euangelio, & invitanti ad Gratiam & Sanctitatem.

Nam si] Hortationis ratio 4. Si Israelitæ contemptores Mosis loquentis in terra, pœnas non effugerunt; Multò minùs effugietis pœnas, si contempseritis CHRISTUM Mediatorem loquentem de Cœlo. Idcirco cavendum est vobis, ne deficiatis ab ejus gratia, & ne gratiâ ad profanitatem abutamini.

Vers. 26. *Cujus vox tunc concussit terram: nunc autem denuntiavit, dicens, Adhuc semel ego concutiam non solùm terram, sed etiam Cœlum.*

Hanc rationem confirmat à potentia CHRISTI, qui olim voce suâ concussit terram, seu montem Sinæ, & in die Judicii semel concutiet & Cœlum & terram, sicut prædixit per Prophetam *Haggæum*, 2. 6. quod fiet quando Cœlum & Terra igne conflagrabunt, & quicquid instabile vel corruptibile habent abolebitur, ut Cœlum novum, & Terra nova succedant, in quibus habitet justitia, id est, Sancti immortales redditi, perpetuò maneant.

Vers. 27. *Porro illud Adhuc semel declarat instabilium rerum, ut putà factitiarum, amotionem, ut maneant quæ sunt stabilia.*

Ut hunc sensum admittamus, exponit verba Prophetæ sic intelligenda esse, propterea quod, qui dicitur semel concussurus Cœlum & Terram & non iæpiùs, dicitur eo ipso amoturus res omnes instabiles & factitias, seu creatas, quoàd mutabilem ipsorum conditionem, seu qualitates mutabiles, ut stabilia & immutabilia succedant, qualia futura sunt omnia in regno CHRISTI glorioso.

Vers. 28. *Quapropter regnum assumentes quod concuti non potest, teneamus gratiam, per quam ita serviamus DEO, ut ei placeamus, cum reverentia & religione.*

Hinc deducit hortationis rationem quintam, Jus datum nobis est ad regnum glorioſum, quod concuti non potest, & fide jam à nobis acceptum est. Ergo firmiter tenenda est doctrina Gratiæ & Sanctitatis stu-

dium, seu quod idem est, teneamus gratiam per quam ita serviamus DEO, ut ei placeamus, cum verecundia & reverentia.

Vers. 29. *Etenim Deus noster, consumens ignis est.*

Ratio hortationis sexta, Adversus eos qui gratiam DEI vel non tenent, vel eâ abutuntur ad profanitatem, DEUS noster est ignis consumens: Ergo teneamus Gratiam cum studio Sanctitatis. Qui licet se DEUM Fidelium profiteatur; non feret tamen inultos eos, qui fidem mentiuntur quam non habent, vel qui doctrinâ gratiæ ad licentiam profanam, cum Esavo abutuntur.

Caput Decimumtertium.

Capitis duæ sunt partes. In priori continentur hortationes septem, ad vers. 18. *In altera est Epilogus Epistolæ.*

Vers. 1. *FRaterna charitas maneat.*

Hortatio prima ad Constantiam in Charitate erga fratres: In qua tacitè eos commendat, quod hactenus quidem, fideles seu fratres fide & religione sincerâ conjunctos, complexi sint, & sublevarint propter CHRISTUM, & apertè rogat, ut constantes, & indefatigati pergant in virtute istâ. *Maneat*, inquit, *fraterna charitas.*

Vers. 2. *Hospitalitatis ne sitis immemores: per hanc enim quidam insci exceperunt Angelos hospitio.*

Hortatio 2. specialior, Ut colant hospitalitatem, & beneficentiam erga peregrinos, advenas hospites, qui subsidio & consolatione egent imprimis.

Per hanc] Argumentum ad hortationis obedientiam unicum est, Quia nonnulli hospitalitatem colentes, Angelos receperunt, cum putarent homines à se receptos, ut Abraham & Lot, *Genes.* 18. & 19. Vis argumenti est, Quia plus boni in hoc genere præstatur, quam putaret aliquis facile: nam & ipse Dominus acceptum sibi fert quicquid ipsius nomine egenis Fidelibus, Prophetis vel Discipulis præstatur.

Vers. 3. *Memores estote vinctorum, tanquam unà cum illis vincti: eorum qui malis premuntur, ac si ipsi quoque corpore afflicti essetis.*

Hortatur

Hortatio 3. Ut erga fratres qui sunt in vinculis potissimùm religionis nomine captivi, sic afficiantur eisque ita subveniant, ac si ipsi pariter vincti essent, & in eodem carcere, eisdemque cum iis vinculis jacerent. Nec id solùm, sed etiam hortatur ut tanquam membra ejusdem corporis mystici, fratrum quovis modo afflictorum malis ita afficiantur, sicut affici vellent alios, si res ipsorum ageretur; siquidem quandiu in vivis agebant, gerebant corpus mortale iisdem malis obnoxium: Quod enim cuiquam accidit, cuivis etiam accidere potest, & commiserationem movere debet communis infirmitas.

Vers. 4 *Honorabile est inter quosvis conjugium, & cubile impollutum: fornicatores autem & adulteros damnabit Deus.*

Hortatio 4. ad castitatem tuendam, duobus argumentis, præceptum hoc confirmantibus, involuta: Argumentum primum, In hunc sensum, Si quis donum continentiæ non habeat, paravit Deus remedium & subsidium, conjugium scilicet, pronunciavitque hanc vitæ conditionem honorabilem in omni genere hominum, & torum seu lectum conjugalem, secundùm Dei institutum usurpatum, sanctum esse & immaculatum. Colenda ergo est castitas.

Scortatores] Arg. 2. Si quis neglexerit conjugium, quod est incontinentiæ remedium, & se polluerit, vel fornicatione, cælebs vel adulterio conjugatus, sciat (iste quisquis fuerit) Deum fornicatores & adulteros damnaturum, Colenda ergo est castitas.

Vers. 5. *Sint mores absque avaritia: sitis contenti præsentibus, dixit enim ipse, Non te deseram, neque te derelinquam:*

Vers. 6. *Adeò ut confidenti animo dicamus, Dominus mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo.*

Hortatio 5. Ad vitandam avaritiam, ne vitium hoc ipsorum mores corrumpat. Rationes hortationis sunt tres: 1. Sub forma præcepti proponitur. Sufficere vobis debent quæ habetis, seu quæ vobis in vocatione aliqua honesta occupatis, divina benedictione obveniunt, iisque contentos vos esse decet, nec plus habendi cupidine turbari: Ergo avaritia cavenda.

Dixit enim] Ratio 2. ex *Josua, versu* 5. In illa promissione quam Deus fecit Josuæ in vocatione ipsius, proposuit Deus generalem consolationem omnibus servis suis in vocationibus ipsorum: Nempe quod

non sit in ulla re necessaria suppeditanda, ipsis defuturus, seu ipsos deserturus. Avaritia ergo cavenda.

Adeo ut] Ratio 3. Non minus cuivis fideli quam Davidi, in *Psal. 118. vers. 6.* Licet cum fiduciâ sibi polliceri, non tantùm subsidia necessaria ad vitam præsentem, sed etiam auxilium DEI paratum adversus omnes malorum hominum impugnationes, qui unà cum facultatibus vitam etiam DEI servis auferre moliuntur. Ergo vitanda avaritia.

Vers. 7. *Memores estote ducum vestrorum, qui loquuti sunt vobis sermonem Dei: quorum imitamini fidem, considerantes qui fuerit exitus conversationis ipsorum.*

Hortatio 6. Ad custodiendam puritatem Euangelii absque fermento doctrinæ Judaizantium. Rationes hortationis sunt sex.

Imitamini fidem] Ratio prima, Doctores vestri Apostoli, aliique fideles CHRISTI Ministri nihil prædicarunt vobis, præter DEI verbum, nullumque sibi in conversatione sua finem proposuerunt, præter eum qui fidis doctoribus proponi debet, gloriam DEI scilicet, & vestram salutem: Ergo imitantes ipsorum fidem, & intuentes finem conversationis ipsorum custodite Euangelii seu doctrinæ fidei puritatem.

Vers. 8 *Iesus Christus heri & hodie idem* est, *& in secula.*

Ratio 2. IESUS CHRISTUS, cujus doctrina vobis ab ipsius ministris prædicata est, non est varius, sed unus, idemque semper sibi constans ab æterno in æternum. Ergo custodite puritatem doctrinæ ipsius, & unitatem fidei cum doctoribus illis vestris, qui vobis prædicarunt verbum DEI.

Vers. 9. *Doctrinis variis & peregrinis ne circumferimini, bonum enim est gratia confirmari cor, non cibis*, quibus *non sunt adjuti qui in ipsis versati sunt.*

Ratio 3. sub formâ præcepti proposita. Variæ & peregrinæ doctrinæ, Apostolis ignotæ, & quæ CHRISTUM non habent autorem, si iis auscultaveritis, sicut ventus paleam in terrâ, vel fluctuantes in mari naves agitat, sic vos circumferent huc illuc, ne quicquam fixum teneatis. Stabiles igitur estote in doctrinæ puritatè conservanda.

Bonum est] Ratio 4. Præstat (Immo simpliciter bonum & salutare est) ut cordis seu conscientiæ tranquillitatem, & stabilimentum quæratis in CHRISTI gratiâ, quam solam ipsius Euangelium vobis commendat, & non in Legalibus cerimoniis, non in observatione ciborum, di-

erum,

ctùm, & similibus: in quibus justitia minimè consistit. Puritatem ergo fidei sine fermento doctorum Judaizantium custodite.

Unde nullam] Ratio 5, confirmans superiorem ab experientia Judaizantium, Legales illæ observationes nihil profuerunt ad justitiam vel salutem, iis qui in talibus multum versati sunt, in iisque consenuerunt. Ergo fidem Euangelii puram custodite ab omni istiusmodi fermento.

Vers. 10 *Habemus altare ex quo non habent jus edendi qui tabernaculo deserviunt*.

Ratio 6. Qui tabernaculo Judaico deserviunt post CHRISTUM jam exhibitum, seu qui Leviticis Ceremoniis pertinaciter adhærent, non possunt participes esse CHRISTI, qui nobis est res illa significata per altare & sacrificia, & reliquas umbras Leviticas, & verum umbrarum omnium corpus: Ergo custodienda doctrina fidei à fermento Judaizantium doctorum, qui harum ceremoniarum observationem cum Euangelio jungendam putabant. In quem sensum dicit idem Apostolus, *Galat.* 5. 2. Si circumcidamini CHRISTUS vobis nihil prodest. Cujus rei ratio est hæc, Ceremoniarum legalium observatores, seu umbrarum jam abolitarum renovatores, in præscriptâ ciborum distinctione, altarium, festorum, jubileorum, aquæ lustralis, vestimentorum Sacerdotalium & similium Ceremoniarum observatione, reipsâ prædicant nondum ortum esse solem justitiæ, nondum venisse CHRISTUM, nondum antiquatam esse pædagogiam Ceremonialem: sed hucusque durare tempus umbrarum & signorûm, quæ tantùm ad CHRISTUM præfigurandum, usque ad tempus correctionis, instituebantur.

Vers. 11. *Quorum enim animalium sanguis infertur pro peccato in Sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra*.

Vers. 12. *Quapropter & Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam*.

Probat excludendos esse à CHRISTO omnes qui justitiam, vel justitiæ partem quærunt in legis umbris vel operibus, Quia DEUS hoc præfiguravit in typo victimæ piacularis. Nam, *Levit.* 23. 27. victimæ piacularis sanguis à Pontifice inferebatur in sacrarium, ejus vero carnes integræ *exurebantur* igni, nec quicquam inde cedebat Sacerdotibus, sicut ex aliis victimis dandum erat iis. Apostolus asserit hoc significasse neminem ex iis qui operum fœderi adhærent CHRISTUM edereposse, sed ab ejus communione

exclud

excludi omnes, quotquot non in solidum CHRISTO adhærent, sed justitiæ vel ullam particulam in Leviticis umbris, vel operibus quærunt.

Extra castra] Per hoc significari voluit DEUS, Primò, CHRISTUM passurum extra portas Hierosolymæ, id quod reipsâ factum est: Nam CHRISTUS extra portam crucifixus est. Secundò, Quærendam esse expiationem veram in sanguine MESSIÆ, extra Hierosolymam (seu locum consecratum Levitico cultui) passuri. Et hoc etiam intendisse ipsum CHRISTUM docet Apostolus, (quando in suâ providentiâ ita de re tota disposuit, ut extra urbem pateretur) nimirum CHRISTUM exeuntem extra portas ad se offerendum, ipso facto significare voluisse, non quærendam esse justificationis aut sanctificationis virtutem ullam in ullis ritibus legalibus, sed in proprio suo sanguine tantùm, seclusis illis legalibus ritibus omnibus.

Vers. 13. *Exeamus igitur ad eum extra castra, opprobrium ejus portantes.*

Vers. 14. *Non enim habemus hic sitam civitatem, sed futuram inquirimus.*

Vers. 15. *Per ipsum igitur assiduè offeramus DEO sacrificium laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus,*

Vers. 16. *Beneficentiæ verò & communicationis ne obliviscimini: talibus enim victimis delectatur Deus.*

Hinc deducitur hortatio sexta, ad prudentem imitationem CHRISTI extra urbem euntis, & se Patri offerentis. Imitatio autem hæc in tribus consistit: 1. Sicut CHRISTUS extra urbem proficiscens mundo renunciavit, ut Patris voluntatem faceret, Sic nos ejus causâ rebus mundanis omnibus renunciare debemus, parati patrem, matrem, familiam, & facultates nostras relinquere, nisi indigni ejus consortio haberi vellemus. 2. Sicut CHRISTUS crucem suam portavit, exiens in locum probrosum, Golgotha: sic nos oportet opprobrium CHRISTI seu crucem nostram post eum portare, id est, ad exilia, persecutiones, contumelias, & id genus ærumnas, ejus causâ ferendas nos comparare, & paratos esse.

Non enim] Hujus membri rationem reddit, quia nos fideles novimus momentanea omnia esse hæc terrena, nec nobis commorandi locum esse in terra, sed quærendam esse civitatem, cœlestem illam hæreditatem: ad quam obtinendam, prompto animo decet nos ex mundo exire, & rebus mundanis renuntiare.

Per ipsum]

Per ipsum] Tertium in quo imitari debemus CHRISTUM patientem, est; ut nitentes intercessione, merito, & dignitate ejus, offeramus DEO hostias spirituales & acceptas, hoc est, Sicut CHRISTUS, ut passione sua typos Leviticos omnes impleret & aboleret, seipsum DEO obtulit: sic nos (quos unico suo sacrificio consummavit, quod ad justificationem attinet, & ut Sacerdotes DEO consecratos sanctificavit, ut abolitis legalibus sacrificiis spiritualia sacrificia offerremus) offerre debemus nos ipsos ut hostias vivas, ad DEO serviendum: & simul etiam offerre sacrificia laudis, precationis, & gratiarum actionis, quæ sunt nostræ *frugum primitiæ*, nostri *vituli* & spiritualia illa sacrificia, quæ assiduè debemus offerre DEO *per Christum*, cujus merito nos DEO grati sumus, & per quem accepta redditur obedientia nostra.

Beneficentiæ] Præter vitulos labiorum, jubet etiam *beneficentiam* exercere, hoc est, omnia charitatis officia erga omnes, potissimùm vero erga fideles seu domesticos, fidei præstare.

Talibus] Hanc partem hortationis urget ratione validâ, quia hujus generis sacrificia DEO placent, seu accepta sunt, ut suavissimus fructus fidei nostræ in CHRISTUM, & evidentissimum testimonium sinceræ dilectionis nostræ erga DEUM & proximum.

Vers. 17. *Obedite ductibus vestris, & obsecundate, vigilant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, id enim est vobis inutile.*

Hortatio 7. Ut officia erga Pastores, & Gubernatores debita, sedulò præstent: ut DEI ministros reverenter eos excipientes, amore, propter opus DEI in ipsorum manibus, prosequentes, iis obtemperantes in omnibus quæ DEI nomine pro officii sui ratione, credenda & facienda, ex DEI verbo præscribunt, labores ipsorum & curas, quâ possent gratitudine, compensare studentes.

Vigilant] Hortationis argumenta sunt quatuor: 1. Ministri Ecclesiastici ductores vestri excubant pro vobis precantes, studentes, disputantes pro vobis, prædicantes Euangelium, & disciplinam Ecclesiasticam exercentes vestro bono inter vos, Ergo obedite iis.

Rationem] Arg. 2. Exiget DEUS rationem ab iis animarum vestrarum, si vel unica earum, ipsorum culpâ perierit. Obedite ergo iis qui in tam periculosâ & durâ provinciâ inter vos laborant.

Ut cum gaudio] Arg. 3. Si obedieritis, ut decet, gaudebunt Pastores vestri,

vestri, alacriusque incumbent operi suo: Sin minus, facient quidem officium suum, sed ægre & cum gemitibus, atque ita vos qui grati esse debuissetis, tortores Pastorum vestrorum, & crudeles in eos evadetis. Ergo obedite ipsis.

Id enim] Arg. 4. cum occupatione objectionis (si fortè quis inter eos Pastorum molestias, dolorem, & gemitus non curaret) Vestro malo cedet, si vestrâ culpâ Dei ministri ingemiscere cogantur, Exaudiet Deus gemitus eorum, & contemptum suorum Legatorum severiter vindicabit. Ergo iis obedite.

Secunda pars.

Vers. 18. *Orate pro nobis: confidimus enim nos bonam conscientiam habere, ut qui in omnibus cupiamus honestè conversari:*

Altera pars Capitis, in qua est Epilogus Epistolæ, cujus articuli sunt sex; in primo, quia officium est omnium commilitonum in exercitu Ecclesiæ militantis, pro se mutuò precari, Apostolus more suo sub finem Epistolæ commendat se precibus fidelium Hebræorum, quos orare vult, ut Deus ipsi benedicat in omnibus, speciatim verò, ut liberè, & cum fructu Euangelium prædicare posset. Loquitur autem de se in plurali numero, ut liquet ex sequentibus, quæ ad ipsius personam pertinent, ex quibus perspicuum est non latuisse fideles Hebræos, Paulum Epistolæ Scriptorem fuisse, id quod etiam Petrus nobis confirmat, licet propter infideles Hebræos quos lucrifacere studebat, Epistolæ huic nomen suum illis exosum non præfixerit: Rationes cur Paulus orare eos velit pro se ipso, sunt duæ.

Confidimus] Ratio prima, cum occupatione objectionis, Quia etiamsi lædatur fama mea per calumniatores, qui hostes sunt Euangelii, nec me prædicantem de Christi gratia, & liberatione à fœdere operum, & ceremoniarum Leviticarum ferunt, mihi tamen conscius sum officii benè administrati, & vitæ adeo innocenter actæ, ut de nemine malè meritus sim. Modestissimè autem hic loquitur de se, ne cavillandi occasionem daret ullam.

Amplius] Ratio 2. Quia si pro me oraveritis, futurum est ut citius quam expectatis & quam causæ secundæ permissuræ videntur, copia mei vobis concedatur, & restituar Ecclesiis vestris, à quibus diutius quam vellem variis impedimentis implicitus, distineor,

Vers. 19.

Vers. 19. *Amplius autem obsecro vos, ut id faciatis, ut celeriùs restituar vobis,*

Vers. 20. *Deus verò pacis* author, *qui magnum illum ovium per sanguinem fœderis æterni Pastorem, Dominum nostrum Iesum, à mortuis reduxit*,

Vers. 21 *Perficiat vos in omni opere bono, ad præstandum ipsius voluntatem: efficiens in vobis quod acceptum sit in conspectu suo, per Iesum Christum: cui sit Gloria in secula seculorum. Amen.*

Articulus 2. In quo præmissis argumentis fiduciæ de exauditione, precatur Apostolus pro Hebræis, ut eos DEUS plenè sanctificet, id est, aptet coagmentet, perficiat, tanquam unius corporis membra componat, & absolutos reddat in omni opere bono, ad præstandam ipsius voluntatem. Quo insinuat ineptos nos esse ad omne opus bonum, quippe qui ut luxata membra, neque possumus, quod nostrum est, facere, neque cum aliis concurrere ad præstandum vel promovendum ullum bonum, donec DEUS nos ad se trahat propiùs, & nos sibi conjungat, nisi voluntatem nostram moveat, & incitet ad bonum volendum; efficiens, ut *velimus & perficiamus*, seu ut præstemus bonum, quod ipse voluntate præceptiva faciendum imperat. Id quod Apostolus plenius explicat, addendo modum quo DEUS perficiat eos, *Efficiens*, inquit, *in vobis quod acceptum sit in conspectu suo*, per IESUM CHRISTUM, hoc est per gratiam suam *efficaciter operans* in vobis, & per vos, opera sibi placentia, & efficiens omne bonum in quo ei placeatis: sub quo bono, principia actionum bonarum necessario continentur, & nominatim ipse assensus voluntatis ejusque cooperatio. Addit autem *per Iesum*. 1. Quia merito mortis CHRISTI omnia illa bona nobis emuntur: 2. Per eum ut per canalem derivantur ad nos: 3. Per eum efficiuntur illa bona opera: 4. Per eum purgantur, & accepta redduntur: Idcirco DEO & CHRISTO Gloria tribuitur in æternum, AMEN. Fiduciæ suæ in precando Argumenta habet quatuor, *vers.* 20.

Deus pacis] Arg. 1. cum relatione ad Ecclesiæ concordiam, DEUS est *Deus pacis*. Ergo confidenter petendum est à DEO, ut det vobis *studium pacis* inter vos & erga DEUM, in sanctitate colenda.

Qui reduxit] Arg. 2 Reduxit DEUS CHRISTUM à mortuis. Ergo & potest & vult vos oves ipsius, & membra corporis ipsius perficere in

omni opere bono, propter quæ CHRISTUS & mortuus, & suscitatus est.

Magnum Pastorem] Arg. 3. CHRISTUS est bonus ille, & summus *Pastor ovium*: Ergo expectandum ab eo ut sanctificet, & plenè perficiat vos oves suas.

Per sanguinem] Arg. 4. *Æternum fœdus* ictum est de ovium redemptione, id est, de sanctitate & salute earum perficienda, idque sanguine CHRISTI sancitum est: Ergo vos ex fœdere perficiemini in omni opere bono.

Vers. 22. *Precor autem vos, fratres, sufferte sermonem consolationis: etenim brevibus scripsi vobis.*

Articulus 3. In quo Hebræos orat, ut non tantùm boni consulant, quicquid in hac hortatoria Epistola acriùs aut aculeatum videri posset, sed etiam ut exhortationis sermonem, quo ista specialiùs dilatuturi, & ipsis applicaturi erant ipsorum Pastores ordinarii, sufferant, & in optimam partem accipiant.

Nam paucis] Ratio petitionis est, Quia brevius ista conscripta sunt ab Apostolo, absque ullis condimentis, quæ reprehensiones lenire potuissent, & opus habent explicatione, oratione copiosâ, applicatione ampliori & magis aculeatâ, ab ordinariis Pastoribus.

Vers. 23. *Scitote fratrem* nostrum *Timotheum solutum esse, cum quo (si celerius venerit) visam vos.*

Articulus 4. Est lætum nuncium de Timothei comitis sui assidui, quem ipsis gratum fuisse noverat, liberatione: ut quem captivum detineri audiverant & dolebant, scirent nunc liberatum esse, & recrearentur. In eundem finem spem facit adventus sui ad eos, unà cum Timotheo.

Vers. 24. *Salutate omnes duces vestros, & omnes sanctos. Salutant vos Itali.*

Articulus 5, In quo salutationes continentur: Nam primò salutem mittit omnibus Pastoribus & Gubernatoribus Ecclesiarum in Judæa: Deinde reliquis Fidelibus, ut omnes à se pariter amari sciant. Tertio loco Sanctorum in Italia nomine salutatos vult fideles Hebræos.

Vers. 25 *Gratia sit cum omnibus vobis.*

Articus 6. In quo Paulus, consueto suo signaculo, 2. *Thess.* 2. 17, claudit Epistolam, omnibus *gratiam* optans, id est, omnia dona salutaria, seu quæcunque ad ipsos perficiendos ex fonte gratuitæ beneficentiæ DEI necessariò requiruntur.

Quod

Quod ad ὑπογραφην; quæ post Epistolam adjicitur, non est quod ei fidem habeamus: Nam ex hujus Capitis *vers.* 23. constat Timotheum abfuisse cum scripta fuit hæc epistola: A librario igitur aliquo imperito adjectæ videntur subscriptiones. Ideoque eas missas facimus omnes.

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* IACOBI.

Summarium.

Iacobus Apostolus, cognomento Alphæi, ex officio Apostolatus sui, Hebreos fideles graviter commonefacit de variis officiis Christianis, quibus ornari posse fidem Christianam, & promoveri ipsorum salutem prospiciebat: eas virtutes quibus opus habere videbantur, maximè in eum finem ipsis prudenter proponens; & vitia ad quæ procliviores erant, vel quibus jam laborabant acriter corripiens. Singula capita suum habent numerum admonitionum, prout in singulis explicandis specialiùs ostenditur. Quæ omnes admonitiones, etiamsi in Ecclesiæ Catholicæ usum scriptæ sunt, apparet tamen Apostolum voluisse eas legi præcipuè ab omnibus dispersis Israelitis & conversis ad Fidem, & non conversis cujus consilii Indicia sunt tria, primum, generalis Epistolæ inscriptio ad omnes duodecim tribus. Secundum est, communis & civilis salutandi formula: & tertium est, docendi genus quod ad excutiendum torporem conscientiarum, & resipiscentiam excitandam maximè ex parte comparatur, si forte ex errantibus aliquis hac doctrinâ in viam revocari potuisset, id quod versu ultimo Capitis ultimi non obscurè ab Apostolo intendi significatur.

Caput Primum.

Post inscriptionem Epistolæ, vers. 1, *hoc capite, loci communes seu admonitiones, habentur tres: Prima admonitio de rectè ferendis persequutionibus, seu tentationibus externis, ad* vers. 13. *Secunda, de recta æstimatione tentatio-*

re tentationum internarum, ad vers. 21. *Tertia, de religione solide exercenda, ad finem.*

Vers. 1. *IACOBVS Dei ac Domini Iesu Christi servus, duodecim tribubus dispersis, salutem.*

In Epistolæ inscriptione describitur Scriptor, *Iacobus servus Dei, & Domini Iesu Christi*, scilicet in Apostolatus munere, quo posset omnes tribus Israelis cum autoritate docere, & de officiis suis monere, *Dei servum* se vocat, ut ostendat se Patrio DEO servire, serviendo filio ejus IESU CHRISTO, & speciali autoritate DEI, & CHRISTI, se hæc scribere. Illi ad quos Epistola scribitur, sunt Israelitæ, præcipuè fideles ejecti ex Terrâ Sanctâ, & per regiones dispersi, sed (quod ad spem cœli, per sanctam terram repræsentari) ad servatorem IESUM collecti. Hos jubet solidè (& ut Christianis est concessum) *salvere* vel gaudere, mutuatâ salutationis formâ, ex communi Ethnicorum usu, sed in Christianum sensum conversa.

Vers. 2. *Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis:*

Prima admonitio, Ne ægriùs & impatientiùs ferrent afflictiones externas, & persequutiones pro Euangelio, sed ut corrigerent carnis judicium de externis illis exercitiis, quibus DEUS tentabat, seu probabat ipsorum fidem & sinceritatem. In hunc finem thesis statuitur carnis judicio contraria, nempe, Omnis, seu summi gaudii materia æstimanda est, cum DEI providentiâ inciditis in varias persequutiones vel afflictiones, quibus probemini an velitis etiam in rebus adversis DEO adhærere, hanc Thesin confirmat argumentis septem.

Vers. 3 Illud *scientes, probationem fidei vestræ parere patientiam:*

Argumentum primum, Illæ tentationes sunt fidei vestræ exploratio, expolitio, & productio in apertum. Ergo summo gaudio ducere debetis, cum in varias tentationes incideritis.

Parere] Arg. 2. Quia hoc exercitium pariet vobis patientiam, quæ majoris est pretii, quam ut afflictiones possint in comparationem cum ea venire: Ergo, *&c.*

Vers. 4. *Cæterùm patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, ita ut nihil desit.*

Arg. 3. cum hortatione conjunctum. Opus est variis afflictionibus, & ut

& ut cum aliqua mora incumbant vobis, (nempe quandiu DEO visum fuerit) ut tolerantiæ opus perficiatur, & ut vos qui habetis alias dotes, habeatis etiam patientiæ donum, atque ita compleatur imago CHRISTI in vobis, ut ad integritatem seu perfectionem Partium sanctitatis nihil vobis desit. Ergo afflictiones summo gaudio ducere debetis.

Vers. 5. *Quòd si cui vestrûm deest sapientia, postulet à Deo qui dat* eam *omnibus benignè, nec exprobrat, & dabitur ei.*

Arg. 4. per occupationem objectionis propositum, Parata est, & in promptu posita sapientia, quæ & gaudii & patientiæ rationes in his exercitiis efficaciter suppeditet omnibus afflictis, donum hoc à DEO petentibus. Ergo gaudendum in afflictionibus.

Qui dat] Hoc Argumentum confirmat ab abundanti gratia DEI, qui petentibus omnibus gratis, abundanter, & sine exprobratione indignitatis vel ingratitudinis in precante, respiscenti dat quodcunque petitur spirituale donum, quantum ad salutem sufficit.

Vers. 6. *Sed postulet cum fide nihil disceptans: nàm qui disceptat, similis est fluctui maris, qui ventis agitatur & jactatur.*

Idem Argumentum explicat à parte precantis, requirens ut oret in fide, seu fiduciâ fundatâ in promissione DEI, de dono dando, sine disceptatione, & ne admittat dubitationem, an DEUS sit illud necessarium donum sibi promissum concessurus; Cujus requisitæ fiduciæ, & prohibitæ disceptationis rationes reddit tres.

Nam qui] Ratio prima, Quia disceptans qui huc illuc jactatur in precibus, dubius an DEUM veracem & misericordem sit experturus, similis est fluctibus marinis, qui à vento huc illuc sine fructu agitantur, & evanescunt.

Vers. 7 *Ne igitur existimet homo ille se quicquam acceptarum à Domino.*

Ratio 2 Quia disceptatio ista, quæ non desinit in conclusionem fidei, preces reddit irritas, quibus DEUS non annuit.

Vers. 8 *Vir animo duplici, inconstans est in omnibus viis suis.*

Ratio 3. Quia istiusmodi disceptator infidelis, vel dubius quid statuat, instabilis est & inconstans in consiliis & actionibus suis, & non minus paratus ad discedendum à DEO, quam ad manendum cum eo, siquidem nihil fixi vel firmi tenet in præsenti religionis negotio, quod præ manibus habet:

Vers. 9

Vers. 9. *Porrò frater qui est abjectus, glorietur in sublimitate sua:* Redit ad institutum, & addit Argumentum quintum ad probandum, quod in exercitio Crucis materia sit gaudii, Qui per Crucem seu afflictiones est humiliatus à DOMINO, gloriari potest in exercitio suo, tanquam nota adoptionis, & exaltationis suæ ad dignitatem filii DEI adoptivi, & ad privilegia Sanctorum; quæ sublimitas opulentorum divitias, & regum thronos longè superat. Ergo in probationibus per Crucem factis, vobis gaudendum est.

Vers. 10. *Contra, qui dives* est, *in abjectione sui, quoniam velut flos herbæ præteribit.*

Vers. 11. *Nam* velut *exorto sole cum æstu, exaruit herba, & flos illius decidit, & gestabilis decor ipsius periit: ita & dives in viis suis marcescet.*

Arg. 6. Qui dives est & intactus adhuc à persequutoribus & afflictionibus, nullam habet gloriandi materiam in prosperitate sua, sed in dimissione animi sui, seu in præparatione ad Crucem & afflictiones ferendas, cum reliquis afflictis.

Quoniam] Ratio redditur, Quia qui non sic sapit, sed confidit in divitiis suis, est vanus, & evanescet, sicut flos herbæ arescet & peribit cum omnibus suis consiliis.

Vers. 12. *Beatus vir qui tolerat tentationem: quoniam quum probatus erit accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus iis à quibus diligitur.*

Arg. 7. Qui patienter fert afflictiones, & probatus in fide compertus est, jam beatus est, & promissam coronam vitæ æternæ tandem consequetur, ad quam per exercitium Crucis jam paratur: Ergo materia gaudii æstimanda est exercitatio per Crucem.

Vers. 13. *Nemo quum tentatur, dicat se à Deo tentari: nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat.*

Admonitio 2. De rectè æstimandis tentationibus internis, ne quis violet DEI sanctitatem, ne quidem vel cogitationum suarum sententiis, quasi DEUS solicitaret quemvis ad peccandum, id quod Adami filiis est familiare, nempe ut culpam rejiciant in DEUM quasi autorem. Argumenta admonitionis seu dehortationis sunt octo, quæ omnia probant tentationes ad malum non ascribendas DEO.

Nam Deus].

Nam Deus] Argumentum primum, Deus non potest solicitari vel permoveri ad peccandum: Ergo nec solicitare potest alium quenquam ad peccandum: & per consequens tentatio ad peccatum non ascribenda est Deo.

Vers. 14. *Sed unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur.*

Arg. 2. Propria uniuscujusque concupiscentia est vera tentationis causa. Ergo non ascribenda est Deo. Antecedens probat, methodum seductionis ad peccandum quinque suis gradibus explicando. Nam primò per concupiscentiam depravatam abstrahitur homo à bono vero, ne in eo conquiescat: Deinde inescatur à falsâ specie boni, ad prosequendum malum.

Vers. 15. *Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.*

Tertiò, Voluntate & corde concipit propositum ad peccatum actu perpetrandum. Quartò, Peccatum actu perpetrat, Et quintò, Peccatum perpetratum merito suo quasi parit & procurat mortem. Atque ita originalis pravitas gignit actuale peccatum, & per gradus ad summum incrementum perducit.

Vers. 16. *Ne errate, fratres mei dilecti.*

Arg. 3. Errabitis, & falsum blasphemumque dogma tenebitis, si causam vestræ ad peccandum impulsionis Deo ascripseritis.

Vers. 17. *Omne munus bonum, & omne donum est perfectum, supernè descendens est à Patre luminum, apud quem non transmutatio, aut conversionis obumbratio.*

Arg. 4. Deus est Fons & Autor solus omnis boni (quod in nobis est, vel quod nobis conceditur, sive in statu naturæ sive gratiæ) & boni tantùm, quippe à quo descendit omne bonum, & omne donum quod ad nostri perfectionem ullo modo conducit: Non ergo dicendum quod Deus sit causa peccati, vel mali in nobis.

Luminum Arg. 5. Deus est Pater luminum, cognitionis, intelligentiæ, sanctitatis, & felicitatis: Ergo non est Pater tenebrarum oppositarum, seu peccati.

Apud] Arg. 6. Deus est immutabilis, naturâ suâ expers omnis variationis in melius vel deterius: ab omni æternitate sui semper in omnibus similis,

similis ita, ut non sit ipsius à seipso discrepantiæ fundamentum ullum; nec motus, seu mutationis ejus, vel levissima obumbratio: Ergo est impossibile ut Deus sit Autor peccati.

Vers. 18. Is *quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus, primitiæ suarum creaturarum.*

Arg. 7. Deus voluntate suâ solâ permotus, per verbum Euangelii regenuit, & convertit nos à statu peccati ad sanctitatis suæ imaginem: Ergo non est ullius peccati in nobis autor.

Vt essemus] Arg. 8. Finis regenerationis nostræ intentus à Deo est, ut simus sancti, & toti consecrati instar primitiarum sub lege, in ipsius gloriam. Ergo non debemus blasphemias ullas cogitationes de eo admittere, quasi permoveremur ab eo ad malum seu peccatum.

Vers. 19. *Itaque, fratres mei dilecti, sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.*

Tertia admonitio ex commemoratione regenerationis ipsorum per verbum Veritatis illata, ut solidam rationem ineant, qua reipsa & factis, religiosos se & verè regenitos demonstrent. Trimembris autem hæc admonitio est: In primo, docet modum audiendi & recipiendi sermonem Dei, quo præparentur ad praxin, ad *vers.* 22. In secundo jubet in genere, ut verbum ad praxin referant, ad *vers.* 26. In tertio jubet in specie, ut sermonis sanctitate, & charitatis operibus manifestam faciant religionis suæ virtutem.

In primo membro admonitionis de sermone audiendo requirit quinque: 1. Ut dociles sint, & doctrinæ avidi: 2. Ne temere præcipitent judicium suum, seu ne subito sententiam ferant de rebus potissimùm fidei. 3. Nec iracunde excipiant eos, qui primâ facie ab iis dissentire videntur.

Vers. 20. *Nam ira viri, justitiam Dei non exequitur.*

Rationem reddit hujus partis, Quia passionibus & perturbationibus nostris, vel carnali nostro zelo & fervore, non promovetur Dei opus, seu justitia illa quam ille requirit.

Vers. 21. *Quapropter abjectis omnibus sordibus & excremento malitiæ, cum lenitate recipite insitum sermonem, qui possit servare animas vestras.*

4. In verbo audiendo requirit, ut abjiciant sordidas voluptates carnis, & pravitatem illam naturalem quâ omnes abundamus, resipiscentiæ & mortificationi

mortificationi ſtudentes, ne impediatur ſermonis Divini in ipſis *ſeminatio* vel plantatio: 5 Ut in lenitate recipiant verbum, id eſt, animo humili & religioſo in cordis ſinum admittant ſermonem *inſititium*, qui inſeritur, & radices per fidem agit in corde, & cum eo quaſi coaleſcit; Cujus ratio redditur, Quia ſic receptus DEI ſermo, ſalvas poteſt reddere ipſorum animas.

Verſ. 22. *Reipſa verò præſtate ſermonem: nec ſitis auditores ſolum, fallentes voſmetipſos.*

In ſecundo membro admonitionis requirit in genere, ut non ſint auditores Verbi tantùm, ſed etiam factores, hoc eſt, in praxin redigant quod præcipit DEI Verbum: Cujus rationes reddit tres: Prima, Quia alioqui deciperent ſeipſos, putantes ſatis eſſe ad veritatem fidei probandam, audire DEI Verbum, licet ei obedire non ſtudeant.

Verſ. 23. *Nam ſiquis audit ſermonem, & eum non præſtat, is ſimilis eſt viro conſideranti faciem ſuam nativam in ſpeculo.*

Verſ. 24 *Conſideravit enim ſeipſum, & abiit, & ſtatim oblitus qualis eſſet.*

Ratio 2. confirmans priorem, Quia non magis prodeſt audire DEI Verbum ſine ſtudio in praxin illud redigendi, quam ſi quis nativam faciem in ſpeculo otioſè intueretur, ſine uſu vel fructu aliquo.

Verſ. 25. *At qui introſpexerit in perfectam illam Legem libertatis, & in ea permanſerit, quia non fuerit auditor obliviosus, ſed effector operis, beatus erit in opere ſuo,*

Ratio 3. Quia contra, qui quatuor hæc facit: 1. Qui accuratè introſpicit in Verbum DEI, ſtudioſè inquirens in omnem DEI voluntatem revelatam, quæ dicitur *Lex, ſeu doctrina Libertatis*: quia docet veram rationem liberationis à peccato & ira, & veram rationem ingenuè ſerviendi DEO, ut decet DEI libertos, qui dilectione & gratitudine conſtringuntur, ad DEO placendum: 2. Qui perſeverat in ſtudio ſanctæ doctrinæ permanens: 3. Qui cavet ne oblivioni tradantur quæ diſcit: 4. Denique, Qui opere ſtudet in praxin redigere, quod jubet DEI ſermo: Næ ille in operatione ſua beatus erit, quia licet impoſſibile ſit, ut operibus mereatur felicitatem, operibus tamen declarabitur coram omnibus eſſe beatus, & in operum bonorum exercitio, tanquam in via ad cœlum ambulando,

ambulando, beatitudinem Sanctis promissam certò consequetur; & sic beatus erit in operatione sua.

Vers. 26. *Si quis videtur religiosus esse inter vos, non frænans linguam suam, sed suum ipsius cor seducens, hujus vana est religio.*

In tertio membro admonitionis requirit duo: Primum, Ut qui religiosi esse velint, & verè haberi, frænent linguam suam, & attendant, ut quod loquuntur sit præceptis DEI consentaneum, & DEO probatum. Rationes hujus requisiti reddit duas: 1 Qui contrà facit, & se religiosum putat, decipit cor suum: 2. Hypocrita est cui religio istiusmodi nihil est profutura; siquidem cum ex abundantia cordis os loquatur, cor minimè curare censendus est, qui linguam non frænat.

Vers. 27. *Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum seipsum servare à mundo.*

Secundum quod requirit, est, Ut operibus charitatis, & sanctâ conversatione manifestum faciant, se verè religiosos esse, seu suam professionem fidei Christianæ puram, sinceram, & immaculatam esse, vel quæ non dehonestet fidem illam quam profitentur, & quam DEUS noster, & PATER noster approbet.

Quod ad opera charitatis exempli causâ, nominat *misericordiam erga orphanos & egenos* in afflictione: nam *visitare* est miseriam & necessitatem beneficè sublevare, sub quo officio synecdochicè comprehendit reliqua ergà proximum officia.

Quod ad sanctam conversationem attinet, eam comprehendit sub studio conservandi, per DEI gratiam, nos ipsos immaculatos à mundo, seu ab inquinamentis, quæ in mundo grassantur, & à contagione alienorum peccatorum, ita ut nec ipsi nos polluamus sceleribus, nec polluentibus se in cœno peccatorum communicemus.

Caput Secundum.

HOC *Capite continentur duæ admonitiones: Prima de vitandâ prosopolepsiâ, potissimùm in rebus Ecclesiasticis, ad* vers. 14. *Altera de vitanda inani jactantia Fidei, ubi desunt bona opera.*

Vers. 1

Vers. 1. *Fratres mei, ne cum respectu personarum habete fidem Domini nostri Iesu Christi gloriosi.*

Primum vitium de quo vitando admonet, est Prosopolepsia, quæ committitur, cum in eadem causa plùs vel minùs tribuitur alicui quam æquum est, propter aliquid in ipsius personâ, quod ad causam illam nihil pertinet. Sic peccabant inter Hebræos, qui fidem in CHRISTUM magnificiebant in ditioribus: in pauperioribus verò eandem fidem nihili faciebant, usque adeo ut etiam divites infideles in pretio magno haberent, pauperes vero fideles in nullo numero æstimarent, sed contemnerent. Ab hoc vitio dehortatur, Argumentis adhibitis decem. Argumentum primum, IESUS CHRISTUS est glorioſus, & fides in ipsum in omnibus æquè glorioſa est. Ergo à personarum acceptione cavendum.

Vers. 2. *Nam si quis in cœtum vestrum ingrediatur, aureum gestans annulum, veste splendida, ingrediatur autem & pauper cum sordida veste,*

Vers. 3. *Et respexeritis ad eum qui vestem gestat splendidam, & dixeritis ei, Tu sede hic pulchrè, & pauperi dicatis, Tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum:*

Vers. 4. *Nonne discrimen fecistis apud vos, & facti estis judices perversè deliberantes?*

Arg. 2. Hæc personarum acceptio etiam à conscientia *vestra* condemnatur, (Quod in exemplo facti ipsorum manifestum facit) nam divites infideles in Ecclesias vestras, curiositatis forte gratiâ tantùm venientes, ita publicè honoratis solo divitiarum respectu, ut interim pauperes fratres neglectui habeatis, *vers.* 2. 3. Hoc conscientiæ testimonium interrogatione urget.

Et facti] Arg. 3. Qui personas acceptant, sunt perversi Judices, quorum cogitationes perversæ sunt, non quod honorare Divites vel magis honorare Divitem quam pauperem iniquum sit, sed quod honorare Divites, etiam impios, propter Divitias cum contemptu fidelium, & piorum pauperum, quia pauperes sunt, iniquum sit. Sic enim Divitiæ habentur sola causa æstimationis; pietas verò sine divitiis contemnitur. Ergo personarum acceptatio vitanda est.

Vers. 5. *Audite, fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes mundi*

res mundi hujus ut fierent *divites fide, & hæredes regni quod promisit iis à quibus diligitur?*

Vers. 6. *At vos contumelia affecistis pauperem. Nonne divites per tyrannidem opprimunt vos, & trahunt vos ad tribunalia?*

Vers. 7. *Nonne blasphemant præclarum illud nomen à quo estis cognominati?*

Arg. 4. Hac prosopolepsiâ dedecore afficitis Pauperes, quos DEUS honoravit, eligendo eos in hæredes regni sui, ornando eos divitiis melioribus quam sunt hæ mundanæ; divitiis nempe fidei & dilectionis DEI, & promissionibus hæreditatis cœlorum, quæ gratiæ sunt salvificæ. Ergo prosopolepsia vitanda est.

Nonne Divites] Arg. 5. Quia per hanc prosopolepsiam, eousque inconsiderationis provecti estis, ut honoretis publicos Euangelii hostes, (qui neque Magistratus respectu, nec ullo alio quam Divitiarum nomine honorabiles sunt, sed tyrannicè usurpant in vos jus non datum ipsis, opprimunt vos, deferunt vestra nomina ad judices, & corpora ad tribunalia trahunt, & blasphemant CHRISTI nomen glorioſum, unde vos denominamini Christiani) quæ summa est stultitia. Ergo prosopolepsia, est vitanda.

Vers. 8. *Siquidem Legem regiam præstatis secundum Scripturam, Diliges proximum tuum ut teipsum, bene facitis.*

Vers. 9. *Sin verò personam respicitis, peccatum committitis, & redarguimini à Lege, veluti transgressores.*

Arg. 6. Per occupationem objectionis, Quia in hac prosopolepsia redarguimini à lege, ut transgressores. Nam si respectum illum civilem, qui communiter debetur unicuique, secundùm conditionem externam & civilem, & secundùm merita uniuscujusque distribueretis, excusari posletis, si lautioris fortunæ hominibus, quod æquum est, daretis, & fratribus vestris fidelibus, quod æquum est, non detraheretis, servientes regiæ legi DEI regis regum, secundùm communem regulam dilectionis mensuram communicando aliis, sicut ipsi justam mensuram expectare posletis ab aliis, tum quidem absolvi posletis, vers. 8. Sed cum indebitum honorem datis divitibus; pauperibus vero fidelibus debitum respectum non datis, jam personas accipitis, & peccati rei tenemini, & legis transgressores estis: Ergo prosopolepsia vitanda est.

Vers. 10.

Vers. 10. *Quisquis enim totam Legem servaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.*

Arg. 7. confirmans superius, Si indulgeatis vobis in una hac Prosopolepsia, in pauperum fidelium contemptu, rei peragendi eritis totius Legis, etiamsi præ vobis feratis observationem omnium reliquorum præceptorum, excepto hoc unico, Quia quisquis offenderit in unico præcepto, tenetur violationis omnium reus, non quod in uno peccato concurrant omnia, sed quia est copulatio præceptorum omnium in una justitiæ regula, & eadem authoritas DEI in omnibus violatur in aliquo uno; & ita reatus generalis omnium legum, seu maledictio DEI attrahitur per unius legis violationem, etiamsi in specialibus gradibus reatus & maledictionis discrimen maneat. Ergo Prosopolepsia vitanda est.

Vers. 11. *Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas Quod si non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor Legis.*

Confirmat hoc Argumentum in exemplo sexti & septimi mandati, in quorum alterius violatione, violatur autoritas mandantis utrumque.

Vers. 12. *Ita loquimini & ita facite ut per Legem libertatis judicandi.*

Arg. 8. per modum hortationis propositum, Sic loquendum & faciendum vobis est erga pauperes fideles præcipuè, ut judicandos vos sciatis sine acceptione personarum, secundùm doctrinam Euangelii quæ prosopolepsiam prohibet: Ergo.

Vers. 13. *Nam damnatio absque misericordia erit ei qui non præstiterit misericordiam, & gloriatur misericordia adversus damnationem.*

Arg. 9. Nisi misericordiam exerceatis, præcipuè erga fratres vestros, pauperes & afflictos, metuendum vobis erit judicium sine misericordia. Ergo cavenda Prosopolepsia.

Gloriatur] Arg. 10. & ultimum, Si misericordiam exerceatis, præcipuè erga pauperes & afflictos fratres, prout Euangelium requirit, non erit quod metuatis iram seu judicium sine misericordia, sed de misericordia DEI ex hoc signo certi esse poteritis, quâ freti gloriari vobis licebit contrà judicii meri severitatem, utpote à qua per misericordiam DEI liberati estis. Ergo nisi misericordiæ renunciare, &

judicio

judicio vosmet obnoxios reddere vultis, cavenda vobis est hæc cum crudelitate juncta prosopolepsia.

Secunda pars.

Vers. 14. *Quæ utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis habere se, opera verò non habeat? num potest fides illa eum servare?*

Altera admonitio ad vitandam vanitatem jactantiæ de fide otiosa: Propositio statuitur primis verbis, Quod inutilis seu vana sit professio fidei, quæ destituitur operibus. Hanc probat Argumentis novem. Arg. 1. Quia fides istiusmodi quæ destituitur fructibus, non potest jactantem de fide hac inani servare. Ergo vana est ejus professio.

Vers. 15. *Quod si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu:*

Vers. 16 *Dicat autem eis aliquis vestrûm, Abite cum pace, calescite & saturamini: non tamen dederitis eis quæ sunt apta corpori, quæ erit utilitas?*

Arg. 2. à pari, Verbalis professio charitatis otiosæ, est inanis & inutilis, & profitenti, & famelico: cui verba pro cibo dantur. Ergo etiam & professio fidei otiosæ, inanis est.

Vers. 17. *Ita quoque fides, si opera non habeat, mortua est per se.*

Arg. 3. Charitas quæ consistit tantùm in orali professione, mortua est: Ergo etiam & fides quæ consistit in orali professione, sine operibus, mortua est & inanis.

Vers. 18. *Quinimo dicet aliquis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam,*

Arg. 4. Talis fidei professio convincitur vanitatis cum ad examen ventum fuerit, ut apparet in suppositione Dialogi instituti inter vere fidelem, qui fidem potest suam ex operibus ostendere, & jactabundum hypocritam, qui ex vita & operibus non potest fidem suam demonstrare. Ergo ista fidei jactantia est vana & inutilis.

Vers. 19. *Tu credis Deum unum esse, rectè facis: & dæmonia credunt, & horrescunt.*

Arg. 5. Fides quæ dicitur *historica*, qua creditur veritati articulorum fidei de unitate DEI & similibus, licet hactenus bona sit, non sufficit ad salutem,

salutem, non est *salvifica* fides; quia & Dæmones veritati Verbi Divini credunt, & contremiscunt. Ergo multò minus prodest ad salutem, vana fidei professio, quæ operibus destituitur.

Vers. 20 *Vis verò nosse, homo vane, fidem illam* quæ est *absque operibus, mortuam esse?*

Arg. 6. per colloquutionem propositum, Qui nititur vel gloriatur tali fide quæ otiosa est, ignorans eam esse mortuam, homo vanus est & inanis, sicut vas, quo magis vacuum est, eo majorem sonitum edens: Et hîc sibi parat viam ad Argumentum septimum.

Vers. 21. *Abraham pater ille noster, nònne ex operibus justificatus est, quum obtulisset Isaac filium suum super altare?*

Arg. 7. Probans fidem sine operibus esse mortuam, & per consequens vanam esse professionem fidei quæ caret operibus, ab exemplo Abrahami, qui in causa prædicta de fide demonstranda, vivane an mortua esset, justus compertus & declaratus est ex operibus, & hic per interrogationem urget conscientiam hypocritæ. Abraham Pater Fidelium justificatus est coram toto mundo, quod fides ejus non fuerit mortua, sed viva, ex operibus ejus, cum obtulisset Isaac filium suum super altare, in testimonium sinceritatis fidei ipsius, seu quod vivâ fide crediderit in Deum, & non placuerit sibi in vanâ professione otiosæ seu mortuæ fidei, sicut multi faciunt. Ergo fides quæ est sine operibus est fides mortua & inanis. Atque ita Iacobo optimè convenit cum Paulo; nam *Rom* 4. 2 Paulus sic ratiocinatur, Si Abraham justificatus est ex operibus, habuit de quo gloriaretur, sed non coram Deo, subaudi, habuit de quo gloriatur. Ergo coram Deo non est justificatus operibus. Iacobus verò sic ratiocinatur, Abraham justificatus est ex operibus coram hominibus, qui dicerent ei, Ostende mihi fidem tuam per opera tua; seu, Demonstra mihi quod tua fides non sit mortua, sed viva: Ex quo Antecedente sequitur non tantùm, Ergo fides sine operibus est mortua, sed etiam Conclusio consentiens cum Pauli Conclusione. Ergo Abraham justificatus est coram Deo, non fide illâ mortuâ, & operibus cassâ, sed fide vivâ, & in operibus efficaci: atque ita optimè convenit inter Apostolos.

Vers. 22 *Vides fidem administram fuisse operum ipsius, & ex operibus fidem perfectam fuisse?*

Hanc esse mentem Iacobi ipse declarat convincendo jactabundum hypocritam gloriantem de mortua fide, ex eo quod Abrahæ fides unà

cum

cum professione fidei junxerit opera, ita ut ex operibus fides ejus perfecta, non inanis seu mortua inventa, & declarata sit.

Vers. 23. *Itaque impleta est Scriptura quæ dicit, Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei vocatus est*.

Hinc etiam infert expositionem Scripturæ, quam citat Paulus in causa justificationis per fidem; atque ita consensum suum cum Paulo plenè demonstrat. Cum fides Abrahæ perfectè declarata est ex operibus, seu fructibus ejus, tum plana declaratum est quam verè Scriptura dixerit, Credidit, &c. Atque ita cum dicitur fides imputata esse Abrahamo ad justitiam constat, intelligendam esse fidem non mortuam, sed vivam illam, & operibus efficacem, & hanc expositionem Scripturæ esse impletionem, seu hunc esse plenum sensum illius Scripturæ, Iacobus hic ostendit; Dicit Abrahamum *vocatum esse Dei amicum*, ut intelligamus solidam cum DEO reconciliationem, per fidem effici, & veram amicitiam, per fidei manifestationem in operibus obedientiæ, demonstrari.

Vers. 24. *Videtis igitur ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantùm*?

Ex his sequitur conclusio, contra jactantiam hypocritarum, de inani sua fide, quod omnes fidem profitentes coram hominibus, justificentur ex operibus, & non ex fidei professione tantùm, seu non ex mortua & inani fide, quam vos hypocritæ jactatis.

Vers. 25. *Similiter autem etiam Rahab illa meretrix, annon ex operibus justificata est, quum excepisset nuntios, & alia via emisisset*?

Arg 8. Rahab meretrix justificata est (coram Israele, scilicet, quod verè crediderit in DEUM, & verè conversa fuerit) ex operibus; cum excepisset hospitio nuncios Israelis, & salvos dimisisset. Ergo inanis est professio otiosæ fidei. Quod Iacobus justificationem non aliter accipiat quam diximus, apparet ex eo quod Rahab *meretricem* vocet, seu fœdis libidinibus prostitutam, quam idcirco impossibile fuit coram DEO justificari ex operibus, sed tantum ex fide verâ quæ operibus se veram ostendit.

Vers. 26. *Nam sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita & fides illa* quæ est *absque operibus, mortua est*:

Arg. 9.

Arg. 9. Quemadmodum corpus animalis, si non spirat, mortuum est: ita fides, si non producit opera, mortua est: Ergo inanis est ilIiusmodi fidei mortuæ jactantia, in qua sibi hypocritæ placent.

Caput Tertium.

HOC capite habentur duæ admonitiones: Prima, de gubernanda lingua, ad vers. 13. *Altera de Sapientiâ, quæ mala linguæ compescit, & rixas seu contentiones vitat, ad finem.*

Vers. 1. *NE sitis multi magistri, fratres mei scientes fore ut gravius judicium auferamus.*

Quod ad primam admonitionem, frænari linguam & cohiberi jubet nominatim ab invectivis & rigidis alienorum vitiorum, vel infirmitatum exaggerationibus. *Ne estote*, inquit, *multi magistri*, id est, ne arrogate vobis *magisterii* in alios autoritatem, & nimiam quævis carpendi licentiam, ut multi faciunt, sed frænate linguas vestras. Admonitionem confirmat argumentis decem.

Scientes] Argumentum primum, Quia iniqui censores gravius judicium auferent à DEO Vindice injuriarum: Frænanda igitur lingua, nisi gravius auferre judicium vultis.

Vers. 2. *In multis enim labimur omnes. Si quis in sermone non labitur, hic perfectus* est *vir, ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus.*

Arg. 2. Cum omnes obnoxii simus multis lapsibus, clementiùs decet nos agere cum aliorum infirmitatibus, nec judicandi autoritatem arrogare sine vocatione, nec in judicio iniquiores nos ostendere.

Si quis] Arg. 3. Si quis modum linguæ ponere novit, argumentum habet perfecti, seu sinceri hominis, qui moderari potest omnes actiones suas, & contrà, qui linguam suam non potest cohibere, quin carpat in omnibus, aliorum mores, indicium habet hypocritæ: Frænanda ergo lingua.

Vers. 3. *Ecce, equis frena in ora immittimus, ut obediant nobis, & totum corpus eorum circumagimus:*

Vers. 4. *Ecce, naves quoque, quum tantæ sint, & à ventis sævis agantur, circumaguntur à minimo gubernaculo quocunque libido gubernatoris voluerit:*

Vers. 5. *Ita & lingua pusillum membrum est, & magna jactat. Ecce, exiguus ignis quantam materiam incendit.*

Vers. 6 *Lingua etiam flamma* est, *& mundus iniquitatis*: *ita* inquam *lingua constituta est inter membra nostra, maculans totum corpus, inflammans orbem conditum, & inflammata à gehenna.*

Arg. 4 confirmans superius, Sicut si regas frænum, etiam regas equum, & si clavum regas, etiam & navim; Sic etiam si linguam rectè gubernaveris, etiam totum corpus, & externas actiones gubernabis; licet instrumenta pusilla sint illa, & pusillum membrum lingua. Frænanda ergo.

Et sese] Arg. 5. Lingua effert se magnificè, & jactat se glorioſè quod possit in utramque partem, & multum boni in veracitate, constantia, taciturnitate, urbanitate, & similibus præstare; & multùm etiam mali, in mendaciis, conviciis, calumniis, & similibus. Ergo summa cura regenda & gubernanda est.

Ignis] Arg. 6. Quia sicut ignis exiguus quantumvis materiæ accendere & depascere potest; Sic lingua nisi compescatur, & frænetur, mundum malorum excitare, infinita peccata procreare potest: & cum corporis exigua sit pars, potest reliqua omnia membra, & totum corpus sceleribus involvere & fœdare, & rotam naturalium facultatum omnium, suis vitiis inflammare. Ergo studioſè gubernanda est.

A Gehenna] Arg. 7. Linguæ malæ cum inferno & Diabolo affinitas quædam est, cui lingua servire parata est, & ab eo flammam mendaciorum, calumniarum, & rixarum ad totum orbem accendendum transmittere: Magno ergo studio ad eam regendam opus est.

Vers. 7. *Omnis enim natura & ferarum & volucrum, serpentiumque & marinorum, domatur, & domita est à natura humana:*

Vers. 8 *Linguam autem nullus hominum domare potest, malum* est *quod coercere non possis: plena* est *veneno mortifero.*

Arg. 8. Nullum est genus animalium quod domari non possit ab humana ratione, seu arte: & experientia docet omnis generis aliqua, ab hominibus cicurata esse, vers. 7 Verum linguam nulla humana ratio, seu ars cicurare potest: quia malum inquietum & indomitum suâ naturâ est,

est, plena veneno mortifero, quo aliis lethales noxas infert, & inferre parata est. Ergo ut gratiâ DEI supernaturali frænetur lingua studiosiùs curandum est.

Vers. 9. *Per ipsam benedicimus Deo & Patri, & per ipsam maledicimus hominibus qui ad similitudinem Dei conditi sunt.*

Vers. 10. *Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.*

Arg. 9. Lingua varia, subdola, versipellis est, nunc se simulans optimam, DEO benedicendo; nunc naturam suam apertè prodens, expressè maledicendo hominibus, DEO verò obliquè, ad cujus similitudinem homines facti sunt, ex eodem ore emittens nunc benedictionem, nunc maledictionem, vers. 9. At hoc absurdum est, & monstri simile, quod minimè tolerandum est, vers. 10 Ergo gubernandæ linguæ necessario studendum est.

Vers. 11 *Nunquid fons ex eodem foramine manat dulcem & amaram* aquam?

Vers. 12. *Nunquid potest, fratres mei, ficus oleas edere, aut vitis ficus? ita nullus fons salsam & dulcem aquam* potest *edere.*

Arg. 10. Confirmans superius, per quadruplex simile fontis, ficus, vitis, & maris. Argumentatur autem ab eo, quod est impossibile secundùm naturam, ad absurdum in moribus: Quemadmodum natura non patitur, ut ex eodem fontis foramine, emanet dulcis aqua & amara, vel ut ficus uvas ferat, & vitis ficus, vel idem fons marinus salsam & dulcem aquam reddat: Ita ratio non sinit ut credamus eam esse renovati hominis linguam, quæ licet aliquando benedicat, effrænis tamen fertur aliàs ad maledicendum: Arbor enim mala non fert fructus bonos. Ergo decet regenitos simplicitatem sanctitatis in sermone sectari, & frænandæ linguæ operam dare.

Secunda pars.

Vers. 13. *Quis sapiens & scientia præditus* est *inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua, cum mansuetudine sapientiæ.*

Altera admonitio, in qua hortatur ad sapientiam, cum mansuetudine conjunctam, quæ malis linguæ & æmulationibus afferat remedium.

Propositio ponitur hoc versu, Si quis se prudentem Christianum vult ostendere, innocentiæ & mansuetudinis operibus id ostendere debet, Argumenta sunt sex.

Vers. 14. *Quòd si invidiam amaram habetis, & irritationem, in corde vestro, ne gloriamini, & ne mendaces estote adversus veritatem.*

Argumentum primum, Si quis omissâ mansuetudine, foveat in corde contraria vitia, æmulationem & contentionem, non est quod glorietur de tali sapientia, sed quod pudeat potius. Ergo sapientiæ mansuetæ studendum.

Mendaces] Arg. 2. Qui omissâ mansuetudine in cordibus fovent æmulationem & contentionem, mendaces sunt adversus veritatem, id est, falsò jactitant se omninò sapere, vel Christianos esse, qui operè se improbos demonstrant : Ergo sapientiæ cum mansuetudine junctæ studendum est.

Vers. 15. *Non est* enim *ista sapientia superne descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca.*

Arg. 3. Sapientia rixandi, invidendi, injurias privatas vindicandi, non est illa quæ cœlitus descendit à DEO, sed terrena, animalis, DIABOLICA, à corruptâ naturâ, & DIABOLO originem habens. Ergo sapientiæ mansuetæ studendum est.

Vers. 16. *Ubi enim invidia est & irritatio, ibi tumultuatio, & omne opus pravum.*

Arg. 4. confirmans superius, Ubi non est sapientia cum mansuetudine, sed invidia & contentio, ibi tumultus, seditiones, & omne scelus regnat. Ergo sapientiæ cum mansuetudine studendum est.

Vers. 17. *Quæ autem supernè est sapientia primum quidem pura est, deinde pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiæ & fructuum bonorum, absque dijudicatione, sine simulatione.*

Arg. 5. Ab octo proprietatibus cœlestis sapientiæ illius, quæ cum mansuetudine conjungitur, Sapientia cum mansuetudine conjuncta, 1. Pura & casta est, *i.* tenax veritatis & sanctitatis, ne quovis modo polluatur : 2. Pacifica, & abhorrens à contentionibus : 3. Æquitatis studiosa : 4. Facilè cedens rationi rectæ : 5. Plena misericordiâ erga errantes & peccantes : 6. Plena bonorum fructuum, nihil omittens eorum quæ bonum

bonum & pium virum decent: 7. Non inquirens in aliorum nævos fuspicioſè: 8. Sine ſimulatione, quâ carnalis ſapientia delectatur maximè. Ergo ſapientiæ cum manſuetudine junctæ ſtudendum eſt.

Verſ. 18. *Fructus autem juſtitiæ cum pace ſeritur his qui dant operam paci.*

Arg. 6. Qui huic ſapientiæ cum manſuetudine junctæ ſtudent, dum ſtudent pacem facere, ſeu pacifici eſſe ipſi: 1. In pace ſunt: 2. Juſtitiam operantur, ſeu ſanctitatem ſuam augent: 3. Sementem faciunt ſibi ipſis in tempus futurum, & in vitam æternam, ut fructum juſtitiæ metant tempore deſtinato: Ergo huic ſapientiæ ſtudendum eſt.

Caput Quartum.

Res hoc capite continentur admonitiones: Prima, ad curandum morbum carnalium cupiditatum, ad verſ. 11. *Secunda, ad diminutionem & læſionem famæ fratrum vitandam, ad* verſ. 13. *Tertia, ad corrigendum contemptum divinæ providentiæ, in negotiis & conſiliis exequendis.*

Verſ. 1. *UNde bella, & lites inter vos? nònne hinc, nimirum ex voluptatibus veſtris, quæ militant in membris veſtris.*

Quod ad primam attinet, Argumenta dehortationis à carnalibus cupiditatibus ſunt novem: ex quibus, ſex priora malum oſtendunt, tria poſtrema remedia continent.

Argumentum primum, Ex cupiditatibus, quæ intus in viſceribus inter ſe quaſi digladiantur, & militant adverſus ſalutem & corporis & animæ, oriuntur rixæ, contentiones, & bella inter homines, quales cupiditates ſunt avaritia, ambitio, libido, & ſimiles. Ergo ab iis cavendum eſt.

Verſ. 2. *Concupiſcitis, & non habetis: invidetis & ſtudioſè affectatis, nec poteſtis aſſequi: pugnatis & bellatis, non tamen obtinetis, propterea quòd non petitis.*

Arg. 2. Cupiditates fatigant vos laboribus inutilibus, cruciant veſtros animos, in diſcrimen vitæ multiplex impellunt, à DEO legitimiſque mediis, quibus aliquid obtinere potuiſſetis, avellunt: Ergo ab iis vobis cavendum eſt.

Vers. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, ut in voluptates vestras insumatis,*

Arg. 3. Si quando licitis & probatis mediis utimini: Exempli causa, In precatione ad DEUM, cupiditates sese pro fine precationum vestrarum obtrudentes, preces vestras, & omnia reliqua media vitiant, polluunt, & fructu omni vos privant. Ergo ab iis vobis cavendum est

Vers. 4. *Adulteri & adulteræ, nescitis amicitiam mundi, inimicitiam esse cum Deo? Quicunque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.*

Arg. 4. Cupiditates amorem hujus mundi in vobis excitantes, in spirituale adulterium animas vestras pertrahunt, adulteroseque, & adulteras reddunt vos, qui spirituali connubio DEO consecrati estis. Ergo ab iis cavendum.

Quicunque] Arg. 5. Carnales cupiditates internæ dum vos in amorem & amicitiam hujus mundi trahunt, conjiciunt in odium & inimicitias DEI; siquidem quicunque sibi placere in animum induxerit, vel mundanis hominibus ipsorum moribus se conformando gratum facere statuerit, bellum adversus DEUM suscipit, & militat in adversariis castris. Ergo ab iis vobis cavendum est.

Vers. 5. *An putatis Scripturam inaniter dicere, Ad invidiam fertur spiritus qui habitat in nobis?*

Arg. 6. confirmans superius, Spiritus ille veteris hominis, (unde omnes carnales cupiditates excitantur) qui per naturam habitat in nobis, naturali suo impetu, & DIABOLI impulsu, fertur in invidiam seu odium, & DEI & proximi, sicut non frustrà multis in locis docet Scriptura, de corrupta hominis natura, loquens. Sequitur ergo amicos mundi, inservientes cupiditatibus carnis esse, inimicos DEI, & cupiditates etiam illas carnales à pravo spiritu ortum ducere.

Vers. 6. *Sed majorem offert gratiam, quia dicit, Deus superbis resistit, modestis autem dat gratiam.*

Arg. 7. DEUS jam, (postquam scilicet renati & conversi estis ad fidem CHRISTI) dat majorem gratiam quam ut veteri inhabitante spiritu feramini in invidiam, seu odium DEI & proximi. Quod probat ex Scriptura, docente, quod sicut DEUS irregenitis, superbis, & veteri Spiritu actis, resistit, & se opponit adversarium: sic etiam regenitis

nitis resipiscentibus, & humilibus dat gratiam & auxilium, ut cupiditates carnales possint cohibere. Ergo carnales cupiditates vobis sunt fugiendæ. Hoc primum adversus carnales cupiditates remedium est.

Vers. 7 *Subjicite igitur vos* DEO, *resistite* Diabolo, *& fugiet à vobis.*

Arg. 8. Hortationis modo propositum, Si ut regenitos decet, amicitiam DEI ambiatis, & humiliati vos DEO regendos subjiciatis, & Diabolo resistatis, qui ducit agmen carnalium cupiditatum adversus animas vestras militantium, futurum est, ut Diabolus dux cupiditatum in fugam conjiciatur, atque ita cupiditates ei militantes dissipentur: Ergo carnales cupiditates vobis cohibendæ sunt: Hoc alterum est remedium.

Vers. 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: emundate manus*, vos *peccatores*: *& purificate corda*, vos *duplices animo.*

Arg. 9. hortationis modo propositum; Si resipueritis, & ad DEUM (ut fideles decet) accesseritis, implorantes ejus auxilium, DEUS appropinquaturus est vobis, & auxilium vobis laturus in hac pugna adversus cupiditates vestras, & in omnibus aliis necessitatibus, Ergo utendum est hoc remedio contra carnales cupiditates, quod tertium est remedium.

Purificate] Prosequitur hoc remedium specialius, hortando ut agnoscentes se peccatores esse, studeant manuum seu actionum suarum puritati: & agnoscentes se hypocritas per naturam esse, studeant puritati cordis.

Vers. 9 *Affligimini & lugete, & flete: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.*

Prosequitur adhuc specialiùs hortationem ad resipiscentiam, præscribendo exercitia resipiscentiæ externa, jejunium, fletum, & reliqua quæ minimè fucatam resipiscentiam ostendant, & quæ reipsâ carnales cupiditates mortificent.

Vers. 10. *Summittite vos in conspectu Domini, & extollet vos.*

Denique, ne in externis exercitiis acquiescant, exhortationem ad humilitatem inculcat, additâ promissione de exaltatione gratiosa, in qua victoriam adversus omnes hostes, & insuper gaudium & gloriam reportaturi sint.

Secunda

Secunda pars Capitis.

Vers. 11. *Ne alii adversus alios loquimini, fratres: qui loquitur contra fratrem, quique damnat fratrem suum, loquitur contra Legem, & damnat Legem: quòd si damnas Legem, non es observator Legis, sed judex.*

Specialis hortatio de cohibenda libidine detrahendi famæ fratris: Argumenta dehortationis sunt quinque.

Obloquitur] Argumentum primum, Qui *detrahit* famæ fratris sui; judicat eum, & damnat eum: quia talem eum pronunciat ac si judex esset: Ergo non detrahendum famæ fratrum.

Damnat] Arg. 2. Qui detrahit fratris famæ, & judicat fratrem seu condemnat eum, etiam detrahit legi, & judicat, seu condemnat legem. Ratio est, Quia lex, temeraria judicia & obloquutiones prohibet & damnat: detractor verò contrà, ipso facto dum detrahit aliorum famæ, actionem illam probat quasi bonam, & sic contraria legi loquitur & facit, legemque nec bonam nec dignam cui obtemperetur, pronunciat.

Observator] Arg. 3. Quia qui fratri detrahit, non est obediens legis observator, sed legis & violator, & condemnator, ut patet ex superioribus: Ergo non detrahendum famæ fratris.

Vers. 12, *Unus est Legislator qui potest servare & perdere: tu quis es qui judicas alium?*

Arg. 4. Pertinet ad unum Deum Judicis partes exercere, quid est ergo homuncio, qui partes Judicis Dei non datas invadat.

Solus] Arg. 5. Deus solus, ut potest servare, si detractor resipuerit, ita & etiam perdere, nisi de hoc & aliis peccatis resipiscendo, Dei admonitionibus obtemperaverit. Non igitur indulgendum huic peccato.

Tertia pars.

Vers. 13 *Agè nunc qui dicitis, Hodie vel cras ibimus in illam urbem, & agemus ibi annum unum, & mercabimur, & lucrabimur:*

Tertia admonitio ad mercatores potissimùm, de corrigendo socordi Divinæ providentiæ neglectu in negotiis suscipiendis. Peccati hujus ipsos convincit ex dictis μιμησικῶς propositis. Argumenta hortationis sunt sex.

Argumentum

Argumentum primum, In formula citationis ad Tribunal DEI continetur, *Agè*, &c. Quasi diceret, hic profanus & impius deliberandi modus, qui DEI providentiam non agnoscit, nec potest ferre examen DEI, nec hominum rectè judicantium, quasi enim vos Domini estis vitæ vestræ, & virium vestrarum, & successus laborum vestrorum, ita loquimini, non audetis hunc morem coram DEO defendere. Ergo propter hujusmodi loquendi formulas à vobis usurpatas, profanitatis rei tenemini.

Vers. 14. *Qui ignoratis quid* futurum *sit postero die, quæ est enim vita vestra? vapor enim est qui ad exiguum* tempus *apparet, & deinde evanescit.*

Arg. 2. Stolidè statuitis de futuro, cum ignoremus omnes quid die crastino futurum sit: Profanitatis ergo arguendi hîc estis.

Quid enim] Arg. 3. Oblivisciminii vestræ mortalitatis, & fragilitatis vitæ vestræ, quæ est instar vaporis, qui ad modicum tempus apparet, mox vento dissectus evanescit: Profanitatis ergo merito hîc arguendi estis.

Vers. 15. *Pro eo quod dicere debuistis, Si Dominus voluerit, & vivamus, faciemus hoc aut illud.*

Arg. 4. Non consideratis vobis pendendum esse à Divina voluntate, quæ rerum omnium est fons, regula & mensura: In quo Argumento simul remedium præscribit adversùs hoc malum, ut scilicet semper non tantum DEI voluntatem imperantem, seu revelatam (quæ, quid, & quomodo agendum sit nobis præscribit) sed etiam voluntatem DEI arcanam, gubernantem, & efficaciter operantem in nobis, & per nos, quid, & quantum, & quandiu vitam est ipsi serio agnoscamus: cujus voluntati nos actiones nostras, & earum successum, & vitam ipsam nostram submittere debemus, in corde semper considerantes nos sine DEI voluntate efficaci nihil posse: & ut formulis hujusmodi assuescamus. (*Si Deus voluerit*, Si *vitam*, reliquaque ad actionem necessaria suppeditaverit) Quantum ad DEI gloriam satis est: Nam non injicit Apostolus religionem externorum verborum, quasi nunquam has formulas omittere fas esset, sed continuam Divinæ providentiæ in corde agnitionem requirit, & externam in verbis professionem talem, quæ à profanis nos distinguat.

Vers. 16. *Nunc autem gloriamini de arrogantia vestra: omnis ejusmodi gloriatio, mala est.*

Arg. 5. Admoniti defenditis hunc profanum loquendi modum, & quasi gloriamini in vanâ vestra jactantia, per quam stuporem cordis impium proditis apertè.

Vers. 17. *Igitur qui noverit rectè facere, nec facit, hic peccato tenetur.*

Arg. 6. Per occupationem objectionis, Si omnia vestra negotia Divinæ providentiæ committenda esse scitis, & tamen non tantum contra facitis, sed etiam ne sanctis quidem loquendi formulis in externo sermone providentiam DEI agnoscitis, nonne quantò magis officium vestrum scitis, tantò graviorem reatum, & pœnam vobis accersitis?

Caput Quintum.

Quinque hoc capite continentur admonitiones: Prima, ad divites dirigitur, de imminente in illos Dei ira, ad vers. 7. *Altera admonitio est pauperum ad patientiam, ad* vers. 11. *Tertia admonitio est omnium, ne temerè jurent, ad* vers. 13. *Quarta est ad afflictos & ægrotos, ad* vers. 19. *Ultima est ad omnes, ut errantes in viam revocent,* vers. 19, 20.

Vers. 1. *AGite nunc divites, flete, ululantes super miseriis vestris superventuris.*

Admonitio prima ad divites abutentes divitiis suis, quâ excitat eos ad seriam conditionis suæ considerationem, iisque luctus & lachrymarum causas exponit novem. Prima, Quia miseriæ multæ vobis imminent, & brevi supervenient.

Vers. 2. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra obnoxia tineis facta sunt.*

Causa 2. Perditè avari estis, qui nec divitiarum usum fructum ipsi habetis, nec aliis conceditis, sed malletis corrumpi apud vos divitias vestras, quam de iis in pauperum usus quicquam erogare.

Vestimenta] Causa 3. Jam incepit DEI vindicta quasi lepra depascere vestrum idolum mammona, ut apparet in putredine, tineis, ærugine, quæ tanquam lictores à DEO missi jam invaserunt inutiles vestras opes.

Vers. 3.

Vers. 3. *Aurum & argentum vestrum ærugine vitiatum est: & ærugo eorum testabitur adversus vos, & exedet carnes vestras velut ignis: thesaurum congessistis in ultimos dies.*

Causa 4. Jam parantur adversùs vos testes, ærugo, tineæ, & putredo, quæ vobis convincendis & condemnandis, de abusu divitiarum in die judicii sufficient.

Exedet] Causa 5. Vertendi sunt hi testes in tortores post Judicium extremum, quando cremandi estis in inferno, in quo animæ vestræ, infelices, & corpora cruciatibus exedenda erunt, tanquam igne.

Thesaurum] Causa 6. Cum putatis vos in senectam & posterorum usus thesauros congessisse, iræ thesauros congessistis in ultimum diem, quando revelanda est DEI vindicta in omnes injustos.

Vers. 4. *Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, à vobis intercepta, clamat: & clamores eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.*

Causa 7. Crudeliter defraudastis operarios mercede suâ, quarum injuriarum vox ascendit ad DEUM Judicem, qui exercitus Cœli & Terræ in vindictam paratos habet, & pro meritis vos tractaturus est.

Vers. 5. *In deliciis vixistis super terram, & lasciviistis: enutristis corda vestra ut in die mactationis.*

Causa 8. Luxuriosi estis epulones, voluptatibus securè indulgentes, quasi dies singuli essent dies festivitatis, seu mactationis, quibus ad convivia mactari solent pecudes.

Vers. 6. *Condemnastis, occidistis justum: non resistit vobis.*

Causa 9. Quia injustè & crudeliter curatis condemnandos in judiciis, & occidendos innocentes & impotentes, qui vobis resistere non potuerunt. Ergo justas causas habetis flendi & ejulandi super ærumnis in vos propediem venturis.

Vers. 7. *Patientes igitur estote, fratres, usque ad Domini adventum. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter eum expectans, dum accipiat pluviam matutinam & serotinam.*

Admonitio 2. ad pios oppressos, ut patienter tolerent injurias Divitum improborum. Argumenta hortationis sunt octo. *Usque ad*] Argumentum primum, Adventus DOMINI terminus erit afflictionum,

offerens vindictam in adversarios, & consolationem afflictis. Patientes ergo estote.

Agricola] Arg. 2. Agricola moram longam inter sementem & messem; inter pluviam matutinam, quæ cadit post semen jactum, & serotinam, quæ cadit sub tempus messis, patienter tolerat spe messis seu pretiosi fructus terræ. Ergo vos decet patienter tolerare moram, usque in adventum DOMINI sub spe fructus patientiæ, seu liberationis è cœlo venturæ.

Vers. 8 *Patientes estote & vos, & stabilite corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquat.*

Arg. 3. Propinquus est Domini adventus, ad uniuscujusque solutionem ex hoc tabernaculo: & breve est tempus ad ultimum judicium si comparetur vel cum tempore elapso, vel cum vitâ æternâ futurâ, Obfirmanda ergo vobis sunt corda, & per fidem stabilienda, ut patienter moram feratis.

Vers. 9. *Ne ingemiscite alius adversus alium, fratres: ut ne condemnemini: ecce, judex ante januam adstat.*

Arg. 4. per modum hortationis propositum, Patienter ferendæ vobis sunt injuriæ, etiam ab iis qui intra Ecclesiam sunt, sine murmuratione, alius adversùs alium. Ergo multò magis ferendæ sunt patienter injuriæ ab impiis Divitibus vobis illatæ.

Ut non] Confirmat hoc argumentum, Quia alioqui metuendum, ne & vos ipsi culpæ alicujus rei condemnemini à DEO Judice, qui præ foribus stat, paratus ad judicandum, si vel acculatoriè quidem ingemiscatis, alius adversùs alium.

Vers. 10. *Sumite, fratres mei, pro exemplari afflictionis ac patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini.*

Arg. 5. Etiam Prophetæ, DEI legati ad Ecclesiam, injurias ab impiis patienter passi sunt. Ergo & vos patienter decet pati.

Vers. 11. *Ecce, beatos pronuntiamus eos qui* afflictionem *sustinent. Tolerantiam Job audistis, & finem Domini vidistis: nam valdè misericors est Dominus ac commiserans.*

Arg. 6 Patienter ferentes injurias beatos prædicamus. Ergo & vos patientes estote. *Job*] Arg. 7. Sicut Job non tantùm afflictiones ab hostibus patienter tulit, sed etiam amicorum injurias summas, & tandem lætum exitum ex malis invenit, Sic vobis patienter ferentibus injurias lætus expectandus est exitus.

Abundat]

Abundat] Arg. 8. confirmans superius, Deus erga afflictos, potissimùm injustè vexatos ab hominibus est valdè misericors, & ad dandam veniam pro sua misericordia propensus, propterea quod ipsorum malis afficiatur: Ergo patienter ferendæ vobis sunt injuriæ.

Vers. 12. *Ante omnia autem, fratres mei, ne jurate neque per cœlum, neque per terram, neque aliud ullud jusjurandum: sit autem vestrum est, est, & non, non, ne in condemnationem incidatis.*

Admonitio 3. De non temere jurando, à quo vitio specialiter, & *ante omnia* cavere jubet, quia specialiter in decalogo vetitum est: & Hebræis videtur nimis familiare fuisse; & ne ambagibus se deluderent, vetat per creaturas jurare, quæ vel in Cælo vel in Terra sunt. Rationes addit duas.

Sit sermo] Ratio prima, Quia sufficit vera affirmatio, & vera negatio in quotidiano sermone: si quid supra sit, nisi vobis caveatis, peccabitis.

Vllum] Ratio 2. Quia alioqui incidetis in Dei judicium, & condemnationem, sicut in lege comminatur Deus.

Vers. 13. *Affligitur aliquis inter vos? oret, æquo animo est aliquis? psallat.*

Admonitio 4. De ratione rectè gerendi se in adversis & prosperis; specialiter verò in morbo. Hujus quatuor sunt membra: 1. De ægris animo, ob aliquam afflictionem, ut Deum orent, hoc est, ut in Deum suam solicitudinem exonerent: 2. Membrum de hilaribus animo, ne securitate diffluant, & Dei obliviscantur, sed hilaritatem animi convertant in laudes Dei, & gratiarum actionem, hoc est, ut spirituali aliquo exercitio foveant εὐθυμίαν, ne lætitia ipsorum degeneret in carnalem lasciviam.

Vers. 14. *Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Tertium membrum de ægris corpore, ut antequam ad medicos confugiant, convertant se ad Deum, & Ministros Ecclesiæ advocent, qui in ipsis resipiscentiam, fidem & consolationem excitare & fovere poterint: Deinde ut Presbyteri orent Deum pro ægroto Tertio, ut si quis inter Presbyteros cujuscunque ordinis, donum sanationis habeat, (quod in Ecclesiâ temporibus Apostolorum vigebat,) nomine & autoritate Domini Iesu Christi, qui hoc donum dedit, utatur dono, & exemplo discipulorum Christi, qui *Marc.* 6. 13. potestate à Christo acceptâ

acceptâ, unxerunt oleo multos ægrotos, & sanarunt eos) ungat ægrotum illum, de cujus sanitate restituenda Spiritus Sanctus certiorem eum reddiderit: Nam certum est Presbyteros qui dono sanationis prædíti erant, non unxisse quoslibet ægrotos, sed eos tantùm, de quorum sanitate restituenda certiores reddebantur à Spiritu Sancto.

Vers. 15. *Et oratio fidei servabit laborantem, erigetque eum Dominus: quòd si peccata commiserit, remittentur ei.*

Hujus unctionis & orationis, duplicem effectum sequuturum docet: 1. Si is qui donum sanationis miraculosæ, speciali revelatione fidem habens de successu, oraverit, oratio hæc à fide hujusmodi proveniens, servabit ægrotum à corporali morbo: Nam Dominus, inquit, restituet ei sanitatem, & eriget eum: Alter effectus, Si specialia aliqua peccata ægroti morbum attraxerunt, Deus rogatus ab ægroto, & Presbyteris ea remissurus est.

Vers. 16. *Confitemini alii aliis offensas, & orate alii pro aliis, ut sanemini. multum* enim *valet deprecatio justi efficax.*

Quartum membrum admonitionis, de mutuò se juvandis in conscientiæ vulneribus & oneribus, ut sive admoniti à fratribus de peccatis, sive intus onere peccati vexati, confiterentur alii aliis peccata, & orarent alii pro aliis, mutuò alii alios sublevantes & consilio & oratione apud Deum, ut sanarentur. Rationes hujus membri sunt quatuor.

Vt sanemini] Ratio prima, Quia sic sanari poterant vulnera conscientiæ, & errores vitæ, quibus tanquam morbis laborabant.

Magna] Ratio 2. Quia oratio ardens, seu excitata ex fide & dilectione justi, seu hominis vere fidelis, multùm conducit, ut speciale medium à Deo sanctificatum, ad obtinenda bona quæ nobis sunt necessaria.

Vers. 17. *Elias homo erat iisdem quibus nos obnoxius, & precibus precatus est ne plueret: & non pluit super terram annos tres & sex menses:*

Vers. 18 *Et rursum precatus est, & Cœlum dedit pluviam, & terra protulit fructum suum.*

Ratio 3. confirmans priorem, Quia Eliæ precatio efficax fuit, non idcirco quod alienus fuerit ab infirmitatibus & passionibus, quibus alii fideles obnoxii sunt, nam etiam ille fuit ὁμοιοπαθὴς, sed quia ardenter, ex fide, secundùm Dei voluntatem sibi revelatam, precatus est, ut clauderentur Cœli

Cœli & aperirentur. Ergo si vos oraveritis alius pro alio ardenter, valituræ erunt, inquit, & vestræ preces.

Vers. 19. *Fratres, si quis inter vos aberrarit à veritate, & converterit eum quispiam,*

Vers. 20. *Sciat eum qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturum animam à morte, & obtecturum multitudinem peccatorum.*

Ratio. 4. Quia si alii alios admonerent, & alii aliis peccata confiterentur, & precibus alius pro alio apud DEUM insisterent, & instrumenta DEI se præberent, ad cujuspiam errantis peccatoris conversionem: tum instrumenta etiam futuri essent servandi animam proximi sui à morte, ad quam errans properabat, & simul instrumenta futuri operiendi, & obtegendi multitudinem peccatorum fratris errantis: qui nisi resipuisset, peccata ipsius fuissent producenda in judicio DEI, ad condemnationem & mortem: quæ jam post admonitionem errantis, & resipiscentiam admoniti, obteguntur.

EXPOSITIO ANALYTICA *PRIORIS EPISTOLÆ* PETRI.

Summarium.

Epistolæ scopus est ut Hebræos per Gentes dispersos, & ad Christum conversos confirmaret in fide Christi, eosque excitaret ad perseverandum, & progressus faciendum in fide & vitæ sanctitate, secundùm uniuscujusque vocationem, ut apparet ex fine Epistolæ Cap 5. vers. 12. *In quem finem Gratiis actis Deo de ipsorum conversione, hortatur in genere ad sanctam conversationem, & charitatem mutuam exercendam.* Capite primo, & *priori parte* Capitis secundi. *Deinde descendit in specie ad officia, subditorum erga Magistratum; Servorum erga Dominos: ad mutua*

officia

officia Conjugum, & Fratrum in Christo; cum inter se, tum erga persequutores, reliquo Capite secundo, *&* Capite tertio, *&* Capite quarto. *Eandemque doctrinam prosequitur,* Capite quinto. *Presbyteros in Ecclesia, Juniores ætate, & cujusvis ordinis homines in officiis suis instruendo.*

Caput Primum.

Capitis duæ sunt partes, præter inscriptionem Epistolæ. In prima per modum gratiarum actionis de ipsorum conversione ad fidem, commendat veritatem doctrinæ Euangelii, seu gratiæ in qua stabant, & excellentiam conditionis ad quam evecti sunt per fidem, ut sic eos in fide confirmaret, ad vers. 13. *In secunda ex commemoratione spiritualium beneficiorum in Hebræos fideles collatorum, deducit hortationem ad studium pietatis in genere, &* φιλαδελφίαν *in specie.*

Vers. 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi, advenis dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam:*

Vers. 2. *Electis ex prænotione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus per obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi; gratia vobis & pax multiplicetur.*

In inscriptione primò describitur Petrus scriptor Epistolæ, ab officio Apostolatus, ut Epistolæ huic sua constaret autoritas: Deinde describuntur Hebræi ad quos scribitur, Primò ab externa conditione humili, quod *peregrini* fuerint *dispersi* per regiones nominatas, non exclusis reliquis qui alibi degebant. Secundò, ab interno spirituali & excellenti statu, quod nimirum fuerint *electi, prægnoniti, sanctificati, participes obedientiæ, & aspersionis sanguinis Iesu Christi.* Nam eligi per sanctificationem Spiritus ad obedientiam, & aspersionem Iesu Christi, est eligi ut per viam sanctificationis perveniamus ad plenam participationem fructuum obedientiæ Christi, & aspersionis sanguinis ejus, seu imputatæ nobis justitiæ Christi, Patri suo pro nobis obedientis facti, usque ad mortem crucis: Atque ita excellentis conditionis fidelium Hebræorum, seu status nostri spiritualis, causæ ponuntur quatuor: Prima est electio Dei Patris, cui prehendens & electionem illam *æternam*, quâ Deus ab æterno illos præ aliis segregatos voluit ad salutem obtinendam in Christo: & illam *temporalem*, qua per efficacem vocationem Deus

nem Deus actu illos segregavit ab aliis. Altera causa est *Prænotio* Dei, per quam intelligit actum Divinæ prædilectionis, quo in se statuit, seu voluit ex mero suo beneplacito omnibus suis ovibus, & illis nominatim, benefacere. Causa tertia est *sanctificatio Spiritus*, per quam intelligitur totus progressus commutationis spiritualis status nostri à conversionis initio ad perfectam usque sanctitatem, & gloriam. Quarta causa est *obedientia* Christi, & *aspersio* sanguinis ipsius: per quas intelligitur justitia Christi activa & passiva (ut nonnulli distingunt) imò totum opus Redemptionis unà cum ejus applicatione ad justificationem ipsorum & reconciliationem erga Deum: quæ causæ salutis illustrantur, nominando tres personas Divinas, quibus distinctè quidem, sed absque divisione, seu separatione personarum, causæ illæ ascribuntur eo ordine, quo personarum distinctionem, gratiam, virtutem, & operandi ordinem possemus facillimè percipere: Nam Deo Patri ascribitur Prænotio & Electio, ut fonti felicitatis nostræ. Christo, Reconciliatio ut Mediatori promerenti, & mercanti felicitatem illam: & Spiritui Sancto, ut exequutori applicanti eam nobis. Atque ita justitiæ & salutis nostræ causæ, Scaturigo, Impetratio, & Applicato in solidum ponuntur in solo beneplacito unius Dei, ex gratia mera nos eligentis. Unde fluit efficax vocatio nostri, & vera sanctificatio, ut certus fructus electionis: Medium verò illud unicum quo electionis vis & efficacia ad sanctificationem & salutem nostram derivatur ad nos, ponitur *mediatio* Christi, seu reconciliatio nostri facta in Christo. In benedictione seu voto *salutatorio* optat incrementum, & multiplicationem effectorum Divini favoris erga eos in omnibus, quæ ipsorum sanctificationem & salutem complere possent.

Vers. 3. *Benedictus Deus & Pater, Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*

Prima pars Capitis, in qua ut confirmet eos in fide & gratia Christi in qua stabant, gratias agit Deo ut Patri Iesu Christi, pro spiritualibus beneficiis concessis in Christo, illis in hoc statu gratiæ collocatis. Rationes gratiarum actionis, & simul fidei confirmationis sunt sedecim, quæ omnes probant debere eos Deo benedicere, & in fide confirmari.

Nos] Ratio prima, Deus non minùs vos quam reliquos Sanctos, imò non minùs quam ipsos etiam Apostolos, regeneravit. Ergo debetis Deo benedicere, & in fide corroborari.

Pater] Ratio 2. Regeneravit vos ut DEUS, & PATER Domini nostri IESU CHRISTI, id est, regenerando ascivit vos in societatem fœderis CHRISTI, & in societatem filiationis CHRISTI per adoptionem recepit. Ergo debetis, *&c.*

Multa] Ratio 3. Ex multa sua misericordia regeneravit vos, id est, non modo nullis meritis inductus, sed etiam nulla vestrâ indignitate, nullis malis vestris meritis impeditus, regenerationis beneficium vobis concessit. Ergo debetis DEO benedicere, & in fide corroborari.

In spem] Ratio 4 DEUS ad vitæ æternæ spem certam, vivificam, operibus vitæ spiritualis se exerentem regeneravit vos. Ergo, *&c.*

Per] Ratio 5. DEUS vestræ spei vivacem certitudinem fundavit solidè in CHRISTI resurrectione ex mortuis, quæ est & causa & pignus vestræ resurrectionis ex mortuis. Ergo debetis, *&c.*

Vers. 4. *In hæreditatem quæ nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in Cœlis servatam:*

Ratio 6. DEUS regeneravit vos ad vitam æternam, quæ gratis vobis concedenda est, ex testamento PATRIS vestri, ut hæreditas nullis vestris meritis parta, & quæ non terrena, sed cœlestis, incorruptibilis, incontaminabilis, immarcessibilis est, omnes possessiones mundanas, & ipsam etiam conditionem vitæ quam habuit Adam innocens, antecellens: utpote quæ nulli mutationi obnoxia est, & cui nihil ad summam perfectionem deest. Ergo debetis DEO benedicere, & in fide corroborari.

Vers. 5 *Qui virtute Dei custodimur per fidem, ad salutem quæ parata est patefieri tempore ultimo.*

Ratio 7. DEUS regenitos perseverantia donavit, donumque stabilivit, tanquam præsidio armato vos custodiens ad salutem, & fidem vestram sustinens, ne deficiatis à via salutis, idque firmissimo decreto suo, quo & salutem istam vobis præparavit, & certum etiam tempus constituit ad eam communicandam, nempe diem judicii. Ergo debetis DEO benedicere, & in fide corroborari.

Vers. 6. *Qua in re exultatis, tristitia paululum nunc (si opus est) in variis tentationibus affecti:*

Vers. 7. *Ut exploratio fidei vestræ multo pretiosior* exploratione *auri, quod perit, & tamen per ignem exploratur, comperiatur* vobis

tur vobis esse *Laudi & Gloriæ & Honori, quum patefiet IESVS CHRISTVS,*

Ratio 8. Conditio fidei & gratiæ CHRISTI in qua statis, solida est vobis materia gaudii & exultationis.

Nunc si] Ratio 9. Gratia in qua statis vobis ministrat gaudium, etiam cum variis afflictionibus agitati, aliquando ad tristitiam gravamini, solida consolationis argumenta suppeditans vobis: qualia sunt hæc quatuor; 1. Brevitas afflictionum: 2. Intermissio afflictionum: 3. Et necessitas earum, Nam *Tristitia effecti estis ad exiguum tempus, nunc si oportet.* 4. Utilitas afflictionum, quæ est exploratio & purgatio fidei ut purior evadat, tanquam aurum probatum ad laudem, honorem, & gloriam vestram, quibus CHRISTUS vos omnes probatæ fidei sanctos, in adventu suo ornabit. Ergo debetis, *&c.*

Vers. 8. *Quem quum non videritis, diligitis: quem quum nunc non cernatis,* ei *tamen credentes, exultatis gaudio & ineffabili & glorioso:*

Ratio 10. Gratia in qua statis supra sensum tollit vestros animos, ad spiritualem contemplationem, & dilectionem CHRISTI suavissimam: Ergo. *In quem*] Ratio 11. Etiamsi nec priùs videritis CHRISTUM, nec jam cernatis, fides tamen in qua statis, efficit ut exultetis *gaudio ineffabili & glorioso,* quod superat omnem explicationem verborum nostrorum, & captum etiam nostrum, & de quo si jam gloriamini, posteà vos nunquam pudebit. Ergo.

Vers. 9. *Reportantes mercedem fidei vestræ salutem animarum.*

Ratio 12. confirmans priorem, Per fidem in quâ statis, etiam in hâc vitâ percipitis fructum, mercedem, & finem fidei vestræ, inchoatam scilicet felicitatem animarum vestrarum, in mediis corporum vestrorum afflictionibus. Ergo debetis, *&c.*

Vers. 10. *De qua salute inquisierunt, & quam scrutati sunt Prophetæ, qui* venturam *in vos gratiam prædixerunt:*

Ratio 13. à Testimonio prophetarum, Hæc gratia in qua statis, est illa ipsa salus de qua Prophetæ omnes olim prophetarunt, nostris his temporibus venturâ. Ergo debetis, *&c.*

Vers. 11. *Scrutantes in quem aut cujusmodi temporis articulum prænuntius ille qui in ipsis* erat *Spiritus Christi, declararet*

eventuras *Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam.*

Confirmat certitudinem hujus testimonii, ex his quatuor, Primum, Quod non solùm Prophetæ prædixerint de salute hac venturâ, sed etiam in hanc gratiam & salutem diligentissimè inquisiverint, eamque scrutati sint, ut prædicerent nobis: Secundum, Quod non solùm scrutati sint de gratia Euangelii revelanda, sed etiam de articulo temporis, quo esset revelanda. Tertium, Quod non pependerint ex incertis conjecturis in hoc scrutinio, sed SPIRITUM CHRISTI, omnium rerum præscium & prænuntium, (qui in ipsis fuit modo extraordinario præsens) consuluerint. Quartum, Quia doctrina salutis Prophetarum temporibus & nostris eadem fuit, & summatim comprehenditur humiliatione seu perpessionibus CHRISTI: & exaltatione seu gloriâ consequuturâ in effectis perpessionum CHRISTI: Ergo debetis hoc nomine DEO benedicere, & in sanctâ fide vestrâ corroborari.

Vers. 12 *Quibus patefactum est eos non sibi sed nobis ea administrare, quæ nunc annunciata sunt vobis per eos qui vobis prædicarunt Euangelium per emissum è Cœlo Spiritum sanctum, in quæ desiderant angeli introspicere.*

Ipsum testimonium proponitur in responsione Spiritus: quæ responsio exhibet Rationem 14, à Prærogativâ Fidelium post CHRISTUM exhibitum supra sortem Prophetarum, quibus patefactum est, Quod etiamsi fructum fidei nobiscum essent percepturi, complementum tamen & finem Prophetiarum suarum non essent ipsi visuri, sed nos qui post CHRISTUM exhibitum nati sumus; quibus Prophetiæ pronunciatæ sunt in eum finem, ut conferentes prædicationem cum complemento, confirmaremur in fide. Ergo debetis DEO benedicere, & in fide corroborari.

Per eos] Ratio 15. Quæ Prophetæ prophetabant per prænuncium CHRISTI Spiritum in ipsis loquentem, Apostoli enunciarunt vobis per emissum è Cœlo SPIRITUM Sanctum. Ergo certi esse poteritis quod hæc sit vera gratia in qua statis, eoque nomine DEO debetis benedicere.

Angeli Ratio 16. Fidei & gratiæ in qua statis tanta est præstantia, ut Angeli etiam ipsi cœlestes in eam cupiant introspicere; partim ut in eam porro inquirant, partim ut in eâ perspectâ se magis oblectent admirantes gloriam DEI in gratiâ fidelibus datâ. Ergo in fide corroborari debetis & DEO benedicere. Hic autem alludit ad typum duorum Cherubim, qui arcæ fœderis insistentes, facies suas versùs operculum illius convertebant

vertebant, tanquam introspicere desiderantes. Quo præter alia significabatur dignum esse Mysterium Incarnationis Filii Dei & Redemptionis hominum, in quo contemplando cum admiratione occupari possent ipsi Angeli.

Secunda pars Capitis.

Vers. 13. *Quapropter succincti lumbis mentis vestræ, sobrii, integrè sperate in eam quæ ad vos defertur gratiam in patefactione Jesu Christi.*

Altera pars Capitis, In qua ex commemoratione Spiritualium beneficiorum, & demonstratione veritatis gratiæ in qua stabant, deducit hortationem ad studium pietatis, & ad pergendum in gratia Dei. Hortationis membra sunt tria: Primum, ut sicut illi qui vel iter facturi, vel operis aliquid aggressuri sunt, quo expeditiores sint, lumbos succingunt: Ita illi succingant lumbos mentis, id est, refrænent ac restringant mentes suas ab omni cupiditate, quâ impediri possent, ne expeditè & liberè Deo servirent: Membrum 2. Ut sint sobrii, non solùm cavantes intemperantiam cibi & potus, sed etiam omnem immoderatum rerum delectabilium usum: Membrum 3. Ut firmiter & constanter sperent, & expectent illam gratiam, quæ jam revelatur, & porro plenè revelabitur in adventu Christi. In qua hortatione totus fidei & sanctitatis cursus comprehenditur. Argumenta hortationis sunt tredecim, quæ omnia probant in pietate & fide doctrinæ de gratiâ pergendum esse.

Quapropter] Argumentum primum, Ex connexione hortationis cum præcedente doctrina, expressa in voce *quapropter*. Ex consideratione gratiæ in qua statis & beneficiorum spiritualium per fidem Christi concessorum vobis, excitari debetis ad omne studium pietatis. Ergo in pietate & gratia in qua statis constanti professione pergendum est.

Revelabitur] Arg. 2 Gratia jam manifestata, & quæ tandem plenè manifestanda est in appropinquante Christi adventu, vos excitare debet ad pietatem colendam & Dei gratiam retinendam. Ergo, *&c.*

Vers. 14. *Ut filii obedientes, qui vos non conformetis priscis quæ in ignorantia vestra* viguerunt *cupiditatibus:*

Arg. 3. Jure adoptionis ut filii obedientes, pietatis studium & gratiæ professionem prosequi tenemini. Ergo.

Non configuretis] Arg 4. Cum filiorum obedientiâ consistere non potest, ut

test, ut pristinis cupiditatibus, quæ in vobis ante conversionem regnabant, vos conformetis: Ergo pietati & DEI gratiæ retinendæ oportet studere.

Vers. 15. *Sed sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini.*

Vers. 16. *Propterea scriptum est sancti estote: nam ego sanctus sum.*

Arg. 5. Sanctæ vocationi respondere debetis in omnis generis conversatione sanctâ: Pergendum ergo.

Sicut] Arg. 6. confirmans superius, Similitudinem in sanctitate intercedere decet inter vos, & DEUM sanctum qui vos vocavit. Conformitati ergo huic studendum est. Hoc argumentum confirmat testimonio Scripturæ, *Levit.* 11. 44. *Math* 5. 17.

Vers. 17. *Itaque si patrem cognominatis eum qui citra personarum respectum judicat ex cujusque opere, cum timore versamini commorationis vestræ tempore:*

Arg. 7. DEUS est judex operum uniuscujusque, & severius exigit sanctitatem ab iis qui appropinquant ad eum, & cognominant ipsum Patrem suum. Ergo in DEI timore transigendum est tempus commorationis vestræ in hac vitâ.

Vers. 18 *Ut qui sciatis vos non caducis* rebus, *argento vel auro, fuisse redemptos ex vana vestra conversatione, ex patrum traditionibus acceptâ:*

Arg. 8 Redempti estis ab omni vana conversatione in legalibus purificationibus illis à re significata separatis, & in traditionibus humanis positâ, quæ nullius est pretii, quamvis Patrum nostrorum exemplo, & traditione vobis commendetur: Ergo nisi redemptionem frustraneam reddere velletis, pietati veræ studendum, & vanæ conversationi renunciandum vobis est.

Redempti] Arg. 9. Per redemptionem emptitii servi DEI estis, ut non ex vestra vel mundi, vel DIABOLI voluntate amplius vivatis, sed ex arbitrio redemptoris: Ergo in fide & obedientia CHRISTI vivendum est.

Vers. 19. *Sed pretioso sanguine, utpote agni immaculati & incontaminati,* nempe *Christi:*

Arg. 10. Sanguis morientis CHRISTI filii DEI, per agnum typicum repræsentati, tantæ est præstantiæ, ut pretiosissima, quæque in hoc mundo longè

do longè superet: Ergo in Gratia CHRISTI standum, & sanctitati studendum est, nisi vellètis hoc pretium vilipendere.

Vers. 20. *Præordinati quidem ante jacta mundi fundamenta, patefacti verò ultimis temporibus propter vos,*

Arg. 11. Quamvis CHRISTUS ab æterno præordinatus fuerit ad opus redemptionis, non tamen nisi ultimis his temporibus manifestatus est, idque præcipuè vestrâ causâ, qui veluti perditæ oves Israelis estis. Ergo vos maximè tenemini per Sanctitatis studium DEUM glorificare.

Vers. 21. *Qui per eum creditis DEO, qui excitavit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo esset.*

Arg. 12. Non tantùm in bonum vestrum, qui fideles estis, manifestatus est CHRISTUS, sed etiam per CHRISTUM, seu CHRISTI meritum, & operationem, fides ipsa quâ creditis in DEUM impetrata, & producta est in vobis. Ergo æquum est ut DEO in sanctitate vivatis.

Suscitavit] DEUS suscitando CHRISTUM Redemptorem à mortuis, & glorificando eum eâ gloriâ quam habebat apud DEUM, ab æterno, demonstravit vobis & toti mundo CHRISTUM verè Filium DEI, seu verè DEUM esse. Ut fides vestra quâ creditis in CHRISTUM, compereretur esse *fides in Deum*; atque ita soliditas vestræ fidei innotesceret vobis, in vestram majorem consolationem & gloriam. Ergo vos fideles Hebræi, qui post CHRISTUM resuscitatum vivitis: Tenemini tantò magis in fidei & sanctitatis studio, ut DEO placeatis studere.

Vers. 22. *Animabus vestris purificatis, auscultando veritati per Spiritum, cum charitate fraterna, simulationis expertè ex puro corde alii alios diligite impensè.*

Secunda hortatio specialior ad charitatem fraternam inter se colendam, ut se mutuo diligant. Hujus hortationis membra sunt tria. Membrum primum, ut impensè diligant non frigidè, non remissè, quasi parati essent, etiam exiguam ob causam, odisse: 2. Ut puro corde diligant, alii aliorum bono studentes, non privatis commodis tantùm inhiantes. 3. Ut sine hypocrisi φιλαδελφίαν sequantur, diligentes non verbo & lingua tantùm, sed opere dilectionem ostendentes, sine fuco, sine dolo.

Animas] Argumenta hortationis sunt tria. Arg. 1. Præsupponendum est quod justificati per fidem, voto, proposito, & inchoato studio, per SPIRITUS Sancti virtutem, purificaveritis animas vestrs ad sinceram fratrum

trum dilectionem, in obedientia doctrinæ Euangelii. Ergo diligere alii alios debetis impensè.

Vers. 23. *Renati non ex semine corrnptibili, sed ex incorruptibili, per sermonem Dei vivi, & manentis in æternum.*

Arg. 2. Fraternitas hæc Fidelium præstantior est carnali illa, utpote quæ non ex naturali generatione, sed ex spirituali regeneratione orta sit, quæque dilectionem mutuam firmiorem & præstantiorem requirit: Ergo alii alios impensè diligere debetis.

Sermonem] Arg. 3: confirmans superius, Fraternitas hæc Fidelium, sicut oritur ab incorruptibili principio, ita nunquam interitura est. Siquidem sermo DEI qui semen est regenerationis nostræ, non est corruptibilis instar seminis naturalis generationis. Ergo impensè & constanter alii alios diligere debetis.

Vers. 24. *Nam omnis caro est ut gramen, & omnis gloria hominis ut flos graminis: exaruit gramen, & flos ejus decidit.*

Utramque partem comparationis confirmat testimonio Scripturæ; & primò corruptibilitatem seminis naturalis probat, ex *Isa.* 40. 6. qui pronunciat gloriam omnis carnis, & per consequens omnem relationem fraternitatis in carne fundatam, esse in genere corruptibilium.

Vers. 25. *Sed verbum Domini manet in æternum: hoc autem est verbum illud quod euangelizatum est vobis.*

Quod semen regenerationis sit incorruptibile, probat ejusdem *Isaiæ* testimonio, Quia Verbum DOMINI manet in æternum. Hoc autem de Verbo Euangelii dictum esse affirmat, uti res est, quia prædicatio veritatis de salute per CHRISTUM fidelibus concedendâ, efficax est ad vitam æternam fidelibus tribuendam & conservandam. Ergo est incorruptibile.

Caput Secundum.

Pergit hortari ad officia pietatis & sanctitatis. Hortationes hoc Capite habentur quatuor.

Vers. 1. *Proinde deposita omni malitia, & omni dolo, & simulationibus & invidentiis, & omnibus obtrectationibus.*

Hortatio

Hortatio prima est ad amorem & appetitionem Verbi Divini, quod nuper commendaverat. Hortationis membra sunt duo: Primum de cavendis & deponendis naturæ corruptæ familiaribus vitiis, quæ desiderium Verbi Divini possent vel extinguere, vel diminuere, qualia enumerat quinque, Quorum primum est *malitia*, quâ quis data opera nocet alteri: 2. *Dolus*, quo artificiosè quis proximum decipit in ipsius detrimentum: 3. *Simulationes* seu mendacia in facto, cum quis benevolentiam vultu præ se fert, quam non habet in animo: 4. *Invidentiæ*, quibus de aliorum bono dolemus: 5. *Obtrectationes*, quibus proximi fama læditur.

Vers. 2. *Ut modò nati infantes, lac illud sermonis sincerum expetite, ut per illud adolescatis:*

Hortationis secundum membrum, Ut sanam Euangelii doctrinam cupidè imbibatis, ut lac sincerum.

Argumenta hortationis sunt undecim. Argumentum primum, Sicut lac maternum est aptum nutrimentum alendis infantibus naturaliter genitis: Sic doctrina Euangelii est idoneum nutrimentum alendis spiritualiter regenitis. Ergo expetendum & imbibendum est.

Per illud] Arg. 2. Sicut per lac infantes augescunt, sic per doctrinam Euangelii, & ampliorem cognitionem Verbi Divini fideles adolescere possunt, id est, magis ac magis in vitæ novitate progressus facere. Verbum ergo DEI vobis expetendum est.

Lac] Arg 3. Verbum DEI est quasi lac spirituale, rationale, sincerum, purum, & ab omni errore alienum, quod nemmem decipere potest, ad pascendum animam accommodatissimum. Ergo Verbum DEI vobis expetendum est.

Vers. 3. *Si quidem gustastis quòd benignus sit Dominus.*

Arg. 4. Verbum DEI nihil continet præter bonitatem DEI, & Servatoris nostri IESU CHRISTI erga credentes, cujus dulcedinem qui gustarunt, non poterint illud non expetere. Ergo si gustastis quod Deus sit bonus, expetendum vobis est DEI Verbum.

Vers. 4. *Ad quem accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus* ac *pretiosus.*

Arg. 5. Imbibentes sanam Euangelii doctrinam, ut lac sincerum, propius indies accedetis ad CHRISTUM, & sanctam cum ipso communionem arctiorem consequimini. Ergo Verbum Euangelii expetendum vobis &

& avidè imbibendum est. Hoc argumentum variis similitudinibus illustrat, & in iis alia argumenta hortationis superaddit.

Lupus] Arg. 6. confirmans superius, Imbibentibus vobis lac veritatis, & secundùm DEI verbum accedentibus vobis ad CHRISTUM, CHRISTUS præstiturus est seipsum firmum, & vitale fundamentum salutis, summæ æstimationis & pretii apud DEUM, (qui aliud fundamentum salutis non admittit) etiamsi reprobi homines eum contemnant & rejiciant. Ergo expetendum & imbibendum lac veritatis Euangelicæ.

Vers. 5. *Ipsi quoque velut vivi lapides, ædificemini domus spiritualis sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum.*

Arg. 7 Accedentes secundùm Euangelii sermonem, non tantùm comperturi ëllis CHRISTUM solidum fundamentum, sed etiam vos ipsi virtute CHRISTI magis, magisque superædificandi estis CHRISTO, in unum corpus mysticum, cum reliquis fidelibus, ut sitis spirituale templum in quo DEUS habitet: Ergo lac verbi vobis expetendum est.

Sacerdotium] Arg. 8. Accedentes ad CHRISTUM secundùm Evangelii sermonem, non tantùm consecramini & dedicamini DEO, ut ejus Templum, sed etiam sanctum Sacerdotium nanciscimini, ut meliores hostias quam illas typicas, spiritualis obedientiæ fructus scilicet quotidiè offeratis, qui cultus DEO placiturus est, & gratus acceptusque futurus DEO per CHRISTI intercessionem: Atque ita majorem gloriam consequimini, quam umbratile templum per se spectatum habebat: Lac ergo sermonis Euangelii expetendum vobis est.

Vers. 6. *Quapropter etiam continetur in Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem in imo angulo, electum, pretiosum; cui qui credit, non pudefiet.*

Hæc argumenta confirmat testimoniis Scripturæ variis, eaque testimonia in usum præsentem accommodat, ad acuendum studium Hebræorum erga doctrinam Euangelii. Primum testimonium, *Isa.* 28. 16. probans argumentum sextum per partes; 1. Quod scilicet CHRISTUS positus sit à DEO in fundamentum Ecclesiæ, in lapidem angularem, qui & ædificium contineat & ornet, qui honoris & præstantiæ sit plenus, electus, & pretiosus in æstimatione DEI, & qui primò in Sione seu Ecclesiâ Judæorum manifestandus esset, ut è Zion exiret Lex & Verbum Domini ex Hierusalem. Et quod credentibus se præstiturus sit

solidum

solidum fundamentum, probat ex eo quod credentes in illum non pudefient.

Vers. 7. *Vobis igitur est honor qui creditis; Immorigeris verò lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est caput anguli, & lapis offendiculi, & petra offensionis:*

Vers. 8. Nempe *iis qui offendunt ad sermonem, immorigeri, ad quod etiam conditi fuerunt.*

Confirmat postremum membrum sexti argumenti, quod scilicet non debeant moveri per scandalum positum ab impiis, qui CHRISTUM rejecerunt; partim, quia satis est quod *fidelibus* CHRISTUS sit pretiosus; partim, quia increduli non possunt honorem CHRISTO a Patre datum auferre, In eam rem citat secundùm testimonium Scripturæ, ex *Psal.* 118. vers. 22. Unde probatur: 1. Oportuisse CHRISTUM rejici ab iis, qui regimen in Ecclesia obtinebant. Secundò inanes fore ipsorum conatus. Tertiò futurum, ut qui non crederent in CHRISTUM, seu qui impingerent ad hunc lapidem, ruerent & perirent. Et hic citat tertium Testimonium scripturæ, ex *Isa.* 8. 14. Quartò nullos esse qui repudiaturi sunt CHRISTUM præter reprobos, quos DEUS destinavit, per & propter suam ipsorum obstinatam incredulitatem ad exitium meritum perventuros. Et hic continetur Argumentum 8. hortationis ad studium doctrinæ Euangelicæ; & ad fugendum lac veritatis de CHRISTO: Quia incredulitas & impactio in sermonem veritatis de CHRISTO, indicium est reproborum & perditorum hominum, seu ad perditionem destinatorum. Ergo nisi rejectitii haberi velletis, Sermonem Euangelii expetite.

Vers. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem* sibi DEUS *ut proprium vendicat: ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem.*

Arg. 9. Honor Gentis Hebræorum, quem Patribus vestris concessit DEUS, *Exod.* 19. & alibi, conservatur in vobis fidelibus Hebræis, qui creditis in CHRISTUM: Ergo enemini doctrinam fidei Christianæ studiosè appetere & imbibere. Vocantur autem *regale Sacerdotium*, quia sunt & regni CHRISTI & Sacerdotii participes, imo per CHRISTUM Sacerdotes, & reges constituti. Vocantur, *Genus electum*, quia DEUS eos præ aliis populis sibi adoptaverat. *Gens sancta*, quia eos sibi dicaverat DEUS in

vitæ puritatem. *Populus* in acquisitionem, quia Deus eos redemerat, & sibi in thesaurum & hæreditatem asciverat.

Vocavit] Arg. 10. Deus vos vocavit ex tenebris peccati, miseriæ, & incredulitatis ad cognitionem veritatis Euangelicæ, & participationem luminis glorioſæ istius veritatis, ut Dei sapientia, bonitas, justitia, reliquæque ipsius virtutes, in vobis, ut in imagine, splenderent. Ergo decet vos Euangelicæ doctrinæ lac expetere, & avidè imbibere, ut id valeatis præstare.

Vers. 10 *Qui quondam eratis non populus, nunc* estis *populus* DEI: *qui non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti.*

Arg. 11. confirmans superius, Repudiatæ Gentis Hebrææ recollectio, & reconciliatio prædicta per *Hoseam*, *Cap.* 2. vers. 23. impleri cæpit in vobis Hebræis fidelibus, & illa quidem ex mera Dei in vos gratiâ. Ergo hortationi prædictæ tenemini studioſe obedire.

Vers. 11 *Dilecti, precor ut tanquam advenæ ac peregrini, abstineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam.*

Secunda hortatio ad sanctitatem bimembris est: Memb. 1. Ut abstineant ab omnibus carnis seu corruptæ naturæ cupiditatibus, sive in mente, sive in corpore se exerant: Memb. 2. Ut honestè, id est, sanctè, innocenter & juste se gerant coram hominibus.

Inquilini] Rationes hortationis sunt quinque, quæ probant à carnalibus cupiditatibus abstinendum illis esse: Ratio prima, Advenæ seu inquilini estis, non tantùm quod à Patria exuletis, sed etiam quia filii Dei ubicunque terrarum agant mundi sunt hoſpites: Ergo vobis abstinendum à carnalibus cupiditatibus.

Militant] Ratio 2 Non potestis carnis cupiditatibus morem gerere, nisi in vestram perniciem, siquidem veteris hominis corrupti affectus saluti æternæ adversantur, & adversùs animæ salutem militant. Ergo ab iis vobis abstinendum est.

Vers. 12. *Et conversationem vestram habeatis honestam inter Gentes, ut pro eo quod loquuntur adversus vos, velut malefícos, ex bonis operibus* quæ *spectarint, glorificent Deum in die visitationis.*

Ratio 3. Nisi obtemperaveritis hortationi, infidelibus Euangelii hoſtibus, qui captabant occasiones vobis obloquendi, ut facinoroſis, ansam dacturi estis. Ergo hortationi obtemperandum est.

Bonis

Bonis operibus] Ratio 4. Non satis est ut vestrâ innocentiâ ansam maledicendi hostibus præripiatis; sed etiam bonis operibus convincendi à vobis sunt adversarii, & obturanda eorum ora, ne possint obloqui cum vellent maximè. Obtemperandum ergo huic hortationi.

Glorificent] Ratio 5. Idoneum & accomodatum hoc medium erit ad conversionem infidelium, & ad gloriam per eos DEO dandam, quo tempore DEO visum fuerit ex gratia ipsos visitare, & ad fidem CHRISTI permovere. Ergo hortationi obtemperandum est.

Vers. 13. *Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive regi ut qui superemineat:*

Tertia hortatio, specialiter deducta ex superiori, ad obedientiam erga Magistratum, Quem vocat ordinationem humanam, quia licet omnis potestas in genere sit ordinatio DEI, singularis tamen modus gubernationis potiùs per Monarchiam quam ullam aliam rationem, aut Aristocratiam, aut Democratiam, aut aliquam ex his mistam rationem, non est à DEO determinatus, sed unicuique reipublicæ relinquitur determinandus, qui cum determinatur, vocatur ordinatio humana, quæ rata habetur à DEO, quasi ipsius ordinatio. Etiamsi enim in Ecclesiasticis & spiritualibus, CHRISTUS solus dominium & potestatem dominicam habeat, & sibi retineat: nec dominium ullum, sed merum Ministerium sibi subordinatum in spirituali regno patiatur. In civilibus tamen dominium subordinatum constituit, & homines vocavit *Deos*, licet non absolutè. Quæcunque ergo fuerit gubernandi forma, in quam consenserit regnum, sive respublica, jubet hic Apostolus Hebræos fideles subditos se præbere, & regi ut supereminenti, & præsidibus, qui ab ipso mittuntur.

Propter dominum] Rationes hortationis sunt quinque: 1. Dominus hanc subjectionem requirit, nempe quatenùs non advertùs Dominum præcipiunt quicquam: nam propter se, non contra se potestatem imperandi dedit hominibus DEUS: Subjecti ergo estote.

Vers. 14 *Sive præsidibus ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem malefactorum, tum ad laudem rectè agentium:*

Tum ad] Ratio 2. Finis ordinationis est ad reprimendos malos, & bonos conservandos seu fovendos; Ergo hujus finis gratiâ & intuitu subjecti esse debetis.

Vers. 15.

Vers. 15. *Quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo, capistro frenetis amentium hominum ignorantiam* :

Ratio 3. Deus vult per subjectionem Fidelium Magistratibus præstitam, quasi capistro frænare ora brutorum hominum, qui sine ratione insaniunt adversùs Dei populum, quasi Magistratibus adversarium. Ergo subjecti estote.

Vers. 16. *Ut liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes veritatem, sed ut servi Dei.*

Ratio 4. per occupationem objectionis, Deus non permittit ut quisquam libertatem Christianam prætendat suæ malitiæ, seu rebellioni suæ, quasi libertas Christiana eximeret quenquam à subjectionis civilis officio, sed mandat, ut liberi à peccato liberè serviatis justitiæ Dei promovendæ, cujus Minister est magistratus. Ergo Magistratibus subjici, & politicum ordinem observare debetis.

Vers. 17. *Omnes honorate : fraternitatem diligite, Deum timete: Regem honorate.*

Ratio 5. Conjuncta sunt quatuor hæc officia Christianorum : 1. Neminem despicere, sed omnium rationem habere secundùm stationem in qua eos locavit Deus ; 2. Eos qui sunt de familia fidei intime diligere : 3. Deum timere, & 4. Magistratui debitum honorem & obedientiam præstare, ita ut qui postremum ex his officium non præstiterit, nec reliqua sincere præstare censendus sit : Ergo subjecti estote Magistratui.

Vers. 18. *Famuli, subditi estote cum omni timore dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam pravis.*

Quarta hortatio ad servos Christianos, Ut suis Heris non tantùm æquioribus & humanis, sed etiam asperis & iniquis, cum omni reverentia pareant.

Vers. 19. *Hoc enim gratum est, si quis propter conscientiam Dei sustinet molestias injustè afflictas.*

Argumenta hortationis sunt duodecim, quæ probant servis tolerandas esse injurias à Dominis suis illatas.

Argumentum primum, Hæc est gratia seu glorioſum opus specialis gratiæ Dei, supra naturæ vires in homine operantis, si quis eo consilio ut Deo placeat, patienter toleret injurias sibi factas. Ergo servis tolerandæ sunt injuriæ à Dominis.

Vers. 20.

Vers. 20 *Quæ enim est laus si quum peccantes colaphis cædimini toleratis? sed si quum benefacitis, tamen afflicti toleratis, hoc est gratum apud Deum.*

Arg. 2. confirmans superius à contrario, Quia nulla est gloria, sed opus commune malefactoribus verbera pati ob malefacta: injurias verò pati ob benefacta, est gloriosum opus gratiæ, DEO acceptum & approbatum. Ergo servis tolerandæ sunt, *&c.*

Vers. 21. *Nam ad hoc vocati estis, quoniam & Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplar, ut insequeremini vestigia ipsius:*

Arg. 3. Vocati estis ad crucem gestandam, & injurias propter DEI gloriam ferendas. Ergo tolerate *&c. Christus*] Arg. 4. CHRISTUS passus est pro nobis ab hostibus suis multò graviora mala. Ergo tenemini vos pro DEI gloria injurias à Dominis vestris illatas patienter ferre.

Relinquens] Arg. 5. CHRISTUS in passionibus suis reliquit nobis exemplar patiendi injurias, & vult omnes fideles sibi conformes esse, & suum exemplum imitari. Ergo vobis tolerandæ sunt injuriæ à Dominis vestris illatæ.

Vers. 22. *Qui peccatum non fecerat, nec inventus est dolus in ore ipsius.*

Arg 6. confirmans superius, In CHRISTO nullum omnino peccatum fuit; Vos vero servi etiamsi alieni à culpa sitis in eo, ob quod affligimini à Dominis, non tamen alieni estis ab omni peccato, ab omni dolo in labiis vestris. Ideoque tenemini eo patientiùs ferre injurias vobis ab hominibus illatas.

Vers. 23 *Qui convitiis affectus, non vicissim convitiabatur: quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat* vindictam *ei qui justè judicat.*

Arg. 7. CHRISTUS ab omni talione abstinuit, nec convicia nec minas conviciantibus, & vim ipsi inferentibus regerebat. Ergo vobis servos frænandi sunt animi vestri, ne malum pro malo rependere appetatis, & tolerandæ injuriæ à DOMINIS.

Committebat] Arg. 8. Si exemplo CHRISTI patienter ferentes injurias causam vestram juto Judici commiseritis, habituri estis DEUM vindicem injuriarum vobis illatarum. Tolerate ergo.

Vers. 24.

Vers. 24. *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum ut peccatis mortui, justitiæ viveremus, cujus vibicibus sanati estis.*

Cum CHRISTUS & reatum & pœnas peccatorum nostrorum, in Cruce pendens, sustinuerit realiter in corpore suo, & sustulerit, non est vobis suspicandum, quod DEUS, dum per manus dominorum injustorum vos affligit, vindictam de vestris præteritis peccatis, ut iratus Judex exigat. Ergo de expiatione peccatorum vestrorum certiorati, debetis æquiori animo afflictionum exercitia perferre.

Ut peccatis] Arg 10. Eo fine CHRISTUS abstulit peccatorum nostrorum reatum & pœnas, ut mortificatio peccati in nobis, & vera justitia per ipsius mortem pacta, promoveatur omnibus modis, & per consequens ut temperantes vobis à vindicta, studeatis patientiæ: Ergo tolerandæ vobis injuriæ, *&c.*

Cujus] Arg. 11. In plagis, verberibus, & vulneribus CHRISTI parata est consolatio & sanitas, adversus omnem animi ægritudinem spiritualem, & omnes plagas, seu vulnera corporis, quæ vel inflixerunt, vel inflicturi sunt vobis servis fidelibus injusti vestri DOMINI: quod verbis *Isaiæ, Capit* 53. confirmat: Ergo tolerandæ patienter vobis sunt injuriæ à DOMINIS.

Vers. 25. *Nam eratis velut oves errantes, sed conversi nunc estis ad pastorem & curatorem animarum vestrarum.*

Arg. 12. Alia nunc vitæ ratio vobis ineunda est ab eâ, quam olim tenebatis. Nam olim in ignorantia & peccatis, ut pecudes errabatis in vestram ipsorum perniciem, nunc recollecti ad Episcopum & Pastorem animarum vestrarum IESUM CHRISTUM, debetis Ducem vestrum sequi, & vos, vestraque omnia, animasque imprimis, ipsius committere curæ & custodiæ: Ergo patienter vobis servis, tolerandæ sunt à DOMINIS vestris injuriæ.

Caput

Caput Tertium.

Capitis duæ sunt partes: Prima de Uxoris & Mariti officiis; Altera de communibus virtutibus quæ ad omnis generis homines spectant.

Vers. 1. *Similiter uxores subjectæ* sint *suis viris, ut etiam, si qui non obediunt sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant:*

Prima pars Capitis, In qua primùm præcepta dat Uxoribus de officiis suis erga Maritos suos, licet infideles. Primum Præceptum, Ut subjiciantur suis viris, & obediant iis, non verò refragentur, imperium detrectantes.

Similiter] Rationes præcepti sunt tres: Ratio prima, Quia similiter ex Legis obligatione, tenentur Uxores ad subjectionem erga maritos præstandam, sicut tenentur servi ad Dominis suis se subjiciendum, licet non ad eundem gradum subjectionis, seu ad eadem officia in subjectione. *Ut etiam*] Ratio 2. Quia infideles mariti ex sanctâ conversatione uxorum fidelium præparari poterint ad sermonem fidei audiendum, & ad amplexandam CHRISTI fidem lucrifieri eatenus, ut antequam audiant DEI Verbum, diligant ipsum propter ipsius effecta, quæ in uxoribus suis observant.

Vers. 2. *Ubi spectarint cum reverentia* conjunctam *castam conversationem vestram.*

Ratio 3. confirmans priorem, Quia pura & casta conversatio fidelium uxorum, infideles maritos permovere poterat, ad considerationem excellentiæ Christianismi, per quem ad puritatem & timorem discipuli ipsius instituuntur.

Vers. 3. *Quarum ornatus non sit externus ille in nodis capillorum, & circumpositio auro, vel palliorum amictu:*

Præceptum 2. De uxorum cultu seu ornatu, ne sint nimis curiosæ in externo corporis ornatu nimiùm sibi indulgentes, in nimiæ elegantiæ & superflui splendoris affectatione.

Vers. 4. *Sed occultus ille cordis homo* situs *in incorruptione lenis ac quieti Spiritus, qui est coram Deo pretiosus*

Præceptum 3. ex antithesi propositum, Ut ornent interiorem hominem, id est, animam suam jam renovari cœptam, ornatu virtutum, nominatim mansueti & quieti spiritus, qui efficiat, ut modestè se gerant in omnibus.

Qui est] Rationes præcepti sunt quinque: Ratio prima, Quia hic ornatus est incorruptibilis, respectu animæ immortalis, & respectu virtutis non perituræ. *In conspectu*] Ratio 2. Quia ornatus hic est pretiosus in conspectu Dei, gratus, acceptusque in oculis ejus, cujus rationem decet fœminas habere, potiùs quam oculorum vanorum hominum inspectantium.

Vers. 5 *Ita enim olim & sanctæ illæ mulieres sperantes in Deo, ornabant seipsas subjectæ suis viris.*

Ratio 3. Ab exemplo sanctarum mulierum in veteri Testamento, quæ laudem habent in Scriptura, non ex ornatu corporis externo, sed ex fide in Deum, & subjectione præstitâ maritis suis.

Vers. 6. *Sicut Sara obedivit Abrahæ, dominum eum vocans: cujus factæ estis filiæ dum bene facitis, etiam quum non terremini ullo pavore.*

Ratio 4. Ab exemplo Saræ, quæ Abrahamo mansuetè obedivit, & dominum suum agnovit eum, etiam de eo loquens.

Cujus] Ratio 5. Quia si pietatem & modestiam Saræ moribus suis exprimerent, neque ullo metu mundano se à studio pietatis abduci paterentur, sanctæ hujus matronæ filias se esse declararent.

Vers. 7. *Viri similiter, unà versentur ut scientes decet, vasi muliebri ut infirmiori tribuentes honorem, utpote quum unà etiam hæredes* sitis *gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ.*

Ex altera parte præcipit viris, ut cohabitent cum uxoribus suis, id est, humaniter eas alant, & foveant secundùm notitiam, id est, ut sapientes decet, prudenter uxores suas regant.

Similiter] Rationes præcepti sunt quatuor: Ratio prima, Quia similiter ex obligatione Legis Divinæ tenentur viri erga uxores mutua officia præstare, non minus quam uxores erga viros.

Infirmiori] Ratio 2. Quia prudentia requirit ut sexus fœminei tanquam

quam fragilioris tantò major ratio habeatur, quantò fœmina infirmior est, & suspicari alioqui potest se despici a viro. *Hæredes*] Ratio 3. Quia Uxores non tantùm participes sunt honoris & bonorum terrenorum, quæ ad maritos suos spectant, sed etiam cohæredes sunt cum suis maritis fidelibus, gratiæ salutaris. *Ne*] Ratio 4. Quia alioqui orituræ essent rixæ & jurgia, quibus preces, & domesticæ & secretæ, cum mariti tum uxoris, interrumpi possent, vel turbari.

Secunda pars.

Vers. 8. *Denique omnes* estote *concordes*, *mutuo molestiarum sensu affecti, fraterna præditi charitate, misericordes, comes*:

Secunda pars Capitis, In qua hortatur ad studium sanctitatis, licet cum Cruce *conjunctum*, seu ad communia sanctitatis officia, & virtutes quæ ad cujusvis generis homines spectant, quales enumerat sex: Quarum prima est *Concordia*, sine qua omnis vita perpetuis turbis ac rixis inquietatur. Secunda est *Sympathia*, quæ facit ut proximorum & molestiis & bonis, sicut decet afficiamur, dolentes cum dolentibus, & gaudentes cum gaudentibus. Tertia est *Fraterna Charitas*, qua Christianos utpote fratres in DOMINO arctè complectimur. Quarta est *Misericordia*, qua egenis & peregrinis sive exulibus succurrimus. Quinta est *Comitas*, quâ affabiles & humanos nos præstamus erga alios, ad bonum publicum, & aliorum ædificationem.

Vers. 9 *Non reddentes malum pro malo, aut convitium pro convitio, sed contrà, benedicentes: ut qui scitis vos ad hoc vocatos esse, ut benedictionis hæreditatem possideatis.*

Sexta est *Patientia*, quâ injurias ab aliis acceptas, sive facto, sive verbo æquo animo toleramus, imò quâ pro maleficiis beneficia rependimus.

Argumenta hortationis ad studium harum virtutum potissimum patientiæ, sunt septemdecim, Quæ omnia probant his virtutibus studendum esse, etiamsi tolerandæ propterea essent afflictiones.

Vt qui] Argumentum primum, Quia ad hanc conditionem à DEO sumus vocati, ut constanter benè agendo, ac mala fortiter perferendo vitam æternam, velut hæreditario jure concessam adeamus. Ergo studendum his virtutibus, & nominatim patientiæ.

Vers 10. *Itaque qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia sua, ne loquantur dolum.*

Vers. 11. *Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam.*

Vers. 12. *Nam oculi Domini* sunt intenti *in justos, & aures ejus in deprecationem eorum: vultus verò Domini adversum eos qui faciunt mala.*

Arg. 2. A testimonio Scripturæ, ex Psal. 34. *vers.* 12, 13, 14, 15, 16. Ubi docetur viam proximam ad felicitatem esse, ut Dei filii studeant bonis operibus, & temperent sibi ab impatientiâ & omni maleficiorum genere: utque ex altera parte spe benedictionis divinæ, ex altera verò metu divinæ iræ, hinc atque hinc septi pergant in cursu sanctitatis. Ergo his virtutibus & præcipuè patientiæ studendum est.

Vers. 13. *Et quis est qui affligat vos, si bonitatis æmulatores fueritis?*

Arg. 3. Quia hæc ratio optima est, quâ studiosi harum virtutum liberentur ab incommodis multis, quorum inferendorum occasionem captant impii: adeo ut monstro similis sit, qui innocentes, & omnis bonitatis studiosos lædere velit. Ergo studendum his virtutibus & nominatim patientiæ.

Vers. 14 *Sed & si* quid *perpetiamini propter justitiam, beati* tamen *estis, Cæterùm timorem eorum ne timete, neque turbamini.*

Arg. 4. Quia si dum his virtutibus studetis, justitiæ causâ mala patiamini, beati tamen mansuri estis coram Deo, utcunque fors vestra misera videri poterit in mundo. Ergo his virtutibus studendum est.

Vers. 15. *Sed Dominum Deum sanctificate in cordibus vestris:* Estote *autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei, quæ in vobis est, cum lenitate & verecundia:*

Arg. 5. Non debetis vos Christiani à studio harum virtutum deterreri impiorum minis & terrore, imò ne vel animo quidem turbari, sed contrâ, debetis Deum in corde vestro sanctificare; hoc est, Dei terrorem & benevolentiam, Dei mandata, minas, promissiones, potentiam, auxilium, consolationes, liberationes & exitus, quos ille dare & potest & præ habit, tanti æstimare, ut flocci faciatis, & despiciatis quicquid homines facere contrà vos poterint.

Parati]

Parati] Arg. 6. Tantò abeſt ut à ſtudio virtutum deterreri debeatis metu hominum, ut contrà præ fiducia in DEI bonitate & omnipotentia parati debeatis eſſe ad ſanctificandum DEUM in aperta confeſſione fidei Chriſtianæ, nihil erubeſcentes verbum DEI, pro ratione & fundamento fidei veſtræ proferre, quotieſcunque petitur ratio fidei à vobis, ita, ut ad DEI gloriam, ſeu ſanctificationem nominis ipſius tendere poſſit reſponſio, quæ exigitur. Interim jubet hanc confeſſionem edi cum manſuetudine erga homines, & timore, ſeu reverentiâ erga DEUM, ne noſtris affectibus ullo modo contaminetur DEI veritas.

Verſ. 16 *Conſcientiam bonam habentes: ut proeo quod loquuntur adverſum vos, tanquam maleficos, pudefiant qui inceſſunt veſtram bonam in Chriſto converſationem.*

Arg. 7. Conſcientiam bonam ex ſtudio harum virtutum habituri eſtis, quæ in omni conditione poterit vobis bonum teſtimonium intus præbere. Ergo his virtutibus ſtudendum.

Pudefiant] Arg. 8 Per ſtudium harum virtutum obturaturi eſtis ora hoſtium Euangelii, qui veſtræ famæ inſidiantur, vobiſque tanquam maleficis obloquuntur.

Verſ. 17 *Melius enim eſt ut benè agentes, ſi ita velit Dei voluntas, malè affician ini, quam malè agentes:*

Arg. 9 Quia longè præſtat ut ſtudentes his virtutibus ob benefacta affligamini, ſi ita ferat DEI voluntas, quam ob malefacta: illic enim eſt gratia & laus; hic verò judicium & dedecus. Ergo his virtutibus ſtudendum.

Verſ. 18. *Nam & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit, juſtus pro injuſtis: ut nos ad Deum adduceret, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu:*

Arg. 10. CHRISTUS ſemel pro peccatis expiandis paſſus eſt. Ergo vos fideles exempti à pœna peccatorum, tenemini, ſi DEUS ità vult, pati moleſtias ob ſtudium harum virtutum.

Juſtus] Arg 11. CHRISTUS paſſus eſt prorſus juſtus, & innocens pro nobis injuſtis. Ergo nos fideles, qui non prorſus innocentes ſumus tenemur ob ſtudium juſtitiæ non renuere pati quæ DEUS vult.

Ut nos] Arg. 12. CHRISTUS juſtus paſſus eſt, ut juſtificatos nos, & patientes mala, ſibi coformaret, & ad DEUM adduceret. Ergo in ſtudio virtutum & patientia afflictionum ob benefacta ſequi eum tenentur fideles.

fideles. *Vivificatus*] Arg. 13. Cum felix fuerit exitus passionum CHRISTI (quippè qui licet propter carnis nostræ quam gestabat, infirmitatem, mortuus sit, resurrexit tamen à morte, per virtutem & potentiam Spiritus seu Deitatis suæ) vos etiam fideles mala patientes pro CHRISTO & ejus justitiâ, proculdubio lætum etiam exitum ex passionibus vestris, & ex morte ipsa consequuturi estis. Ergo studendum his virtutibus etiamsi propterea affligamini.

Vers. 19. *Per quem etiam spiritibus qui* sunt *in carcere profectus prædicavit*.

Vers. 20. *Olim immorigeris, quum semel expectabat Dei patientia in diebus Noe, quum appararetur arca; in qua paucæ (id est octo) animæ servatæ sunt in aqua*.

Vers. 21. *Cui rei correspondens exemplar Baptismi, nos quoque servat (non quo carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit ut bona conscientia DEUM interroget) per resurrectionem Jesu Christi,*

Arg. 14. Jam sunt in carcere seu inferno, spiritus seu animæ incredulorum istorum & inobedientium hominum, quibus CHRISTUS per SPIRITUM suum olim in Noacho Præcone justitiæ, proficiscens prædicavit resipiscentiam, & studium justitiæ, eo quod olim nempe temporibus Noachi immorigeri fuerint, abutentes DEI erga eos lenitate, dum pararetur arca. Ergo huic hortationi ad virtutum studium obedire expedit vobis Hebræis, ne eâdem pœnâ involvamini.

Paucæ] Arg. 15. Sicut paucæ illæ animæ quæ erant in arca servatæ sunt in aquis diluvii per arcam; Sic omnes fideles baptizati servantur, ne pereant ullis afflictionibus, per baptismum quod typo arcæ correspondet. Ergo nihil metuendum vobis justitiæ studiosis, etiamsi ob justitiam patiamini.

Non quo carnis sordes] Explicat hoc argumentum, ostendens se non intelligere Baptismum externum, qui consistit in ablutione sordium corporis, sed baptismum internum, qui consistit in ablutione peccatorum, seu sordium animæ, cujus signum & effectum proprium, est stipulatio bonæ conscientiæ apud DEUM seu illa confidentia, quam bona conscientia per fidem purgata, habet apud DEUM, per & propter resurrectionem CHRISTI. Simul addit Arg. 16. Jam ellis imbuti illâ confidentiâ, quam bona conscientia per fidem purgata habet apud DEUM, per

um, per & propter resurrectionem CHRISTI. Ergo non est quod in studio virtutum harum afflictiones metuatis. Addit *per resurrectionem Christi*, partim, Quia in resurrectione CHRISTI ipso facto declarata fuit sententia DEI absolventis nos in CHRISTO à peccato & morte: partim, quia CHRISTUS resuscitatus à mortuis perficit ea potenter in, & pro fidelibus, quæ morte suâ illis meritus est, & impetravit.

Vers. 22. *Qui est ad dextram Dei, profectus in Cœlum, subjectis ipsi angelis & potestatibus ac virtutibus.*

Arg. 17. Confirmans superius, & simul etiam hortationem ad studium virtutum, licet ferendæ essent afflictiones ob eam causam, CHRISTUS salutis nostræ Autor evectus est in Cœlo, ad summam regnandi in omnia gloriam; supremamque, & sempiternam potestatem obtinet in omnes creaturas, ne Angelis quidem ullis exceptis. Ergo vos fideles debetis studium virtutum prosequi fortiter adversus omnia pericula & terrores, certi de salute vestra, quia talem habetis in Cœlis Salvatorem.

Caput Quartum.

IDem *Argumentum quod superiori Capite tractabat hic prosequitur. Capitis duæ sunt partes; In prima habentur hortationes ad sanctimoniam ad* vers. 12. *Altera consolatoria est, adversùs persequutiones, ad finem. Hortationes ad Sanctimoniam sunt sex; Prima generalior est, ad* vers. 7. *reliquæ specialiores.*

Vers. 1. *QUum igitur Christus passus sit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini;* nempè *quòd qui passus est in carne, desitit à peccato.*

Argumenta ad sanctimoniam in genere sunt septem, quæ ut meliùs concipiantur, tenendum est CHRISTUM in cruce pendentem, quatuor modis rem nostram egisse: Primò enim ut nos repræsentans judicialiter, seu personam sustinens nostram, reatum peccatorum nostrorum, & pœnam peccatis nostris debitam portabat & auferebat: 2. Ut Spon-

sor pro

sor pro nobis suscipiebat in se mortificationem, seu crucifixionem veteris nostri hominis, futuram virtute crucifixonis suæ: 3. Seipsum exemplar efficax proponebat nobis, cui nosmet conformaremus in nostri abnegatione, & renunciatione omnium quæ nobis ad cœlum tendentibus possent esse impedimento: 4. Ut Sponsor, Advocatus, Patronus, Pater, Maritus, Caput, & Persona communis nos multiplicibus vinculis juris constringebat, & obligabat ad moriendum peccato, & ad utendum omnibus mediis, quibus id fieri posset: His præsuppositis Argumenta quæ sequuntur constringunt fortius.

Argumentum primum, CHRISTUS passus est in carne pro nobis, & rem nostram egit publicè modis supra dictis. Ergo vos fideles Hebræi debetis vos armare hâc meditatione fidei contra omnes tentationes, ut carnis corruptæ desideriis moriamini.

Qui passus est] Arg. 2. Confirmans superius à judiciali nexu fidelium cum CHRISTO moriente, in quo passo in carne fideles, censentur tanquam passi etiam in carne: Sicut ergo qui passi sunt in carne, vel mortui sunt, desiterunt à peccato pro quo passi sunt & justificantur, tum à peccato, tum à pœnâ peccati, quâ jam defuncti sunt: Sic vos fideles Hebræi quos habeo pro judicialiter passis in carne, seu pro mortuis, desistere debetis à peccato, & nihil amplius cum eò negotii habere.

Vers. 2. *Ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis in carne vivat.*

Arg. 3. Judicialis liberatio Fidelium à peccato, facta in morte CHRISTI, in eum finem fit, ut quandiu vivimus in hac mortali vita, tempus impendamus, non sectandis cupiditatibus carnalibus secundùm voluntatem hominum, sed implendæ DEI voluntati. Ergo ut voluntati DEI conformes sitis vobis laborandum est.

Vers. 3 *Satis enim est nobis quòd anteacto vitę tempore libidinem Gentium patraverimus, quum incederemus in protervitis, cupiditatibus vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus.*

Arg. 4. Satis & plus nimium peccatum est adversus DEUM tempore vitæ præteritæ, cum vitia quæ in Gentibus regnant contrà secundam & primam tabulam in ignorantia & incredulitate sectabamini: Tempus Lucis Evangelicæ jam alios postulat mores: Ergo Sanctitati studendum est.

Vers. 4.

Vers. 4. *Quamobrem* illi *non concurrentibus vobis ad eandem luxus profusionem, peregrinari sibi videntes, blasphemant:*

Vers. 5. *Qui reddituri sunt rationem ei qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos.*

Arg. 5. Per occupationem objectionis, Etiamsi infideles offendantur vestrâ abstinentiâ à pristinis vitiis, & blasphement vestram religionem, blasphemiarum pœnas daturi in die judicii, non tamen oportet vos propterea moveri, quia si non in hac vita, saltem in die judicii Deus exactissimus est rationem contumeliarum istiusmodi. Pergendum ergo in studio sanctimoniæ.

Vers. 6. *Nam idcirco mortuis quoque prædicatum est Euangelium, ut damnarentur quidem secundùm homines*, id est, *carne: viverent autem secundùm Deum, id est, Spiritu:*

Arg. 6 Faciens etiam ad tollendum scandalum positum ab infidelibus, qui blasphemabant & condemnabant Christianos ob morum dissimilitudinem: Fidelibus qui jam mortui sunt, sivè non ita pridem, sivè prioribus seculis, Euangelium prædicatum est eodem fine quoàd sanctitatem urgendam, & eodem successu quoàd judicium mundanorum hominum, & deniqne eadem fructus seu utilitatis spe, ut scilicet condemnati ab hominibus, & castigati à Deo, secundum carnem seu externum hominem, vitam spiritualem in animabus suis, seu interiori homine, imo & vitam æternam apud Deum consequerentur. Ergo æquum est ut vos Hebræi fideles similem vivendi rationem, & conditionem non recusetis amplecti, sed ut eadem conditione sanctimoniæ studeatis.

Vers. 7. *Omnium autem finis imminet. Estote igitur sobrii & vigilantes ad orandum.*

Arg. 7. Instat judicium ultimum, quod commodis & incommodis hujus vitæ omnibus impositurum est finem. Ergo nihil morantes vitæ hujus commoda vel incommoda, sanctimoniæ vobis est studendum.

Estote igitur] Ex his argumentis & potissimùm ex ultimo infert hortationem ad sanctitatem, & specialiter ad sex virtutes Christianas.

Ad preces] Prima specialis hortatio est ad sedulò precandum, & in eum finem, ut sobrii & vigilantes sint, quo aptiores essent ad precandum, observantes omnem occasionem precandi, & ut in omnibus suis negotiis ita se gerant, ut ad precandum non inepti redderentur.

Vers. 8. *Ante omnia verò charitatem alii in alios propensam habentes: nam charitas operiet multitudinem peccatorum.*

Hortatio 2. Specialis ad charitatem; quam primo singulari cura prosequendam ante omnia vult, deinde ut fervida & intensa sit, requirit.

Charitas] Hujus rationem specialem reddit, Quia charitas præverit, & præveniendo operit iras, rixas, opprobria, contentiones & odia, ne excitentur inter homines, & in apertum prorumpant, & ne serpant, erumpentia hæc mala reprimit, condonat, & tegit, ideoque ei imprimis studendum est.

Vers. 9. *Hospitales estote alii erga alios, sine murmurationibus.*

Hortatio 3. Ad hospitalitatem, quam voluntariam & non coactam jubet esse: nam quæ cum murmuratione conjungitur beneficentia charitate destituitur.

Vers. 10. *Ut quisque accepit donum, ita alius in alium illud subministrantes, ut boni dispensatores variæ Dei grâtiæ.*

Hortatio 4. Ad mutuam communionem omnium donorum DEI, Rationes hortationis includuntur duæ. Prima, Quia dona sunt ex gratia, & à DEO in usum communem conceduntur.

Ut Boni] Ratio 2. Quia qui donum habet non est ejus doni Dominus, sed dispensator.

Vers. 11. *Si quis loquitur*, loquitur *ut eloquia Dei si quis ministrat*, ministret *tanquam ex viribus quas suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.*

Hortatio 5. specialior, Ut qui loquitur verbum DEI (sive ex officio speciali, ut Pastor vel Doctor, sive ex officio communi, ut alii Christiani, in mutua sui ædificatione) loquatur cum ea reverentia & fide, quæ decet DEI Verbum, hoc est, ut loquens rectè conceptum Verbi Divini sensum ex fide, cum reverentia quam DEI veritas requirit, proferat, ne DEI nomen sumatur in vanum.

Ministrat Hortatio 6. Ut qui vel ope, vel facultatibus suis, aliorum necessitatibus ministrat, illud præstet promptè & hilariter pro viribus, quas ei Deus suppeditavit. Rationes hortationis sunt duæ.

Ut in] Ratio prima, Ut DEO cedat gloria, & ex opere nostro & ex agendi modo.

Per Iesum]

Per Iesum] Ratio 2. Ut DEO cedat gloria per CHRISTUM, cujus solius gratia & virtute officium præstatur. *Cui est*] Has hortationes claudit δοξολογία, ad quam ex consideratione dignitatis DEI, rapitur.

Secunda pars.

Vers. 12. *Charissimi, ne tanquam hospites, exploratione illi per ignem quæ fit in vobis ad vestri experimentum, percelliminì, ut si peregrinum aliquid vobis accideret.*

Altera pars Capitis, In qua adversùs persequutiones animat fideles & hortatur ne offendantur, aut perturbentur persequutionibus tanquam re nova. Argumenta hortationis sunt tredecim, quæ omnia probant non metuendam persequutionem ob Euangelii professionem.

Exploratione] Argumentum primum, Persequutio non est vos læsura, sed exploratura & purgatura, quemadmodum ignis explorat & purgat aurum & argentum. Ergo non metuenda est vobis persequutio.

Vers. 13. *Imò in eo quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete ut & quum patefiet ejus gloria, gaudeatis, exultantes.*

Arg. 2. Gaudendum potiùs & lætandum in afflictionibus ob Euangelium. Ergo non metuenda persequutio. *Ut &*] Arg. 3. confirmans superius, Persequutionem patientes participes estis afflictionum, CHRISTI membris destinatarum, & conformes reddimini CHRISTO, qui similia passus est ob confessionem veritatis. Non metuenda ergo persequutio. *Gaudeatis*] Arg. 4. Quia communionem gloriæ & gaudii cum CHRISTO habituri estis in ejus adventu. Ergo.

Vers. 14. *Si probris afficimini in nomine Christi: beati estis: quoniam & ille gloriæ & ille Dei Spiritus super vos requiescit, qui quod ad illos quidem attinet blasphematur, quod ad vos autem: glorificatur.*

Arg. 5. Qui vel probris afficiuntur propter nomen CHRISTI, beatitudinis suæ habent & medium, & indicium; multò magis illi qui graviora patiuntur: Ergo vobis metuenda non est persequutio.

Quoniam] Arg. 6. Tolerantia crucis CHRISTI est indicium Spiritus CHRISTI glorioli quiescentis super vos, & nunquam à vobis discessuri: Ergo persequutio vobis non est metuenda.

Quod ad] Arg. 7. confirmans superius, DEI Spiritus licet à parte persequentium blasphemetur; à fidelibus tamen persequutionem patientibus glorificatur. Ergo vobis non est metuenda persequutio.

Vers. 15. *Nequis igitur vestrûm affligatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector:*

Vers. 16 *Sed si ut Christianus, ne pudeſiat, imò glorificet Deum hac in parte.*

Arg. 8. Etiamsi omnis afflictio, & nominatim ob maleficia, non sit gloriosa, cum tamen quis non suo merito afficitur malo (sed CHRISTI nomine seu quia & quatenus est Christianus) afflictio gloriosa est, nec debet ita perturbari) afflictus, quasi puderet ipsum nominis CHRISTI, sed DEUM potius glorificare tenetur, qui martyrii quolibet gradu ipsum honoravit. Non ergo vobis metuenda persequutio.

Vers. 17. *Nam tempus est quo incipiat judicium à domo Dei, quòd si primum incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei Euangelio?*

Arg. 9. Judicium quod DEUS exerciturus est in hominum peccata, inchoatur in Ecclesiâ, ut in familiâ DEI, in domesticos suos; quorum peccata castigat DEUS, & crucifigit per crucem CHRISTI. Ergo vobis non est metuenda persequutio.

Quis erit] Arg. 10. Afflictiones quas patiuntur fideles, argumento sunt fore ut infideles & persequutores tandem gravissimè puniantur: Ergo non metuenda vobis est persequutio.

Vers. 18. *Et, si justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit?*

Arg. 11. superius argumentum declarans, Cum fidelium conditio adeò sit dura, ut non sine difficultate & per afflictiones serventur, intolerabilis proculdubio erit conditio impiorum. Ergo nec à fide deficiendum, ne pereatis, neque à persequutoribus metuendum, quia illi perituri sunt.

Vers. 19 *Itaque qui affliguntur ex voluntate DEI, tanquam fideli Conditori commendent animas suas bene faciendo.*

Hinc infert hortationem confirmandam unà cum argumentis duobus aliis. Arg. 12 est. Qui malis afficiuntur nomine CHRISTI, propriè affliguntur non ex voluntate hominum, sed ex voluntate DEI; qui per afflictiones

afflictiones opus suum in suis perficere statuit. Ergo non est vobis metuenda persequutio.

Fideli] Arg. 13. Qui patiuntur in carne aliquid pro CHRISTO, & qui in sanctimonia pergere statuerunt, quod bonum est facientes, certi & securi esse poterint de salute animarum suarum, & quia DEUS omnipotens est, & quia fidelis est ad præstandum omnia quæ suis promisit. Ergo vobis non est metuenda persequutio.

Caput Quintum.

Estant hortationes tres, cum Epilogo, Prima ad Presbyteros, altera ad juniores. Tertia communis, ad omnes.

Vers. 1. *PResbyteros qui inter vos sunt, precor ego unà presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem gloriæ patefaciendæ consors.*

Vers. 2 *Pascite Dei gregem qui penes vos est, curam illius agentes non coactè, sed libenter; non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo;*

Hortatio 1. ad presbyteros primo in genere. Ut munus suum exequantur, pascendo gregem sibi commissum. Rationes hortationis à persona hortantis præmittuntur quatuor. *Precor*] Ratio prima, Quia Apostolus id precatur & submissè flagitat ab iis. *Una presbyter*] Ratio 2. Quia ut consors, & socius in munere Presbyteratus, hortatur.

Testis] Ratio 3. Quia testis erat afflictionum CHRISTI, quas CHRISTUS in muneris sui executione passus est, & particeps afflictionum pro CHRISTO cum aliis martyribus. *Gloriæ*] Ratio 4. Quia per fidem particeps erat gloriæ veris pastoribus olim communicandæ in adventu Domini. *Pascite*] Ipsa hortatio modum pascendi gregem præscribens specialiter in quatuor officiis.

Inspectioni] Primum, Ut vacent diligenter inspectioni gregis, non leviter & perfunctoriè rem agentes: 2 Ut officium faciant, non coactè sed libenter: 3. Non turpis lucri gratia, sed animo prompto, & liberali officio fungantur.

Vers. 3.

Vers. 3. *Neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.*

Quarto, ut sine usurpatione dominii in Ecclesiam, doctrinâ, & exemplo præirent Ecclesiæ in omnibus virtutibus.

Vers. 4 *Et cum apparuerit ille Pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem illam gloriæ coronam.*

Subjungit hortationi rationes alias tres. *Princeps*] Ratio prima, Quia Iesus Christus ut Pastorum princeps aliquando manifestandus est, qui à subjectis sibi pastoribus rationem exactius est administrati officii.

Reportabitis] Ratio 2. Quia pro præmio daturus est coronam gloriæ fidelibus Pastoribus *Amarantinam*] Ratio 3. Quia corona illa futura est florida & quæ nunquam marcescet, nedum peribit.

Vers. 5. *Similiter juniores subjecti estote senioribus; & omnes vicissim subjicimini Modesti estote intus ornati; nam DEVS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Secunda hortatio ad gregem seu populum, qui nomine juniorum insignitur, quia sicut ordinariò Presbyteri maxima ex parte electi erant ex senioribus ætate, sic maxima pars greges constabat ex junioribus.

Subjecti] Hortationis membra sunt tria. Primum ad subjectionem specialem erga Presbyteros, ut sicut Episcopatum injunxerat Deus Presbyteris, sic similiter subjectionem injunxerat gregi, seu junioribus, ut Presbyteris officium facientibus, & nomine Dei recta jubentibus, obedirent.

Et omnes] Secundum membrum hortationis est ad subjectionem communem seu mutuam, ut vicissim subjiciantur, nempe ad officia charitatis humillima mutuò præstanda, *E. g.* ad privatas admonitiones vicissim recipiendas, & ad infirmitates mutuas tolerandas.

Submissione] Tertium membrum hortationis, ut studeant animi submissioni, seu humilitati Christianæ, absque qua, nec possent Pastoribus, nec sibi invicem ritè subjici. Rationes hortationis sunt septem.

Ornati] Ratio prima, Quia humilitas seu submissio ornamentum est speciale *Deus*] Ratio 2. Quia Deus superbis resistit. *Submissis*] Ratio 3. Quia humilibus Deus dat gratiam.

Vers. 6. *Submittite igitur vosipsos potenti manui Dei, ut vos in tempore extollat:*

Ratio 4. Quia submissio illa mutuò requisita, non tam homines quam

Deum

DEUM respicit, qui illam submissionem præcipit. *Robustæ*] Ratio 5. Quia robur & potestas DEI ad subjectionem movere vos debet:

Ut vos] Ratio 6. Quia submissos & humiles DEUS opportuno tempore exaltaturus est ad gloriam.

Vers. 7. *Omni curæ vestræ in eum conjectæ: nam illi cura est de vobis.*

Ratio 7 per occupationem objectionis, Quia non debetis moveri incommodis illis quæ dissuadere possent ab hac submissione animi, sed solicitudinem de eventu obedientiæ, huic mandato præstandæ, & omnem insuper curam vestram, quæ hanc vitam spectat in DEUM conjicere debetis. *Nam*] Hujus ratio redditur, quia DEUS res servorum suorum, & quæ vobis in obedientia ipsius ambulantibus accidere possunt, curat diligenter, ne quid detrimenti vobis accidat, & ne quid boni necessarii vobis desit.

Vers. 8. *Sobrii estote: vigilate, nam adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret.*

Tertia hortatio generalis seu communis omnibus, Ne carnis securitati indulgeant, sed ut compositi ad vigilantiam in omni sobrietate, contrà omnem tentationem pergant in gratiâ quam acceperunt.

Rationes hortationis ad Christianam hanc militiam sunt novem.

Adversarius] Ratio prima, Quia res est vobis cum adversario. *Diabolus*] Ratio 2. Quia vobis res est, cum DIABOLO hostium pessimo. *Ut Leo*] Ratio 3. Quia DIABOLUS crudeliter ut Leo rugiens prædæ inhiat. *Obambulat*] Ratio 4 Quia ut vulpes circumspicit & captat obambulans omnes occasiones nocendi, ut incautos vos opprimat & absorbeat.

Vers. 9. *Cui resistite firmi per fidem, scientes easdem afflictiones à vestra quæ in mundo est fraternitate impleri.*

Ratio 5, Quia de fuga ab adversario non est cogitandum, sed de ei resistendo tantum, idque per fidem firmam.

Ut qui] Ratio 7. Quia non soli certatis in hoc certamine afflictionum contra DIABOLUM, sed omnes ubique fratres fideles in Ecclesia militante habetis commilitones, & unà vobiscum patientes, quorum conditionem non debetis aversari, aut aliquâ meliori quam illorum conditione frui velle.

Vers. 10. *Caterùm Deus omnis gratiæ autor, qui vocavit nos ad æternam*

ad æternam suam gloriam in Christo Iesu, paulisper afflictos, is, inquam, absolutos vos reddat, stabiliat, roboret, fundet.

Ratio 8. Quia me Apostolum vestrum habituri estis unà vobiscum, certantem in precibus, ut constanter pergatis in via cæpta. Precatur autem pro iis hæc quatuor: Primo, Ut DEUS *perficiat* quod inchoatum, & nondum perfectum est opus gratiæ: 2. Ut *stabiliat* quod rectum est: 3. Ut *roboret* quod infirmum est: 4. Ut *fundet*, seu ut cohærere faciat firmiter cum CHRISTO quod ædificatum est. Argumenta fiduciæ duo sunt. Arg. 1. Omnisufficientia gratiæ in DEO: 2. Vocatio fidelium ad æternam gloriam per CHRISTUM.

Paulisper] Interim limitat orationem suam, ut DEUS ista præstet ipsis paululum afflictis, & sic addit Rationem nonam hortationis ad Christianam militiam: Quia tempus certaminis vestri non est futurum longum, sed breve; & afflictiones non intolerabiles, sed in comparatione ad gloriam, leves.

Vers. 11. *Ipsi gloria & robur in secula seculorum. Amen.*

Hanc & reliquas hortationes claudit insigni doxologia, ascribendo DEO gloriam omnis gratiæ & roboris, quo opus gratiæ prosequatur & perficiat.

Vers. 12. *Per Sylvanum vobis (ut opinor) fidelem fratrem paucis scripsi, adhortans* VOS, *& testificans hanc esse veram gratiam Dei in qua statis.*

Epilogus Epistolæ cujus tres sunt articuli.

Articulus primus tria continet, Primum Tabellarii nomen & commendationem ab ipsius fidelitate: 2. Epistolæ commendationem à brevitate: 3. Scopum & summam totius Epistolæ, nempè ut confirmentur Hebræi de veritate doctrinæ Euangelii, seu gratia CHRISTI quam profitebantur, & ut animentur ad constanter pergendum in ejus fide & obedientiâ.

Vers. 13. *Salutat vos ea quę est Babylone vobiscum electa* Ecclesia, *& Marcus Filius meus.*

Art. 2. Continet salutationem nunciatam ab Ecclesia Babylonica & Marco Euangelistâ, (qui propter fidei, morumque similitudinem filius dicitur Petri, sicut Timotheus Pauli) ad reliquos Hebræos ejusdem gratiæ, & electionis in CHRISTO participes. Babylonem hic intelligimus propriè dictam quæ in Chaldæa erat, ubi post exactos

70. Captivitatis

70. Captivitatis annos manſere multi Judæi qui domum non ſunt reverſi, & in qua ſynagogas habebant, ſicut in aliis civitatibus, quorum gratiâ Petrus ex pacto cum Paulo, ut Apoſtolus Hebræorum profectus eſt Babylonem, ubi frequentia Judæorum major erat: unde hanc epiſtolam ad reliquos diſperſos ſcripſit.

Verſ. 14. *Salutate alii alios charitatis oſculo. Pax vobis omnibus qui eſtis in Chriſto Ieſu. Amen.*

Articulus 3. Continet, 1. Salutationem præceptam ab Apoſtolo, qua jubet Fideles oſculo, ſeu ordinariis ſignis charitatis, ſine ſimulatione ſe invicem ſalutare: 2. Votum Apoſtolicum, quo ſub nomine *Pacis* ſalutem fidelibus omnibus, omniaque quæ ad ſanctitatem, & felicitatem faciunt, ex gratuiti favoris fonte exoptat, comprecatur, applicat, & obſignat.

EXPOSITIO ANALYTICA *POSTERIORIS EPISTOLÆ* PETRI. *Summarium.*

Orti jam vicinus Apoſtolus extremum hoc voluntatis ſuæ teſtimonium, (*ut apparet ex* Capite primo. verſ. 12, 13, *&c.*) *in uſum omnium ubique Fidelium, maximèque Hebræorum, quorum doctor fuerat, quaſi teſtamentum condens in hac Epiſtola conſignat. Partes Epiſtolæ præcipuæ ſunt tres, pro numero* Capitum: *In prima hortatur ad ſtudium proficiendi in vera fide & pietate Chriſtiana*, Capite primo: *In ſecunda deterretur ab audiendis Pſeudoprophetis, quos in Eccleſia exorituros prædicit*, Capite ſecundo. *In Tertia profanos irriſores, qui adventum* CHRISTI *ad judicium pro fabulâ habent, ſeriò cavendos eſſe monet*, Capite tertio.

Caput Primum.

Capitis tres sunt partes. In prima est Epistolæ exordium, ad vers. 3. *In secunda, hortatio ad proficiendum in fide & pietate, ad* vers. 19 *In tertia, digreditur in commendationem Scripturæ Propheticæ, ad finem.*

Vers. 1. *Simeon Petrus servus & Apostolus Iesu Christi, iis qui æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt per justitiam Dei nostri, & servatoris Iesu Christi:*

Inscriptio Epistolæ tria continet: 1. est descriptio Scriptoris à nomine communi *Simeon*, & cognomine à CHRISTO ei impositio, *Petrus*, unà cum officio in Ecclesia generali *Servus*: Et speciali, unde autoritas ad scribendum data, *Apostolus Iesu Christi*. Secundum est, descriptio Fidelium ad quos scribitur à fidei qua donati sunt, præstantia: cujus excellentia ad distinctionem fidei historicæ proponitur: 1. Quod pretiosa sit: 2. Quod sit Electorum propria, non hypocritica: 3. Quod æquè pretiosa sit, atque erat fides Apostolorum; gradum & quantitatem non comparat, sed qualitatem, & naturam doni, quia ab eodem SPIRITU Sancto, ab iisdem CHRISTI meritis, & ad eadem bona, CHRISTUM scilicet & ejus beneficia apprehendendum, erat data: 4. Quod profluat à DEI justitia, seu fidelitate, gratuitas promissiones Patribus factas fideliter præstante, & per Justitiam IESU CHRISTI DEI nostri, unà cum omnibus aliis bonis ad nos derivetur.

Vers. 2. *Gratia vobis & pax multiplicetur per agnitionem Dei, & Iesu Domini nostri:*

Tertium in Epistolæ inscriptione est Salutatio, in qua votum & voti confirmatio. In voto optat omnibus Hebræis fidelibus ampliorem manifestationem, multiplicationem, & incrementum omnium salutarium donorum SPIRITUS Sancti, & multiplicationem Pacis, seu omnium bonorum, quæ ad felicitatem præsentem, & futuram promovendam & perficiendam faciunt, idque per incrementum fidei salvificæ, seu agnitionis DEI & CHRISTI, prout in Euangelio revelantur.

Vers. 3. *Utpote quum divina vis ipsius omnia nobis donarit, quæ ad vitam & pietatem* pertinent, *per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem:*

Spem

Spem voti confirmat fore nempe ut gratiam & pacem multiplicet iis Deus, per fidem, quinque Argumentis. *Divinæ vis*] Argumentum primum, Potentia, seu efficax gratia potenter operans, omnia impedimenta quæ ad pietatem seu gratiam, & ad vitam seu pacem pertinent, vobis largita est, per agnitionem seu fidem ipsius, & quoàd jus, & quoàd inchoatam possessionem: Ergo dona illa augebit, & multiplicabit Deus, donec perfectionem vitæ & pietatis adipiscamini: Par enim est ratio initii & progressus, quod ad Dei favorem attinet. *Vocavit*] Arg. 2. Deus vocavit vos ad virtutem seu gratiam, & ad gloriam seu pacem. Ergo perficiet ea, ad quæ vos vocavit.

Vers. 4. *Ex eo quòd maxima nobis ac pretiosa promissa donata sint, ut per hæc efficeremini divinæ consortes naturæ, elapsi ex corruptione quæ est in mundo per cupiditatem.*

Arg. 3. confirmans superius, Deus donavit vobis promissiones Evangelii, quæ ut maximæ sunt, (quia rerum maximarum justitiæ, scilicet & vitæ æternæ) sic etiam sunt pretiosæ & vobis ad vitam consequendam summè necessariæ. Ergo promissiones illas præstabit, multiplicando ad perfectionem usque, illa quæ promisit.

Ut per hæc] Arg. 4. Eo fine & promissiones, & initia rerum promissarum dedit vobis, ut efficeremini consortes divinæ naturæ, non quoàd Essentiam, sed quoàd Virtutes & Perfectiones, quæ naturam Dei in cœlesti sapientia, sanctitate & felicitate, tanquam in viva imagine, repræsentant. Ergo multiplicabit vobis gratiam & pacem, ut fine suo in vobis perficiendis potiatur.

Elapsi] Arg. 5. Jam elapsi estis ex regno mortis & peccati ex fœdere liberati ab interitu, in quo jacet mundus per cupiditatem seu concupiscentiam. Idcirco *gratiam*, quæ opponitur peccato, & *pacem*, quæ opponitur interitui, vobis multiplicabit eadem Dei gratiosa voluntas.

Vers. 5. *Ad hoc ipsum verò* vos *omni prætereà collato studio, adjicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam.*

Post præfationem hortatur ad serium studium proficiendi in fide, & pietate, virtutes Christianas præcipuas per gradationem enumerans. Quarum prima est *fides*, quæ nobis primum ad Deum aperit aditum: Huic adjungenda *virtus*, seu studium justitiæ generalis, quippè sine quâ fides est mortua & inefficax. Sequitur *scientia* vel *prudentia* in pleniori cœlestium mysteriorum cognitione. & ad praxin applicatione.

Vers 6. *Scientiæ vero temperantiam, temperantiæ verò tolerantiam, tolerantiæ verò pietatem*,

Post hanc requirit *Temperantiam*, quâ quis continet se ab illis illecebris, quibus avocari posset ab officio. Temperantiæ annecti vult *Patientiam*, seu fortitudinem, quæ consistit in sustinendis rebus adversis, & non cessando ab officio propter mala quæ insequuntur, & hæ virtutes quatuor sunt, quæ vulgò dicuntur cardinales. His adjungi vult tres alias: 1. *Pietatem*, quæ in ipso DEI cultu potissimùm consistit.

Vers. 7. *Pietati vero, animum in fratres propensum, animo vero in fratres propenso, charitatem.*

Alia virtus, quam addi vult est φιλαδελφια, quâ fratres seu domesticos fidei complectimur. Ultima virtus est *Charitas*, seu dilectio communis, quæ ad omnes homines etiam inimicos extendenda est.

Vers. 8. *Hæc enim si vobis adsunt & exuberant, non inertes nec infructuosos vos efficient ad Domini nostri Iesu* CHRISTI *cognitionem.*

Argumenta hortationis sunt quatuordecim, Quæ omnia probant his virtutibus conjunctim sumptis studendum.

Argumentum primum, Si obediveritis hortationi, studentes ut & habeatis has virtutes, & ut in iis abundetis, probabitis fidem vestram, seu agnitionem CHRISTI in vobis non esse otiosam vel infructuosam, sed efficacem, quæ ad benè agendum agiles vos reddit. Obediendum ergo.

Vers. 9. *Nam cui hæc non adsunt, is cæcus est, nihil procul cernens, oblitus sese à veteribus peccatis suis fuisse purgatum*,

Arg. 2. Si destituti fueritis his virtutibus, declarabitis vos nihil eminùs cernere, sed rebus hujus mundi tantùm intentos esse, cæcos verò esse in rebus divinis, seu spiritualibus, & ingratos erga DEUM, à quo vetera peccata condonata vobis esse profitemini. Studendum ergo his virtutibus.

Vers. 10. *Quapropter, fratres, potius studete vocationem & electionem vestram firmam efficere*: *hæc enim si feceritis, nunquam impingetis.*

Arg. 3. cum repetita hortatione, Per studium harum virtutum, probabitis vos esse efficaciter vocatos, & electos, & vosmet ipsos in hac persuasione solidè confirmabitis. Studete ergo his virtutibus.

Hoc enim]

Hæc enim] Arg. 4. Si ſtuderitis his virtutibus, conſervabimini ab apoſtaſia ſeu defectione, nec ſuccumbetis in tentationibus. Ergo his ſtudendum.

Verſ. 11. *Ita enim copioſè ſubminiſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Servatoris Ieſu Chriſti.*

Arg. 5. Sic miniſtrabitur vobis amplior introitus in regnum æternum CHRISTI, id eſt, felicitas & vita illa æterna ampliùs pandet & explicabit ſe vobis, ut liberiùs & copioſiùs penetrare poſſitis in regni hujus partes interiores, & frui vitæ illius ſenſu in ampliori menſura: Studendum ergo his virtutibus.

Verſ. 12. *Quapropter non negligam vos de iſtis ſemper commonefacere, tametſi periti & confirmati ſitis in præſenti veritate.*

Arg. 6 cum occupatione objectionis, Etiamſi ſtabiliti ſitis in præſenti veritate: Ego Apoſtolus tamen præ ſtudio veſtræ utilitatis jam cenſui hortationem neceſſariam, & minimè negligendam: Studete ergo his virtutibus.

Verſ. 13. *Juſtum enim arbitror, quandiu ſum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem:*

Arg 7. Ipſa juſtitia ex ratione officii mei Apoſtolici exigit à me, ut per hortationes & commonefactiones hujuſmodi, quandiu in vivis agam, vos excitem ad ſanctimoniam. Obedite ergo.

Verſ. 14. *Quum ſciam brevi futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum, ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus declaravit mihi.*

Arg. 8. Sicut prædixit DOMINUS, expecto fore, ut brevi glorioſo martyrio vitam finiam. Ergo ut mihi incumbit vos hortari ad virtutes has: ſic vobis, hortationi auſcultare, incumbit.

Verſ. 15. *Sed & ſtudebo, ut vos jubinde poſt exitum meum poſſitis horum mentionem facere.*

Arg 9. Hortatio hæc, ſcripto commiſſa utilis vobis futura eſt ad memoriam officiorum veſtrorum, etiam poſt meum obitum: Auſcultate monitis igitur.

Verſ. 16. *Non enim arte compoſitas fabulas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Ieſu Chriſti potentiam & adventum: ſed ut qui oculis noſtris aſpeximus illius majeſtatem.*

Arg. 10.

Arg. 10. Quæ ego docui vos de CHRISTI incarnatione, seu primo adventu ad officium Redemptoris exequendum, deque ejus Divina natura, potentia, sufficientia, & efficacia ad salvandum DEI populum; non sunt fabulæ artificiosè confictæ, quæ despici, vel negligenter sine usu & fructu præteriri possunt: Sed res seriæ & certæ. His admonitionibus igitur meis auscultandum est vobis.

Sed ut qui] Arg. 11. Per nos Apostolos CHRISTI oculatos & auritos testes veritatis jam demonstratæ edocti estis, adeò ut certitudo hujus Euangelii, etiam humanitus tanta fuerit, quanta possibilis est de rebus gestis & præteritis. Nos enim Apostoli tantam CHRISTI Majestatem sensibus percepimus, ut non potuerimus prohibere, quin ex aspectu raperemur in extasin, prout habetur in Historia *Math.* 17. de CHRISTI transfiguratione: Obedite igitur meis hortationibus.

Vers. 17. *Acceperat enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum delata hujusmodi à magnifica gloria, Hic est ille Filius meus dilectus, in quo acquiesco.*

Arg. 12. CHRISTUS in cujus fide & obedientiâ ut proficiatis hortamur, audibili voce Patris de cœlo loquentis, testimonium glorioſum accepit à magnifica PATRIS gloriâ, quod sit FILIUS DEI, in quo ut in Mediatore & Sponsore pro populo redempto, DEUS acquiescit in ipsius mediatione & λυτρω abunde sibi satisfaciens. Diligentiùs igitur obedite huic hortationi.

Vers. 18 *Et hanc vocem nos audivimus è Cœlo delatam, quum essemus unà cum eo in monte sancto.*

Arg. 13. Adeo sancta sunt ista quæ pertinent ad CHRISTI regnum, ut locus ipse in quo declarabantur ea quæ à nobis prædicata sunt, aliquo modo sanctus factus fuerit, nempe propter extraordinariam DEI vocem, & Divinam CHRISTI gloriam ibi manifestatam: Majori ergo reverentia hortationibus nostris auscultandum est.

Vers. 19. *Et habemus firmissimum sermonem propheticum: cui rectè facitis quòd attendatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usquedum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris:*

Arg. 14. Doctrina de CHRISTO, in cujus fide & obedientia ut proficiatis hortamur, confirmatur Testimonio Scripturæ, seu sermonis Prophetici

Prophetici firmissimi: Ergo hortationi meæ studiosè obediendum est. In hoc argumento pedem figit, certitudinem Scripturæ Propheticæ confirmans septem rationibus.

Firmissimum] Ratio prima, Quia Scriptura comparata cum aliis revelationis modis, medium est firmissimum longissimè positum extrà & suprà exceptiones, quibus alia media revelationis, non minùs vera & clara, obnoxia sunt: potissimum autem valebat hæc ratio apud Hebræos, qui visiones & revelationes Apostolis factas examinaturi erant per Scripturam veteris Testamenti. Nam in ipsorum animis ab aliquot retrò seculis divina veteris Scripturæ autoritas erat confirmata.

Propheticum] Ratio 2. Quod testimonium prævidentis veritatem futuram, majorem habeat in se Divinæ operationis evidentiam, quam testimonium ejus qui testatur, quod præsens vidit vel audivit: nam prævidere veritatem hanc non potuit ullus præter Prophetam, videre veritatem completam poterat quilibet fidelis.

Quem] Ratio 3. Quia dignus est sermo Propheticus, cui fideles attenderent, in cujus sensum inquirerent, cujus veritati & autoritati conscientias subjicerent, & quem applicarent, ad fines & usus quibus inservit.

Velut] Ratio 4. Quia in caligine & tenebris versaturi erant, nisi attenderent Scripturis, quæ sunt in se, & fidelibus, ut Lucerna splendens in obscuro loco, ad dirigendum in omnibus, quid & quomodo agendum.

Vsque dum] Ratio 5. Quia religiosè attendentibus Scripturæ, tandem appariturus est Ipse Sol Justitiæ, Iesus Christus, in gloria vitæ futuræ plenum diei lumen, sine occasu secum allaturus; & Lux Spiritus Sancti, tanquam Stella matutina oritura est in cordibus ipsorum, nunc patefaciens unum fidei articulum, eumque quasi sigillo suo in interioribus sensibus confirmans; nunc alium articulum confirmans, atque ita gradatim fideles discipulos Scripturæ illuminatura; quæ illuminatio Spiritus, quia perfici non potest in hac vita, & quia dies plenæ præsentiæ Christi solis nostri, non nisi in futura vita futurus est: ideo in tota vita nostra Scripturæ attendendum est in omnibus.

Vers. 20. *Si illud primùm noveritis, nullam Prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis.*

Ratio 6, Quia pro principio credendi, & primò credibili firmiter tenendum est, Scripturas non esse humanæ inventionis, sed Divinæ revelationis; non ex propria Scriptoris mente, sensu seu explicatione, sed ex mente, sensu,

sensu, & explicatione DEI, profectas esse, quæ idcirco non ex explicatione quam homines sive pauci, sive multi confingunt, sed ex explicatione cujus ipse DEI Spiritus auctor est, intelligendæ sunt.

Vers. 21. *Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu sancto, loquuti sunt sancti Dei homines.*

Ratio 7. confirmans priorem. Quia in Scriptura sunt Prophetiæ quæ ex libitu hominis seu ex humano Prophetæ sensu vel affectu edi non poterant: sed necesse est ut SPIRITUS Sancti instinctu loquuti sint Sancti illi viri, qui divina oracula Scriptis consignata nobis reliquerunt. Æquum igitur est, ut SPIRITUS Sanctus suorum verborum per alia Scripturæ suæ loca interpres sit: & ut fideles attendant Scripturis, easque inter se comparent, ut sensum SPIRITUS Sancti percipiant.

Caput Secundum.

QUO melius morem gererent superiori hortationi, monet, ut sibi caveant à Doctoribus falsis in Ecclesia exorituris, & jam tum exorientibus, simulque mores & vitia ipsorum describit & redarguit, unde veluti ex notis quibusdam dignosci possent & caveri.

Vers. 1. *FUerunt autem & pseudoprophetæ in populo, ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiales, etiam Dominum qui illos mercatus est abnegantes, accersentes sibiipsis velox exitium.*

Notæ falsorum doctorum, quæ simul rationes continent, propter quas caveri debent, sunt novem: Non quod omnes in uno aliquo hæretico visendæ sint, sed quod aliæ, aliis atque aliis hæreticis conveniant.

Fuerunt etiam] Nota prima, Quales erant olim Pseudoprophetæ in populo DEI, tales erunt falsi doctores in Ecclesia, nimirum eximii hypocritæ, simulantes se veros esse Prophetas, & in populi gratiam se insinuantes. *Subintroducent*] Nota 2. Callidè subintroducturi sunt hæreses exitiales, & licet non expressè, per consequens tamen, seu reipsâ, CHRISTUM in aliquo saltem articulo fidei abnegaturi, id est, erunt CHRISTI proditores.

Dominum]

Dominum] Crimen amplificat quatuor modis: 1. Ex eo quod abnegaturi sint Dominum seu Herum qui ipsos mercatus est, Quod dicitur in stylo Ecclesiæ visibilis, in qua versaturi sunt, & se pro redemptis venditaturi, & quos Ecclesia pro redemptis habitura erat, id quod in stylo etiam judiciali, seu forensi, verum est; per quem, quicunque CHRISTUM, Redemptorem suum esse ore profitetur, & interea factò ipsum abnegat, ex ore suo judicatus, dicitur abnegare Dominum, qui ipsum mercatus erat; quia ad meritum criminis perindè est ac si reipsa emptus fuisset, si putat & profitetur se emptum, & agnitum emptorem sui abnegat. *Accersentes*] Secundò amplificat crimen, ex eo quod per has hæreses sibi ipsis meritò accersituri sint subitum exitium.

Vers. 2. *Et multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur.*

Tertiò amplificat crimen, ex eo quod multos discipulos seducturi, & in exitium secum ducturi sint. *Per quos*] Quartò, Ex eo quòd ipsi & ipsorum allectæ, & blasphematuri sint viam veritatis, seu sanam Euangelii doctrinam, & autores futuri, ut alii contumeliosè de ea loquantur.

Vers. 3. *Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur: quibus damnatio jam olim non otiatur, & quorum exitium non dormitat.*

Nota 3. est Avaritia, quæ radix multorum malorum, & hæresium plerunque comes, & mater est. *Fictis*] Nota 4. Est sermo falsus & fictus, artificiosè compositus ad seducendum: fucatâ eloquentiâ errores obducens & persuadens. *Negotiabuntur*] Nota 5. Nundinatio animarum, & fœda mercatura, qua modo quæstum suum promovere poterint hæretici de dispendio animarum nihil erunt soliciti. *Quibus*] Crimen redarguit ex damnatione & exitio celeriter insequuturis, sicut olim præparatum erat.

Vers. 4. *Nam si Deus Angelis qui peccarant non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit damnationi servatos:*

Pœnam probat sequuturam triplici exemplo: Primum est, Angelorum lapsorum, quibus si DEUS non pepercit, sed deturbatos à luce supremi Cœli, ad loca inferiora tenebrosa detrusit, detrusosque potenti manu vinctos in miseria detinet ad ultimum æternæ damnationis supplicium asservandos: Certè DEUS fallis illis Doctoribus non parcet.

Vers. 5. *Et prisco mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem servavit, diluvio in mundum impiorum inducto:*

Secundum exemplum est prisci mundi, qui si justè totus periit (exceptis septem illis, & Noe octavo Præcone Justitiæ, quem præcipuè & cujus causa reliquos servavit Deus) diluvio in mundum impiorum inducto: Certè peribunt etiam falsi illi Doctores.

Vers. 6. *Et civitates Sodomorum ac Gomorrhę in cinerem redactas subversione damnavit, fecitq; ut essent exemplar impiè victuris.*

Vers. 7. *Et justum Lot, libidinosa nefariorum conversatione fatigatum eripuit,*

Vers. 8. (*Justus enim ille quum habitaret inter eos indies animam justam iniquis illorum factis, & videndo & audiendo excruciabat*)

Tertium exemplum, Si Deus Sodomam & Gomorrham perdidit in exemplar impiè victuris, & justum Lot eripuit vexatum & excruciatum, videndo & audiendo nefariorum iceleste facta & dicta. Nonnè Deus conservatis servis suis, puniet impios Doctores, qui Euangelio jam clarè patefacto tam protervè adhuc lasciviunt.

Vers. 9. *Novit Dominus pios è tentatione eripere, injustos autem in diem judicii servare* ipsos *puniendos:*

Confirmat hujus Argumenti vim à sapientia & potentia Dei, qua potest Deus utrumque facere, nempe tum pios eripere ex tentationibus & afflictionibus, tum impios ad diem ultimi judicii reservare suppliciis æternis puniendos.

Vers. 10. *Maximè verò eos qui carnem sequentes, in impura cupiditate incedunt, & dominatum despiciunt*: qui, inquam, ut sunt *audaces & sibi placentes, non horrent dignitates convitiis incessere*:

Nota hæreticorum sexta, Est luxuriosa & libidinosa vita, propter quam rectè colligit exempla Justitiæ Dei prædicta, minari illis æternum exitium, maximè, quia carnem seu corruptam naturam ducem sequuntur & pergunt in impuritate, vitæ suæ cursum producentes in cupiditatibus fœdis, & voluptatibus carnis indulgentes. *Dominatum*] Nota 7. Est contemptus dominatus, seu legitimæ autoritatis, quam sublatam è mundo vellent,

vellent, ne essent qui ipsorum vitia punirent. Hoc vitium depingit & amplificat sex rationibus.

Despiciunt] Ratio prima, Quod non sit nuda inobedientia mandatorum illicitorum Gubernatoris errantis, sed *Contemptus* Magistratus *officium præstantis*, contemptus *ipsius potestatis* & ordinationis Dei.

Audaces] Ratio 2 Quod sit *Audacia* cum contemptu conjuncta.

Et sibi] Ratio 3. Quod sit audacia in contemptu cum *Complacentiâ* in peccato illo conjuncta. *Probris*] Ratio 4. Quod sit Audacia, in contemptu, ad maledicentiam, convitia, & probra in Magistratum jacienda, prorumpens.

Vers. 11. *Quum ipsi Angeli qui sunt robore ac potestate majores, non ferant adversus eas apud Dominum judicium maledicum.*

Ratio 5. Quod cum sint viles homunciones audeant maledicere Magistratibus, quibus Angeli qui eminent supra Magistratus, maledicere non audent: nam etiamsi adhibeantur ad puniendos aliquando Principes, semper tamen Principatum, Magistratum, & Potestates, earumque æstimationem custodire satagunt Angeli; Contra quam Hæretici quidam faciunt, & factum vellent.

Vers. 12. *At isti, veluti animantia rationis expertia quę naturali impetu feruntur, facta ad eum finem ut capta intereant, ea vituperantes quæ ignorant, sua ipsorum corruptela interibunt:*

Ratio 6. Quod Hæretici sint brutis feris in hoc vitio similes: Nam sicut feræ, 1. Rationis expertes sunt: 2. Feruntur impetu, non consilio: 3 Captæ intereunt. Sic Hæretici illi, qui Magistratum inter homines, vel in Ecclesia non ferunt: Sed huic ordinationi maledicunt, 1. Judicii expertes, Dei ordinationem ignorant: 2. Pravo impetu feruntur ad blasphemandum, seu vituperandum quod ignorant: 3. Sicut feræ sibi interitum accersunt, & sua ipsorum corruptela pereunt.

Vers. 13. *Reportaturi mercedem injustitiæ, ut qui pro voluptate ducant quotidianas delicias, labes ac maculæ, qui fraudibus suis se oblectant, vobiscum epulando.*

Vers. 14 *Oculos habentes plenos adulterii, & qui à peccando cessare nesciant: inescantes animas instabiles, cor habentes ad avaritiam exercitatum, execrandi homines:*

Repetit comminationem meritæ ipsorum condemnationis, & addit notam octavam in tribus impudentiæ ipsorum demonstrationibus. Prima est in aperto luxu, quia etiam tempore diurno, nec Euangelii, nec Solis lucem metuentes animos suos luxui dedi.tos ostendent in conviviis deliciantes. Secunda impudentiæ demonstratio, in aperta impudicitia, quam celare minimè studebunt, sed adulteria cordis sui, oculis prodent, suamque in libidine impotentiam præ se ferent; atque ita non se polluent tantùm, sed etiam animas instabiles destitutas solidâ & salvificâ fide, decipient & inescabunt. Tertia impudentia consistit in Avaritia, cujus artes & methodos ita meditatas habebunt, & cor vitioso habitu adeò exercitatum, ut non dissimulaturi sint suam habendi cupiditatem: Quæ vitia in summa complectens, execrandos vocat homines illos nequam.

Vers. 15. *Qui relicta recta via, aberrarunt, sequuti viam Balaam* Filii *Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit*:

Vers. 16. *Sed redargutionem suæ transgressionis sustinuit: nam subjugis asina muta, humana voce loquuta prohibuit prophetæ dementiam.*

Impudentem horum hominum avaritiam comparat avaritiæ Baalam, cujus historiam ex *Num.* 22. breviter repetit, qui cupiditate mercedis, de via quam professus est se sequuturum, aberravit, & impietati apertæ se tandem dedidit: in qua tam stupidus fuit, ut ab alina sua subjugi meritus fuerit reprehendi & castigari; id quod similiter merentur falsi doctores, turpis lucri cautâ, falsa docentes.

Vers 17. *Isti sunt fontes aqua carentes nebula à turbine agitata: quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.*

Nota 9. Est vaniloquentia cum fastu & hypocrisi conjuncta: cujus respectu comparat eos fontibus aquâ carentibus, & nubibus à turbine agitatis & dissipatis, ita ut pluviam quam promittere videbantur, non dent. Tales sunt falsi Doctores, qui debent esse Stellæ lucentes, & Lux Mundi, & nihil habent interim præter tenebras, & errorum caliginem: Quapropter ad judicandos eos æternis in inferno tenebris pronunciat Apostolus.

Vers. 18. *Nam prætumidam vanitatem loquendo per carnis cupiditates lasciva, eos inescant qui verè effugerant eos qui in errore versantur:*

Vaniloquentiam

Vaniloquentiam eorum proponit perspiciendam in tribus: Primò in prætumido docendi stylo, & inflato orationis genere; in quo verborum ampullis perstringunt simplicium oculos, & incautos in admirationem rapiunt: quod genus dicendi tegendis ambagibus valdè est appositum. Secundo, in eo quod doctrinâ suâ patrocinentur carnalibus hominum concupiscentiis, quasi non esset opus contra eas decertare; atque ita inescant aliquos carnis lasciviis, qui priùs convicti de erroribus, in quibus versabantur dum inter mundanos essent, id est, extra Ecclesiam, renunciaverant eorum societati, & verè seu destinato consilio ab iis aufugerant (quod vi naturalis luminis conscientiæ, fieri potest) seque contulerant ad consortium Ecclesiæ Christianæ, quod etiam sine spirituali regeneratione fieri potest.

Vers. 19. *Libertatem eis pollicendo, quum ipsi servi sint corruptionis siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in servitutem ast addictus.*

Tertio, in dissimilitudine inter ipsos & ipsorum promissa. Promittebant enim libertatem aliis, cum illos in servitutem peccati trahebant, & ipsimet essent servi corruptelæ, & secundùm praxin suam, & secundum Doctrinæ suæ principia. Nam non est alia libertas Christiana, quam quæ manumissos à peccato, & servili jugo fœderis operum, in liberum justitiæ obsequium ipsos adducat.

Siquidem] Probat libertinos hos cum suis discipulis mancipia esse peccati abjectissima & miserrima, quatuor rationibus. *Superatus*] Ratio prima, Quia devicti sunt & superati à peccato: cujus servituti se addicunt, deceptionibus fallæ Doctrinæ inducti. Ergo verè servi sunt.

Vers. 20. *Itaque si postquam inquinamenta mundi, per agnitionem Domini & servatoris IESU CHRISTI effugerint, his rursum implicati superentur facta est ultima eorum conditio deterior priore.*

Ratio 2. Quia ipsi & discipuli ipsorum per apostasiam à sancta conversatione incidunt in deteriorem conditionem, quam erat ea in qua degebant priusquam nomen dederunt CHRISTO; nam postquam in Baptismo renunciaverunt inquinamentis mundi, & per agnitionem CHRISTI, qualem qualem, aufugerunt ab iis recipientes se in gremium alicujus Ecclesiæ CHRISTI, si denuò implicati fuerint illis inquinamentis,

inquinamentis, & victi dederint manus, facta est ultima conditio deterior priore.

Vers. 21. *Satius enim fuisset eis non cognovisse viam justitiæ, quàm cognita illa, regredi à sancta doctrina ipsis tradita.*

Ratio 3. probans priorem, Quia scientes, volentes à cognita via justitiæ, & sancto mandato semel illis tradito ut transfugæ in adversaria castra retrocedunt; quod multò gravius est peccatum & durior servitus, quam si nunquam cognovissent viam justitiæ; melior enim futura fuisset ipsorum conditio in ignorantia quam in apostasia.

Vers. 22. *Sed accidit eis quod vero proverbio dici solet, Canis reversus est ad suum ipsius vomitum: & Sus lota, ad volutabrum cœni.*

Ratio 4. Faciens ad tollendum scandalum quod ab eorum apostasia oriri potuit; Quia ex apostasia sua testantur se nunquam fuisse ex veris ovibus CHRISTI, sed in Baptismo & apparenti vitæ sanctitate, quâ se aliquando pro sanctis venditabant, demonstrant se fuisse sues & canes, sine spirituali & interna naturæ renovatione, semperque sues & canes mansisse: Ideoque non mirandum si eis accidat quod vero proverbio dici solet, *Sicut Canis licet purgatus per vomitum, resorbet tamen quod vomuerat, & Sus lota licet, revertitur tamen ad volutabrum cœni*: Sic Apostatæ, licet resipiscentiam à peccatis, & fidem in CHRISTUM, & obedientiam mandatorum ejus profiteantur, datâ occasione tamen revertuntur ad pristinos mores.

Caput Tertium.

Transit ad aliam commonefactionem de cavendis irrisoribus, qui adventum Christi negabant, quorum blasphemiam refutat, ad vers. 11. *In secunda ostendit usum & fructum suæ doctrinæ de adventu CHRISTI potissimùm, ad finem.*

Vers. 1. *Hasce jam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestram per commonefactionem excito:*

Vers. 2.

Vers. 2, *Ut memores sitis verborum quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & doctrinæ nostræ qui sumus Apostoli, Domini & Servatoris.*

Ut sibi viam paret ad ea quæ sequuntur, scopum utriusque Epistolæ proponit, nempe ut mentes vere fidelium commonefaciendo excitaret ad constantiam in fide & obedientiâ doctrinæ Euangelicæ, quam ex Scriptura Prophetarum, & institutione Apostolorum didicerant.

Vers. 3. *Illud primum scientes, venturos extremis diebus irrisores, ut qui in suis ipsorum cupiditatibus incedant:*

Ut caverent sibi ab Atheis & illusoribus pietatis, describit istiusmodi monstra quatuor modis: Primò, Ab antecedenti prædictione Spiritus Sancti, admonentis de adventu & frequentia impiorum irrisorum sub finem mundi tanquam hostium Euangelii capitalium, qui temporibus Euangelii omnem pietatem ludibrio erant habituri: 2. A vitiosâ ipsorum vitâ, quod vitam acturi essent secundùm cupiditates suas.

Vers. 4. *Et dicant, Ubi est pollicitatio adventus ejus? nam ex quo* die *Patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.*

Tertio, à blasphemis dictis, quod ausuri essent etiam Domini adventum ad judicium impudenter negare, & promissiones Dei fallitatis apertè insimulare: 4. A pertinaci defensione blasphemiæ suæ, quod auderent disputare contra adventum Domini, quasi non venturus esset omninò, sed mundus in æternum duraturus esset, idcirco quia tot retrò seculis nondum venit Judex, & quia res omnes ita se habent nostris temporibus, sicut se habebant ab initio creationis; sensum suum carnalem, mensuram fidei suæ facientes, & verbum Dei post tergum abjicientes.

Vers. 5. *Illud enim sponte ipsos latet, Cœlos jam olim extitisse per Dei sermonem, & terram ex aqua & in aqua consistentem:*

Refutat hos blasphemos canes quinque Argumentis, Arg. primum, Quia respuunt oblatam sibi cognitionem ex verbo Dei, & sponte ignorant quod creatus sit mundus per Dei sermonem; nam si creationem agnoscerent per Dei verbum fuisse: finem mundi prædictum in Dei verbo oporteret etiam agnoscere.

Et terram] Arg. 2, Sponte ignorant & claudunt oculos ad constans miraculum terræ emergentis ex aqua, & consistentis per aquam, per

quam

quam solida redditur ne diffluat in pulverem, cum terra naturâ suâ infimum elementum subsideret tota, & aquis tegeretur, & absorberetur. In quo miraculo perspicere possent naturam regi & firmari solius DEI voluntate, ut sic vel secus se habeat prout DEO placuerit.

Vers. 6. *Quamobrem is qui tum erat mundus aqua inundatus periit:*

Arg. 3. Quod terra præter naturam emineat ex aquis, & quod omnia non maneant in eodem semper statu, evidens est ex historia Diluvii, quo priori ordine mutato, mundus seu humanum genus, quod tunc erat, aquis inundantibus periit. Non est ergo incredibile mundum decurrentem eam mutationem passurum, quam DEI verbum prædixit.

Vers. 7. *Qui vero nunc sunt Cœli ac terra, eodem sermone repositi, servantur igni in diem damnationis, & exitii impiorum hominum.*

Arg. 4. Cœli, qui nunc sunt, & terra quæ nunc est, per idem DEI verbum & efficacem ejus voluntatem conservantur ad ignem judicii extremi, quandò condemnabuntur, & peribunt impii & irrisores adventus Domini maximè.

Vers. 8. *Unum autem hoc ne vos lateat, dilecti, Unum diem apud Dominum* perinde esse *ut mille annos, & mille annos ut diem unum.*

Diluit objectionem, Dicerent impii, Cur differt adventum? Responsio triplex est, Prima, Etiamsi differre adventum videatur Dominus, dilatio hæc tamen non debet esse offendiculo cuiquam, quia mora non debet æstimari ex nostro sensu, sed ex æternitate DEI, cui illud spatium temporis, quod nobis videtur admodum longum, est instar unius diei, & apud quem unus dies & mille anni non differunt, quod ad proportionem attinet mensuræ.

Vers. 9. *Non tardat Dominus qui promisit, (ut nonnulli tarditatem* hanc esse *ducunt,) sed patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*

Responsio 2. Hæc dilatio non provenit ex tarditate, ut judicant nonnulli, sed ex patientia DEI erga nos electos scilicet, quorum multi nondum convertuntur, & quorum nullos vult DEUS perire, sed omnes suo tempore ad resipiscentiam pervenire, quod fieri non posset nisi in tempus

maturum

maturum differretur CHRISTI adventus. Nam si DEUS anticiparet judicii tempus à se decretum, aliqui eorum perirent quos ab æterno elegit ad salutem.

Vers. 10 *Veniet autem, sicut fur in nocte dies ille Domini, quo Cœli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terràque & quæ in ea sunt opera exurentur.*

Responsio 3. & Arg. 5. refutationis irrisorum à modo adventus Domini, qui describitur in tribus: 1. Erit hominibus improvisus, quomodo fures venire solent, quo tempore sciunt se minimè expectari: 2. Erit cum universi totius maxima mutatione, & 3. Cum abolitione omnium, in quibus athei felicitatem suam in hoc mundo quærere solent, siquidem cœli cum stridore præteribunt, elementa æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur: adeo ut soliciti debeant omnes esse ad semetipsos parandos, potius quam quicquam curiosè de modo vel tempore adventus scisciari, vel de tarditate conqueri.

Secunda pars.

Vers. 11. *Quum igitur hæc omnia solvantur quales oportet esse vos in sanctis conversationibus & pietatis officiis?*

Secunda pars Capitis, in qua doctrinam hanc trahit in usum per hortationem ad sanctitatis studium, & ad perseverantiam in eo. Argumenta hortationis sunt octo: Argumentum primum, Per postulationem testimonii à conscientiis ipsorum: Hæc omnia visibilia præsertim opera quæ in terra sunt, dissolvenda sunt. Ergo sanctitati studendum est.

Vers. 12. *Expectantes & properantes* ad *adventum diei Dei, in quo Cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent?*

Arg. 2. Quia sic decet vos, qui spe expectatis, & desiderio properatis in occursum Domini adventantis, id est, oportet vos spe adventus CHRISTI patienter laborare in vocatione vestra, & sanctitati studere.

In quo] Arg. 3. Quia Domini adventus ad judicium adeo terribilis futurus est, ut cœli conflagrantes solvendi sint, & elementa æstuantia liquefacienda sint.

Vers. 13 *Sed Cœlos novos ac terram novam secundum promissum expectamus, in quibus justitia inhabitat.*

Vers. 14. *Quapropter, dilecti, hæc expectantes, studete ut immaculati & incontaminati ab eo reperiamini cum pace.*

Arg. 4. Quia secundùm DEI promissa *Isa. 65.* 17, & *66.* 22. Expectamus novos cœlos, & novam terram, in quibus soli justi habitabunt: Ergo sanctitati & justitiæ studere debemus, qui hanc spem habemus. Nominat autem & cœlos & terram habitaculum justorum, quia totus mundus erit possessio & Palatium, & regnum electorum; qui comitabuntur CHRISTUM quocunque proficiscetur.

Studete] Cum repetita hortatione ad sanctitatem, addit Arg. 5 Studentes ut sitis immaculati, & irreprehensibiles inveniemini à CHRISTO in pace, id est, reconciliati DEO & pro amicis CHRISTI, ab eo ubi ad judicium venerit, habebimini.

Vers. 15, *Dominique nostri patientiam, salutem arbitremini; sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data sapientia scripsit vobis:*

Arg 6. Cum occupatione objectionis, Tantum abest ut tædio frangi debeatis, quia CHRISTUS differre videtur adventum, ut contra prosigno salutis dandæ omnibus vobis existimare debeatis, hanc non moram, sed *tolerantiam* potius Domini & tarditatem ad iram.

Sicut] Arg. 7. Paulus in sua Epistolâ ad vos Hebræos scriptâ, (pro non exigua sapientiæ sibi datæ mensura) diligenter hortatus est ad studium sanctitatis, & ad patientiam sub spe adventus Domini, ut multis locis, sic præcipuè in fine *Cap.* 10. *vers.* 36. Ergo sanctitati & patientiæ studendum est.

Vers. 16. *Ut qui in omnibus ferè epistolis loquatur de istis: inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parùmque, stabiles detorquent, ut & reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio.*

Ex mentione facta Epistolæ Pauli ad Hebræos captat occasionem commendandi reliquas Pauli Epistolas pro Canonicis, & tollit scandalum difficultatis quorundam locorum in ipsius Epistolis, ex eo, Quod non detorqueantur nec Pauli dicta, nec aliæ Scripturæ ullæ nisi ab indoctis vel instabilibus, vel perversis hominibus, idque in perniciem suam ipsorum, qui pervertunt eas.

Vers. 17. *Vos igitur, dilecti, qui hæc præscitis cavete ne illorum nefariorum errore abducti, excidatis à propria stabilitate:*

Vers. 18,

Vers. 18 *Sed crescite in gratia & agnitione Domini nostri & Servatoris Iesu Christi: cui gloria & nunc & ad tempus sempiternum. Amen.*

Arg. 8. Hortationis modo propositum, ad carnis ignaviam excutiendam. Præmoniti de falsorum Doctorum erroribus, quibus discipulos suos seducunt à via veritatis & sanctitatis, non tantùm cavere vobis tantò magis debetis, ne excidatis à propria stabilitate, (id est, à fide & obedientia doctrinæ CHRISTI, in qua fixo animi proposito jam statis) sed etiam studere debetis ut proficiatis & crescatis in gratia seu sanctitate, & in notitia seu fide Domini nostri IESU CHRISTI.

Cui gloria] Claudit Epistolam doxologia insigni, qua CHRISTUM verum DEUM agnoscit: nam DEO soli debetur gloria; CHRISTUM autem & *nunc*, dum in hac mundi militiâ versamur, glorificandum proponit, & etiam in futuro seculo, quod vocat diem æternitatis, quia tota æternitas una dies est. Ipsi sit gloria, AMEN.

EXPOSITIO ANALYTICA *PRIMÆ EPISTOLÆ* IOANNIS. *Summarium.*

Ioannis Apostoli (qui & Evangelium scripsit, & Apocalypsin) tres extant Epistolæ. Hujus quæ prima est scopus est docere qui ratione habeamus communionem cum Deo, & quo pacto de ea communione certi esse possimus, ad plenam consolationem in vita & in morte. In quem finem proponit summam doctrinæ Evangelicæ, Capite primo. *Usum hujus doctrinæ ostendit in variis hortationibus, nempe ad studium sanctitatis, ad dilectionem fratrum, ad odium mundi, & constantiam in fide*, Capite secundo. *Prosequitur hortationem ad studium justitiæ & fraternæ dilectionis*, Capite tertio

Similiter, post hortationem ad cavendum à seductoribus, pergit in hortatione ad diligendum fratres, Capite quarto. *Denique, Vt credentes sciant se vitam habere, & scientes magis magisque credant in Iesum Christum, notas Fidelium, & Argumenta ad credendum abundè cumulat,* Capite quinto.

Artificiosa valde est hujus Epistolæ Methodus, Nam ad modum catenæ, Christiana Fidei mysteria, & axiomata connectuntur. Semper enim ex fine præcedentis doctrinæ sequentem tractationem oritur.

Caput Primum.

HOC Capite summam Doctrinæ Euangelicæ à se & reliquis Apostolis prædicatæ, proponit. Capitis duæ sunt partes, In prima confirmat præstantiam suæ prædicationis, & objectum fidei salvificæ ostendit, ad versum textum. *In altera notas dat hominis verè fidelis, ad quem gratia Euangelii prædicati vere pertinet, ad finem.*

Vers. 1. *QVod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt de Sermone vitæ.*

Præstantiam Euangelii à se prædicati confirmat octo rationibus:

De Sermone] Ratio prima continetur ultimis hujus versiculi verbis, scilicet, quod ipsius Euangelium tractet de præstantissimo objecto, nempe de *Verbo*, seu Sermone Vitæ, id est, de FILIO DEI IESU CHRISTO, qui dicitur Λογος *Sermo*, ut distinctionem Personæ FILII à PATRE, & ordinem operandi concipiamus, cum *Sermo* sit alicujus, nempe PATRIS Sermo: Et ut doceat generationis FILII modum spiritualem, & immanentem, & inseparabilem esse ejus subsistentiam à PATRE, & ut ejus officium præcipuè respiciamus, quod est DEUM & DEI consilium de nostra salute declarare. Deinde dicitur Sermo *Vitæ*: 1. Quia vitam habet in seipso, & Ipse Vita est: 2. Quia comparavit vitam nobis, eamque ostendit; Et denique, quia eam applicat nobis, efficitque ut vitam æternam vivamus.

Quod erat] Ratio 2. Præstantiæ prædicationis suæ, Quod veritas prædicata antiqua sit, nempe quæ erat ab initio: partim, quatenus nulla unquam erat alia ratio salutis præter unicam hanc in CHRISTO solo, qui est Agnus occisus ab initio mundi. Partim quia CHRISTUS prædicatus ab Apostolo, quoàd divinitatem, ante incarnationem subsistebat ab initio

initio mundi, idem DEI FILIUS & MEDIATOR salutis nostræ: & mundi initio *erat*, cum res creatæ nondum subsisterent, sed *inciperent* esse, seu qui ab æterno idem in æternum est. Subjectum ergo Euangelii nostri excellentissimum est.

Quod vidimus] Ratio 3. Quia veritas prædicata est certa & comperta Apostolis, quippè qui infallibili sensuum testimonio, CHRISTUM ipsum suis temporibus manifestatum in carne, seu incarnatum, oculati & auriti testes observaverant. Partim auribus de die in diem doctrinam CHRISTI, sanctâ & audibili voce prolatam, hauriendo: partim ejus facta & ordinaria & miraculosa, & passiones in carne, & glorificationem in transfiguratione, & resurrectionem à mortuis, oculis videndo; & post penitissimam inquisitionem in rei veritatem, clarissimè perspiciendo: Partim denique ejus carnem, seu humanam naturam assumptam manibus palpando & contrectando. Unde certitudo testimonii ipsorum de CHRISTO exhibito ita constat, ut in dubium vocari non poterit. Excellentissima igitur est veritas à nobis prædicata.

Vers. 2. *(Nam vita patefacta est, & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud Patrem, & patefacta est nobis)*

Ratio 4. in parenthesi interjecta confirmans priorem, De CHRISTO novimus, 1. Quod sit *vita illa*, verus JEHOVAH, qui in se vita est *essentialiter*, & respectu nostri *causaliter*: quippe Autor vitæ nostræ, non naturalis tantùm, sed etiam spiritualis & æternæ, Autor lucis & illuminationis, Autor gratiæ & omnis pii, seu laudabilis motus: 2. Quod divinitùs talis manifestatus sit, & nobis patefactus & per patefactionem visus & agnitus à nobis esse *vita illa*: 3. Quem esse vitam revelatam vidimus & agnovimus, eum testamur esse vitam, & prædicamus vobis, nempè eum esse, & æternum DEUM, & æternæ vitæ nobis communicandæ Procuratorem, Datorem, & Conservatorem: 4. Novimus FILIUM DEI, secundam Trinitatis personam distinctam, quæ ab æterno erat apud Patrem, & à mundo condito agebat rem nostram apud Patrem, & jam revelata est nobis post incarnationem per divinam patefactionem: Idcirco & præstantissima & certissima est hæc nostra veritatis & vitæ prædicatio.

Vers. 3. *Quod*, inquam, *vidimus & audivimus, id annuntiamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra* sit *cum Patre & cum Filio Iesu Christo.*

Ratio

Ratio 5. Per veritatem prædicatam à nobis Apostolis oculatis & auritis testibus, fideles ejusdem felicitatis, & eorundem bonorum nobiscum efficientur participes. Excellentissima est igitur veritas à nobis prædicata.

Et communio] Ratio 6. Qui nobiscum uniuntur in fide prædicatæ à nobis veritatis, etiam cum PATRE & FILIO IESU CHRISTO per SPIRITUS Sancti virtutem unientur. Ergo.

Vers. 4. *Et hæc scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

Ratio 7. Prædicationis nostræ summa ad vos scripta pro fine habet, ut gaudeatis gaudium verum ac spirituale, certi redditi de electione & glorificatione, utque gaudium illud vestrum constet & perficiatur: Meritò ergo excellentissima habenda est.

Vers. 5. *Hoc est igitur nuntium quod audivimus ex ipso, & renuntiamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse ullas.*

Ratio 8. Summa prædicationis nostræ est, quod DEUS sit *Lux*, seu adversùs mala ignorantiæ, errorum, falsitatis, vitiorum & miseriæ, quæ sunt in nobis, præsentissimum & perfectissimum remedium: & quod in se DEUS sit ab his malis alienissimus, adeò ut impossibile sit accedentes ad ipsum decipi, non illuminari & dirigi: à peccatis & miseriâ non liberari, & æternam salutem non consequi: Ergo excellentem esse prædicationem meam, & reliquorum Apostolorum necesse est.

Secunda pars Capitis.

Vers. 6. *Si dixerimus nos societatem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincerè agimus.*

Altera pars Capitis, in qua proponit partim negativè, partim affirmativè notas seu indicia verè fidelis, qui particeps futurus est bonorum in Euangelio promissorum. Notæ autem sunt quinque.

Nota prima, negativè proponitur cum sui confirmatione, Vere fidelis non ambulat in tenebris, non est deditus peccato, vitam agens secundùm cupiditates carnales; quia si quis profitetur se cum DEO, qui lux & sanctitas est communionem habere, & interim ambulat in peccatorum suorum tenebris, hypocrita & mendax est, utpote qui non facit quod rectum est, sed quod ore profitetur, operibus negat.

Vers. 7. *Quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam, & sanguis Iesu Christi Filii ejus purgat nos ab omni peccato.*

Nota

Nota 2. Affirmativè proponitur, Qui ambulat in luce, seu qui sanctitati studet, ut conformis sit DEO, qui lux seu perfecta sanctitas est, is est vere fidelis, verè communionem habens cum DEO & sanctis, & ad quem fructus mortis CHRISTI ad peccatorum remissionem solidè pertinet.

Vers. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est.*

Nota 3 negativa. Verè fidelis, non ita est justus in oculis suis, ut vel verbo vel facto neget se peccare posse, vel peccasse post justificationem, vel qui (quasi non egeret quotidiana CHRISTI intercessione, meritique ipsius applicatione quotidianâ ad conscientiæ à novo reatu liberationem) non tangatur peccati sensu, ita ut ad CHRISTUM liberatorem subindè confugiat. Quisquis enim sive verbo, sive opere, & reipsâ sic negat se peccatum habere in præsenti, seipsum decipit, & hypocrita est, in quo non est sinceritas.

Vers. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate.*

Nota 4. Verè fidelis tali sensu peccatorum suorum subindè afficitur, ut ea agnoscat coram DEO, & confiteatur ex animo, mortem se mereri æternam, nec posse expiari reatum suum aliter, quam merito sanguinis Filii DEI nec nisi divina SPIRITUS CHRISTI virtute, posse se sanctificari, seu à peccati immunditie liberari.

Fidelis] Ei qui sic confitetur peccata Apostolus promittit ex fidelitate & justitia DEI fore, ut absolvatur à peccati reatu, & purgetur, seu sanctificetur à peccati labe: fidelis enim est DEUS, qui ista promisit, & justus est DEUS, qui satisfactionem nactus a CHRISTO Sponsore, non exigat debitum ab eo, pro quo satisfecit CHRISTUS, sed contrà præstet fideli omnia bona, quæ in ipsius salutem CHRISTUS emit.

Vers. 10. *Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum & sermo ejus non est in nobis.*

Nota 5. negativa. Qui verè fidelis est, nec negat, nec extenuat peccata præterita, quasi vel cum Pharisæo illo omnia DEI mandata præstitisset à juventute; vel quasi originale peccatum vel nullum esset, vel morte minimè dignum: Nec impænitens est, quasi quæ admiserit, leviora peccata sint, seu venialia, quæ expiatione sanguinis CHRISTI non opus habeant, vel quasi in naturâ ipsius non esset tanta corruptio, quin

libero

libero suo arbitrio se ad gratiam disponere & gratiam mereri, vel saltem consequi se posse, suis viribus confidat. Nam qui vel sic, vel ullo alio modo directè vel indirectè negat se peccasse, & per consequens negat mortis adeo reum se esse vel fuisse, ut opus fuerit tanta expiatione, quanta est mors filii DEI, blasphemus est in DEUM, (eum arguens mendacii qui in verbo suo peccatores, & mortis reos omnes peregit, nec ullam esse remissionem peccatorum nisi per sanguinem Filii sui affirmavit) nec sermo DEI per fidem unquam receptus est in ejus corde: id est, nunquam fidem habuit doctrinæ legis, nedum Euangelii.

Caput Secundum.

VRget usum superioris doctrinæ tota reliqua Epistola, in quem finem proponuntur hortationes quinque hoc capite. Prima, ad vers. 9. *Secunda, ad* vers 15. *Tertia ad* vers. 18. *Quarta ad* vers. 29. *Quinta, versu ultimo.*

Vers. 1. *FIlioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis. Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum justum.*

Hortatio prima est ad studium sanctitatis ne peccarent. Rationes hortationis præter amicam compellationem sunt undecim.

Ratio prima, Quia hic finis & usus est doctrinæ Euangelicæ & scriptionis Apostoli. *Hæc scribo ne peccetis*, inquit, Ergo studete sanctimoniæ.

Quod si] Ratio 2. Si studueritis sanctimoniæ, peccata in quæ fortè incidetis, per intercessionem IESU CHRISTI Advocati, & Domini nostri, auferentur. Ergo sanctimoniæ operam date. Cum *unum* Advocatum nominat, alios omnes excludit, alioqui enim CHRISTUS esset non *simpliciter* Advocatus noster, sed ex Advocatis unus.

Justum] Ratio 3. confirmans etiam priorem; CHRISTUS Advocatus *justus* est, id est, non tantum idoneus qui intercedat pro peccatoribus, propter justitiam *personæ* suæ, sed etiam justus in *officio* suo, qui nihil postulet à Patre nomine nostro, nisi quod ex pacto & mortis merito, intercedenti pro nobis justè debetur. Justus etiam est ut nos justitiâ suâ imputatâ tegat. Et justus denique, qui ex pacto Redemptionis nos injustitiæ

justitiæ studio promoveat, à lapsibus resuscitet, & plenè tandem justos seu sanctos reddat. Ergo & debent fideles sanctitati studere, & si fortè labantur in peccatum, virtutem intercessionis CHRISTI sperare.

Vers. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm sed etiam pro totius mundi* peccatis.

Ratio 4. confirmans etiam rationem secundam, Mors CHRISTI victima expiatoria, fuit oblata, non tantum pro nobis ex Judæis electis scilicet, & ad fidem CHRISTI conversis, sed etiam pro peccatis omnium Electorum, seu redemptorum in mundo. Ergo cavere debetis à peccati malo, quod non nisi CHRISTI morte expiari potuit: & si peccetis, expiationis adeo divitis & intercessionis CHRISTI virtutem confidenter expectare.

Vers. 3. *Et per hoc scimus nos eum nosse, si mandata ipsius observamus.*

Ratio hortationis ad studium sanctitatis, quinta. Per studium sincerè observandi DEI præcepta, tanquam per firmum indicium, cognoscere poteritis fidei vestræ veritatem, seu quod verè credatis in DEUM, eumque sincerè diligatis. Ergo studete sanctimoniæ, seu ne peccetis.

Vers. 4 *Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & in eo veritas non est:*

Ratio 6. Qui profitetur se nôsse DEUM, id est, credere in Eum, Eumque diligere, & sanctitati non studet (nam secundum Euangelii stylum, sincerè operam dare sanctitati, est mandata servare) hypocrita est, in quo non est sinceritas, seu fidei veritas: Ergo Sanctimoniæ studete.

Vers. 5. *Qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei expleta est: per hoc scimus nos in ipso esse.*

Ratio 7. Qui studet sanctitati, probat sinceritatem dilectionis suæ erga DEUM, quæ dilectio impletur, seu sincera esse declaratur, ex studio custodiendi sermonem DEI, eiquæ obediendi. Studendum igitur Sanctitati. *Per hoc*] Ratio 8. Qui studet sanctitati, seu non peccare, seu sermonem DEI custodire, indicium habet suæ cum DEO communionis, & scit se in CHRISTO per fidem habitare, Ergo, *&c.*

Vers. 6 *Qui dicit se in eo habitare, debet, sicut ille ambulavit, ita & ipse ambulare.*

Ratio 9. confirmans priorem. Quicunque profitetur communionem

se habere cum CHRISTO, debet sanctitati studere, seu in vita & conversatione CHRISTUM imitari. Ergo Sanctimoniæ studendum est.

Vers. 7. *Fratres, novam doctrinam non scribo vobis, sed doctrinam veterem, quam* videlicet *habuistis* jam inde *a principio: vetus hæc doctrina, sermo ille est quem audistis* jam inde *à principio.*

Ratio 10. Nullum novum officium à vobis exigo, cum urgeo sanctitatis studium, seu mandatorum DEI observationem, sed vetus mandatum repeto, quod non solum à CHRISTO & ejus ministris, ab initio audivistis, sed etiam ex Lege & Prophetis vobis commendatum habuistis. Ergo Sanctitati studete.

Vers. 8. *E contrario doctrinam novam scribo vobis, quod verum est in ipso, & in vobis: quia tenebræ præterennt, & vera illa lux jam lucet.*

Ratio 11. Mandatum hoc non est vetus in vetustate literæ, quale olim erat quandiu sub fœdere operum irregeniti degebatis, quando lex jubebat, & vires nullas ad præstandum conferebat, sed novum est in novitate spiritus: ad quod præstandum CHRISTUS gratiam subindè novam suppeditaturus est vobis. Ergo sanctitati studendum est.

Id quod] Quid sit novum mandatum ipse exponit proximis verbis, affirmans mandatum novum, esse & respectu CHRISTI, qui scilicet mandatum vivificat, & respectu ipsorum, qui novæ creaturæ jam facti erant per regenerationem, id est, quibus gratia suppeditata & porro suppeditanda erat ad obedientiam.

Quia tenebræ] Ratio redditur in hunc sensum, Quia non estis sub lege, sed sub gratia; non estis in statu irregenerationis, sed renovati. Nam *tenebræ* nempe fœderis legalis, & status irregenerationis, transierunt, & jam CHRISTUS qui vitam & gratiam affert secum, & *vera est lux*, vobis fidelibus ut Sol justitiæ ortus est, & lucem simul & calorem vitæ, vobis communicavit. Ergo præceptum vobis novum est, ut animari debeatis ad studium sanctitatis alacrius prosequendum.

Vers. 9. *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.*

Secunda hortatio contrahens superiorem ad dilectionem Fratrum: Argumenta hortationis sunt decem, præter illa duo quæ proximè recitata.

recitata sunt, & huc etiam referri possunt. Argumentum primum, Quicunque profitetur se in luce esse, seu regeneratum, & odit fratrem, adhuc in tenebris ignorantiæ & peccati jacet irregenitus. Studendum ergo dilectioni fraternæ.

Vers. 10 *Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est.*

Arg. 2. Qui diligit fratrem suum, manet in luce, & perseverat in via veritatis, sortem & conditionem Sanctorum aliqua ex parte possidens: Ergo studendum, *&c.*

Et offendiculum] Arg. 3. Qui diligit fratrem, nec ipse impingit in via sanctitatis (semper videns quo vadat, nempe ad DEUM ex fide per viam obedientiæ) nec aliis offendiculum præbet, quo vel inducantur in peccatum, vel indurentur in peccato. Studendum ergo dilectioni fraternæ.

Vers. 11. *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat: & nescit quò eat, quia tenebræ oculos ipsius obcæcarunt.*

Arg. 4. Qui odit fratrem, totus in peccato jacet & perseverat, & deflectens de via recta, quæ ad salutem ducit, fertur in præcipitium, ignorans quo tendat, quia peccato occæcatur ejus mens: Ergo dilectioni fraternæ studendum.

Vers. 12 *Scribo vobis filioli, quoniam remissa sunt vobis peccata, propter nomen ejus.*

Arg. 5. O Fideles filioli & DEI, & mei, gratis remissa sunt vobis peccata vestra propter nomen CHRISTI, id est, propter CHRISTI meritum, quod vobis prædicatum est, & fide apprehensum à vobis: Scriptâ ergo hâc hortatione ad sanctimoniam & fraternam dilectionem obstricti tenemini ad obediendum ei.

Vers. 13. *Scribo vobis, patres, quoniam nostis eum qui à principio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam Malum illum vicistis. Scribo vobis, pueruli, quoniam nostis Patrem.*

Arg. 6. Ab omnis ætatis & ordinis fidelibus sine exceptione, requiritur studium sanctitatis, & fraternæ dilectionis: nominatim à senioribus, qui propterea tenemini obedire, quia admissi estis ad cognitionem Antiqui dierum, seu æterni Filii DEI; cujus cognitio vos beatiores reddidit, quam omnis illa vestra exusu & experientia multorum annorum hausta rerum

cognitio. Ergo studendum, &c. *Adolescentes*] Arg. 7. Quia sicut omnes, sic adolescentes tenentur obedire, propterea quod victoria data sit illis contra Diabolum in Christo. In quo etiam vires ad quotidie vincendum suppeditantur, quæ victoria bellicas omnes laudes superat.

Pueruli] Arg. 8. Quia sicut omnes, sic Pueri fideles tenentur obedire his hortationibus, quia quamvis rerum mundanarum nondum periti sint, Deus seipsis Patrem in Christo demonstravit, & dedit ipsis ut Deum Patrem suum agnoscerent: Ergo.

Vers. 14. *Scripsi vobis, patres, quoniam noſtis eum qui est à principio. Scripsi vobis, Adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis, & illum Malum vicistis.*

Patres] Arg. 9 Novâ vi repetens sextum Argumentum, Quia sicut omnes, sic imprimis seniores fideles tenentur obedire hortationi, quod ipsis potiùs quam aliis datum sit cognoscere æternum Dei Filium, quod beneficium etiam atque etiam in considerationem venire debet.

Adolescentes] Arg. 10. Novâ vi repetens Argumentum septimum, Quia sicut omnes, sic etiam Adolescentes fideles tenentur obedire hortationi, quandoquidem Deus ipsos in Christo, primò, ex alto induerit robore spirituali, quod naturali longè præstantius est. Secundò, Et sermonem suum ipsorum animis per Spiritum indiderit, ut per fidem constanter in iis maneret: Tertiò, Et dedit ipsis etiam ut per Christum vincerent Diabolum; Faciunt etiam hæc Argumenta ad sequentem hortationem.

Vers. 15 *Ne diligite mundum, neque ea quæ in mundo sunt, si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

Hortatio 3. Ad cavendum amorem mundi, & eorum quæ in mundo sunt. Per mundum intelligit conditionem hominum irregenitorum, in qua sibi placent, feliceſque sibi videntur. Per ea *quæ in mundo sunt*, intelligit illecebras, seu ejusmodi bona quibus homines irregeniti capiuntur, quales sunt voluptates, divitiæ, honores. *Diligere*, est in pretio habere, affectare. Argumenta hortationis sunt quatuor.

Si quis] Argumentum primum, Dilectio mundi ad res mundanas cor alligat, & excludit dilectionem Dei, seu Patris, siquidem cor non potest ferri ad contraria studia, vel oppositis dominis servire: Ergo cavenda dilectio mundi.

Vers. 16

Vers. 16. *Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est.*

Arg. 2 confirmans superius, Studia mundanorum hominum ad quæ feruntur homines pleno impetu, quales sunt *Cupiditas carnis*, seu voluptas sensualis, gulæ & libidinis; *Cupiditas oculorum*, seu avaritia inordinatè appetens utilia; & *fastus vitæ*, seu cupiditas honorum inordinata, in vivendi genere; hæc, inquit, studia non sunt à DEO, sed à corruptelis hominum irregenitorum. Ergo cavenda.

Vers. 17 *Porrò mundus præterit, & cupiditas ipsius. Qui verò præstat voluntatem Dei, manet in æternum.*

Arg. 3. Conditio mundanorum hominum, & quæ in hac conditione delectabilia videntur, varia sunt & mox transitura. Ergo non sunt diligenda. *Qui verò*] Arg. 4. Qui renunciat voluntati suæ perversæ, & voluntati hominum pravorum, & studet DEI voluntatem facere, vivet in æternum. Cavenda ergo dilectio mundi. Faciunt & hæc ad ea quæ sequuntur.

Vers. 18. *Tueruli, ultimum tempus adest: & sicut audistis antichristum venturum, etiam nunc antichristi multi cœperunt esse, unde scimus ultimum tempus adesse.*

Hortatio 4. Ut caveant sibi à seductoribus, & ne deficiant à vera fide, sed ut constantes maneant in fide & obedientia veritatis.

Pueruli] Rationes hortationis sunt quindecim: Ratio prima, Ut pueruli opus habetis cautione. Idcirco cavere tenemini. *Tempus*] Ratio 2. Nunc tempus est, quo periculum est à seductoribus, *ultima scilicet hora*, & ultimum mundi tempus, in quo DIABOLUS maximè insanit, sciens quod tempus breve sit, & in quo vigilare, & se parare debent omnes ad judicium in secundo CHRISTI adventu futurum, Ergo.

Et sicut] Ratio 3 confirmans priorem, Secundum prænonitionem à CHRISTO & Apostolis factam, de venturo illo Antichristo insigni, venerunt multi præcursores Antichristi, qui sub specie DOCTORUM, seducunt homines à CHRISTO, & CHRISTI adversarii sunt. Ergo tempus est ultimum, in quo periculum est à seductoribus, à quibus vobis sedulò cavendum est.

Vers. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed* hoc factum est, *ut patefieret non omnes esse ex nobis.*

Ratio 4.

Ratio 4. Apostatæ discedentes ab externa communione vere Fidelium, non sunt de numero verè Credentium: Ergo ab Apostasia & Seductoribus cavendum vobis est.

Nam si fuissent ex nobis] Ratio 5. confirmans priorem, Qui sunt ex numero verè Fidelium seu Electorum, manent in societate veræ Ecclesiæ, & in communione doctrinæ Apostolicæ: Et sic se declarant esse verè Fideles: qui verò deficiunt, Illi (quatenus DEI consilium respicitur) discedunt à doctrina Apostolorum, eo fine ut manifestetur ipsorum hypocrisis, & ut declarentur non esse ex numero verè Fidelium. Ergo si velletis censeri à DEO, vel hominibus verè Fideles, seu non ex numero hypocritarum, ab apostasia & seductoribus, vobis cavendum est.

Vers. 20. *At vos unctionem habetis à Sancto illo* profectam, *& nostis omnia*.

Ratio 6. Donis necessariis & auxilio SPIRITUS Sancti instructi estis, ut salutaria dogmata omnia cognoscatis, atque ita evitetis seductionem Apostatarum. Cavendum vobis igitur.

Vers. 21. *Non scripsi vobis* idcirco *quod veritatem ignoretis; sed quia eam nostis, & nullum mendacium ex veritate esse*.

Ratio 7. Occurrens objectioni, Hortando, seu scribendo ad vos, non arguo vos ignorantiæ, sed ideo hortor ad constantiam, quod sciam vos veritatem nosse, & ea delectari. Hortationi ergo vobis auscultandum est.

Et nullum mendacium] Ratio 8. Admoniti de veritate, satis poteritis mendacium discernere, quod scilicet ad veritatis regulam examinatum, cum veritate minimè congruat. Ergo hortationi meæ eo fine ut examinetis & rejiciatis mendacia, auscultandum est.

Vers. 22. *Quis est mendax nisi qui negat Iesum esse Christum? hic est antichristus negans Patrem & Filium*.

Ratio 9. Seductores à vera doctrina Euangelii sunt, suo quisque ordine, hominum mendacissimi (sicut interrogatio insinuat) quippè qui aliquo modo negant IESUM esse CHRISTUM; talem enim CHRISTUM non agnoscunt, qualem eum Pater in Euangelio nobis offert: nam vel ejus personam vel naturas, vel proprietates naturarum, vel officia, vel virtutem, seu efficaciam, vel gratiam, vel veritatem, vel gloriam, apertè, vel actis cuniculis oppugnant: Ergo cavendum est vobis à seductoribus.

Hic est]

Hic est] Ratio 10. Seductores singuli, qui auditores abducunt à CHRISTO in quovis articulo, sunt Antichristi, negantes & Patrem & Filium; & sic religionem veram, & religionis fundamenta, mendaciis suis evertentes, quippe cum extra CHRISTUM nullus sit verus DEUS: nam in Eo habitat tota plenitudo Deitatis: Cavendum ergo à seductoribus.

Vers. 23. *Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet.*

Confirmat hanc rationem, ex inseparabilitate PATRIS & FILII, ut non possit quis habere Patrem pro DEO suo, qui negat Filium quovis modo, quia DEUS se totum nobis in CHRISTO fruendum dedit, & frustrà alibi quæritur, aut alio modo, quam quo DEUS se manifestavit nobis in CHRISTO: qui nobis ut Patris imago repræsentat, & exhibet quicquid de Patre ad salutem cognitu est necessarium vel utile: & contrà, Quicunque CHRISTO ut Filio DEI debitum honorem exhibent, agnoscentes eum, qualem se in Scripturis patefecit, etiam Patrem agnoscunt, & pro DEO suo habent.

Vers. 24. *Quod igitur audistis à principio, in vobis maneat. Si in vobis manserit quod audistis à principio, vos quoque in Filio & patre manebitis.*

Ratio 11. Verè antiqua & una sibi semper constans veritas DEI, est hæc, quam ut teneatis vos hortor; quam scilicet audivistis ab initio Euangelii, non tantùm prædicati per CHRISTUM, sed etiam promissi, & declarati in Scripturis per Prophetas. Ergo retinenda vobis est ea veritas: & hic scopum seu hortationem profert in apertum.

Si in vobis manserit] Ratio 12. Si doctrinam à CHRISTO & Apostolis secundùm Scripturas vobis traditam retinueritis, permanebitis in societate & amicitia DEI Filii, & Patris: Ergo cavendum vobis à seductoribus.

Vers. 25. *Hæc autem illa est promissio quam ipse pollicitus est nobis*, nempe *vita illa æterna.*

Vers. 26. *Hæc scripsi vobis de iis qui seducunt vos.*

Ratio 13. Hâc conditione nobis promisit DEUS vitam æternam, si retinuerimus doctrinam CHRISTI constanter: Ergo constanter permanendum in fide, & obedientia doctrinæ CHRISTI, & cavendum à seductoribus, qui operam dant ut vos à veritate seducant: & hic rursum scopum horum Argumentorum apertè profitetur Apostolus.

Vers.

Vers. 27. *Sed unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat vos: verùm sicut eadem unctio docet vos de omnibus*, quæ *& verax est, & non mendax: & sicut docuit vos, manebitis in eo.*

Ratio 14. Ut custodiamini à seductoribus multiplici præsidio muniti estis: Primò enim ad externam doctrinam, etiam unctionem, seu SPIRITUM Sanctum, qui vos intus doceat & confirmet in doctrinæ CHRISTI veritate, accepistis à CHRISTO, in sua quisque mensura. Secundò, SPIRITUS ille manet in vobis qui fideles estis, & non aufertur à credentibus. Tertio, Non habetis opus aliquo, qui doceat vos aliud quicquam præter id quod CHRISTI Spiritus in Scriptura docuit, & in cordibus vestris confirmavit, tantum opus habetis hortatione, ut maneatis in CHRISTO, sicut Spiritus seu Unctio in Scripturis loquens, & id quod in Scripturis est, in cordibus vestris confirmans, & porro instituens ex Scripturis in omnibus ad salutem necessariis vos docet: qui Spiritus *Veritas est*, id est, ipsissima Scripturæ; *quæ veritas est*, confirmatio, & *non mendacium*, sed mendaciorum refutator & otor: Ergo constanter vobis manendum est in CHRISTO: sicut Spiritus secundùm veritatem Scripturæ vos docuit, & cavendum vobis à seductoribus.

Vers. 28 *Nunc igitur, Filioli, manete in eo: ut quum patefactus fuerit, habeamus fiduciam, neque pudefiamus coram eo in ipsius adventu.*

Ratio 15. Quicunque non perseverant in fide CHRISTI, nec in ejus communione manent, quicunque demum fuerint in hominum æstimatione, pudefacti discedent à CHRISTO in ejus judicio: Contra vero, Perseverantes in fide, confidenter consistent coram eo. Ergo constanter vobis est permanendum in CHRISTI fide, & cavendum a seductoribus.

Vers. 29. *Si scitis eum justum esse, noscitis, quicunque excercet justitiam, ex ipso natum esse.*

Hortatio 5. quam prosequetur in priori parte sequentis Capitis, nempe ut operam dent Justitiæ, seu ut studeant Sanctitati. Argumenta hortationis sunt quindecim. Arg. 1. A testimonio conscientiæ ipsorum confirmatum, Qui operam dat justitiæ, natus ex DEO est, qui ipse justus est, & testimonium habet suæ adoptionis & regenerationis. Ergo operam date Justitiæ

Caput

Caput Tertium.

PArtes Capitis sunt duæ, *In prima prosequitur hortationis Argumenta reliqua, ad* vers. 11. *In secunda subnectit aliam hortationem ad dilectionem Fratrum, ad finem.*

Vers. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater*, nempe, *ut Filii Dei vocemur: propterea mundus non novit nos, quoniam non novit eum.*

Arg. 2. Hortationis ad studium Justitiæ, Ex mera seu gratuita dilectione DEUS vos fideles honore adoptionis in filios ornavit. Tenemini ergo Patrem vestrum Justitiæ studio referre.

Non novit] Arg. 3. per occupationem objectionis, Impedire non debet studium Justitiæ in vobis, quod mundus non agnoscat vos pro Filius DEI, quandoquidem hic contemptus communis est vobis cum DEO PATRE vestro, quem etiam contemnit mundus; sed potiùs ad unionem & conformitatem cum DEO in justitiæ studio colendam, vos incitare debet: Ergo.

Vers. 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus. Scimus autem fore ut quum* ipse *patefactus fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum sicuti est:*

Arg. 4. Per occupationem alius similis objectionis, Non debet impedire studium justitiæ in vobis, quod nondum appareat gloria vestra, satis est, quod sciamus jus Filiorum DEI jam nobis datum esse, nosque adituros possessionem, quando CHRISTUS manifestabitur, similesque ei in gloria & felicitate futuros, & beatificâ visione ipsius in æternum fruituros: Debetis ergo justitiæ operam dare.

Vers. 3. *Et quisquis habet hanc spem in eo* sitam, *purificat se, sicut & ille purus est.*

Arg. 5. Quicunque habet spem vivam conformitatis cum CHRISTO in gloria, purificat seipsum, ut CHRISTO in hac vita, in puritatis & justitiæ studio conformis sit. Ergo justitiæ studendum.

Vers. 4. *Quisquis committit peccatum, etiam Legem transgreditur: nam peccatum est Legis transgressio.*

Arg. 6. Quicunque non studet justitiæ, sed operam dat peccato, etiam Legis transgressioni operam dat, quia peccatum nihil aliud est quam Legis transgressio, cui si quis operam dat, DEO bellum indicit: Ergo studendum justitiæ.

Vers. 5 *Et scitis illum patefactum esse, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.*

Arg. 7. Eo fine manifestatus est CHRISTUS, ut reatum peccati lueret, & tolleret à suis (quod confirmat ex eo, quod CHRISTUS nullum in se habuerit peccatum pro quo lueret) unde fit, ut qui peccato operam dat, eo ipso contrarium CHRISTO faciat, pretiumque redemptionis vilipendat: Ergo nisi CHRISTO contrarii videri velletis, studendum est Justitiæ.

Vers. 6 *Quisquis in eo manet, non peccat: quisquis peccat, non vidit eum, neque novit eum.*

Arg. 8. Proprietas est omnis fidelis, seu manentis in CHRISTO, non dare operam peccato, sed Justitiæ. Ergo Justitiæ studendum est.

Quisquis] Arg. 9. Quicunque peccato studet aut indulget, falsò prætendit CHRISTI fidem, seu notitiam, quæ sine studio novitatis vitæ esse non potest. Studendum ergo Justitiæ.

Vers. 7. *Filioli, nemo vos seducat: qui exercet justitiam, justus est, sicut ille justus est.*

Arg. 10. Quicunque non ita studet justitiæ, ut operibus & actionibus suis testetur novitatis vitæ studium, seipsum decipit, vel decipi se patitur. Frustra enim persuadent sibi homines se habere sepultam in cordibus justitiam, dum pedes, manus, linguam, & oculos palam occupat iniquitas. Studendum igitur est Justitiæ.

Qui exercet] Hoc Argumentum confirmat, describendo Justum seu Justificatum ex fide, à proprietate ipsius inseparabili, nempe praxi Justitiæ, & conformitate cum DEO cui studet justificatus, ut justitiam suam opere manifestet; Nemo justificatus est, qui non studet justo DEO conformis esse, seu qui opere justitiam non exercet: Decipit ergo se quisquis aliter existimat.

Vers. 8. *Qui committit peccatum, ex Diabolo est: quoniam à principio Diabolus peccat. Ad hoc patefactus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.*

Arg. 11.

Arg. 11. Quicunque operam dat peccato, DIABOLI filius est, patrem suum studiis suis referens: Hoc confirmat à DIABOLI in peccando vetustate, qui statim post creationem peccavit, & ab eo tempore peccandi autor fuit hominibus: Ergo nisi DIABOLI filii haberi vultis, Justitiæ studendum est. *Ad hoc*] Arg. 12. Eo fine CHRISTUS manifestatus est, ut opera DIABOLI solveret, id est, dominium peccati destrueret in suis, & peccati inhabitationem aboleret gradatim, per sanctificationem. Hinc fit ut qui operam peccato dat, ædificet id ad quod destruendum CHRISTUS manifestatus est. Studendum igitur.

Vers. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex DEO natus est.*

Arg. 13 Licet regenitus præoccupari possit à peccato, operam tamen dare peccato non potest, propter regenerationis naturam, seu propter DEI semen manens in ipso (id est, quia DEI Verbum & Spiritus, vel vitalis DEI gratia in regeneratione communicata est in illorum donorum numero, quorum DEUM non pœnitet) cujus vi regenitus perpetuò retrahitur à peccatis, & impellitur ad justitiam sectandam; nec potest peccare, seu peccato indulgere. Ergo nisi vos irregenitos probare vultis, studendum vobis est Justitiæ.

Nec potest] Arg. 14. Regenitus non potest operam dare peccato, quia genitus est ex DEO, qui natum ex se non deserit, sed ita gubernat & movet sui nati cor, ut constanter militet adversus peccatum, & ductum SPIRITUS sequatur: Ergo si à DEO natos vos probare vultis, Justitiæ studendum est.

Vers. 10. *Per hoc manifesti sunt filii Dei & filii Diaboli, quisquis non exercet justitiam, non est ex DEO, & qui non diligit fratrem suum.*

Arg. 15. In hoc differunt regeniti & irregeniti; Filii DEI & filii DIABOLI, quod ii qui sunt ex DEO, studeant justitiæ: illi vero, qui non student justitiæ exercendæ, & nominatim fratrum dilectioni, non sunt ex DEO, sed ex DIABOLO. Justitiæ ergo, & imprimis fraternæ dilectioni studendum vobis est.

Secunda pars

Vers. 11. *Quoniam hoc est nuntium quod audistis à principio, ut diligamus alii alios.*

Hinc ad alteram hortationem dilabitur, scilicet ad diligendos fratres: hortationis argumenta sunt quindecim. Argumentum primum, Præceptum de dilectione fratrum ab initio vocationis vestræ datum est vobis à CHRISTO. Ergo fratres diligite.

Vers. 12 *Non sicut Cain, qui ex illo Malo erat, & occidit fratrem suum. Cujus autem rei gratia occidit eum? quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus justa.*

Arg 2. Dissimiles debent esse fideles Caino, DIABOLI filio & fratricidæ. Ergo *Cujus*] Arg. 3. confirmans & illustrans superius, Qui fratres non diligunt, sed odio habent, odisse DEI gratiam in fratribus comperientur, & in hoc similes esse Caino, qui imaginem DEI in fratre suo odio persequebatur ex invidiâ. Dilectioni fratrum ergo studendum est.

Vers. 13. *Ne miremini, fratres mei, si odit vos mundus.*

Arg. 4. Per occupationem, & retorsionem objectionis. Tantùm abest ut frigescere debeat charitas inter fideles, propterea quod exosos se videant à mundo, ut contrà tantò impensiùs debeant se mutuò diligere. Ergo.

Vers. 14. *Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non diligit fratrem, manet in morte.*

Arg. 5. Ex dilectione fratrum, seu dilectione imaginis DEI in illis certiores reddimur tanquam ex indicio certo, quod nos ipsi regeniti sumus, & translati à morte in vitam.

Qui non] Arg. 6. Qui non diligit fratrem, manet in statu peccati & mortis irregenitus, Ergo ut regenitos vos probetis, diligite fratres.

Vers. 15. *Quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.*

Arg. 7. confirmans superius, Qui non diligit fratrem odio habet eum, & ideo homicida est, & per consequens, nec habet initia vitæ æternæ in se, nec jus ad vitam æternam, sed manet obnoxius morti æternæ. Ergo nisi tales haberi velletis, dilectioni fratrum incumbendum est.

Vers. 16. *Per hoc cognovimus charitatem, quòd ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.*

Arg. 8.

Arg. 8. CHRISTUS nos impensè dilexit, cum vitam suam pro nobis posuit, nos igitur debemus alii alios diligere, exemplum ejus imitantes.

Nos igitur] Arg. 9. Gratitudinem hanc debemus CHRISTO, qui pro nobis & fratribus posuit vitam, ut parati simus vitam nostram profundere in bonum Ecclesiæ, seu fratrum nostrorum: Ergo multo magis affectu sincerò debemus ipsos prosequi, & inferiora officia dilectionis erga eos præstare.

Vers. 17. *Qui verò habuerit mundanas facultates, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Arg. 10. confirmans superius, Qui non sic diligunt fratres, ut egentibus, communicent de facultatibus suis, idque ex misericordiæ visceribus permoti, hypocritæ sunt, & longè absunt ab illa dilectione quæ vitam impendere pro fratribus parata est.

Vers. 18. *Filioli mei, ne diligamus verbo, neque lingua* solùm, *sed opere & veritate.*

Hinc infertur ipsa hortatio: ut opere & veritate, mutuam dilectionem testentur, & non verbis, seu linguâ tantùm.

Vers. 19. *Et per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddemus corda nostra.*

Arg. 11. Per dilectionem fratrum, tanquam per fructum fidei sinceræ cognoscimus nos sinceros esse, seu verè fideles, & ex DEO genitos: Ergo dilectioni fratrum studendum est. *Coram ipso*] Arg. 12. Per dilectionem confirmabimus fiduciam nostram apud DEUM, & conscientiam in luctâ fidei juvabimus ex hoc effectu fidei, ad dandum nobis testimonium absolutionis, seu justificationis per fidem. Ergo.

Vers. 20. *Nam si nos condemnet cor nostrum, potentior est Deus corde nostro, & novit omnia.*

Vers. 21. *Charissimi si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum:*

Hoc Argumentum confirmat per collationem vigilantis, & malæ conscientiæ, hoc versu, in effectis condemnationis; cum conscientia bona, versu sequenti, in effectu absolutionis: Sicut quando mala conscientia condemnat eum qui planè vacuus est fraternæ dilectionis, sententia condemnationis à DEO supremo Judice omniscio rata manet, donec ad

CHRISTUM

CHRISTUM confugiant. Sic ex altera parte, quando bona conscientia (quæ ut ut imperfectionis nos arguat) nos non condemnat, quasi planè destitutos hoc fructu, vel studio proficiendi in dilectione fraterna; fiduciam retinemus adeundi DEUM, ut Patrem nostrum in CHRISTO. Idcirco ex studio fraternæ dilectionis secura reddemus corda nostra coram DEO, ut *vers.* 19. habetur.

Vers. 22. *Et quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta ejus custodimus, & ea quæ ipsi placent facimus.*

Arg. 13. Facit conscientia dilectionis fraternæ ad fiduciam impetrandi ea, quæ secundum DEI voluntatem petimus ab eo bona: quia ratiocinari possumus ex studio custodiendi mandata DEI & faciendi ea, quæ ei placent, nos esse ex numero verè Fidelium, qui per fidem in CHRISTUM, sunt in gratiâ apud DEUM, & quorum preces DEUS non rejicit, sicut hypocritarum & impiorum preces aversatur. Ergo dilectioni fraternæ studendum est.

Vers. 23. *Hæc est igitur ejus doctrina, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus alii alios, sicut mandavit nobis*

Arg. 14. confirmans superius, & objectioni occurrens, nequis supradictis abuteretur ad merita operum, aut justificationem ex operibus tuendum. Præceptum de dilectione fraternâ includitur per consequens in præcepto de fide salvificâ, in CHRISTUM collocandâ. Nam cum DEUS præcipit fidem in CHRISTUM, quæ operetur per charitatem, simul præcipit ut alii alios diligamus. Ergo si quis præcepti de fide in Filium DEI rationem habet, rationem etiam mandati de dilectione mutua habeat necesse est, ut ei obedire studeat. Studendum ergo dilectioni fraternæ.

Vers. 24. *Nam qui servat ejus mandata, in eo habitat, & ipse in eo, & per hoc novimus eum habitare in nobis,* nempe *ex Spiritu quem nobis dedit.*

Arg. 15. In quo est studium obediendi præceptis DEI, & nominatim præcepto de fide in CHRISTUM quæ per dilectionem fratrum efficaciter operatur, is communionem habet cum DEO, & communionem se habere novit per SPIRITUS Sancti gratuitam præsentiam: quam Spiritus præsentiam dignoscere poterit ex ipsius effectu, nempè ex studio obediendi DEI mandato, de viva fide in CHRISTUM per charitatem operante: Ergo dilectioni fratrum studendum est.

Caput

Caput Quartum.

HOC capite Apostolus totus est in stabilienda ipsorum fide, & in dilectione erga fratres excitandâ. Capitis duæ sunt partes: In prima hortatur ad discernendos Spiritus, ut caveant sibi ab impostoribus ad vers. 7. *In altera urget denuò fraternam dilectionem, ad finem.*

Vers. 1. *DIlecti, ne cuivis Spiritui credite, sed probate Spiritus an ex Deo sint, nam multi Pseudoprophetæ venerunt in mundum.*

Ex occasione mentionis factæ, de DEI SPIRITU versu ultimo capitis superioris, hortatur ut nulli spiritui, seu doctrinæ à quovis spiritu profisiscenti priùs habeant fidem, quam examinaverint & probaverint an à DEO sit. Argumenta hortationis sunt sex: Argumetum primum, Multi Pseudoprophetæ seu hæretici exorti sunt, & in mundum apertè jam prodierunt. Ergo non nisi habito examine, ulli doctrinæ, fidem habere debetis.

Vers. 2. *Ex hoc cognoscite Dei Spiritum: Quicunque spiritus confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo est:*

Arg. 2. Paratam habetis regulam, ad quam tanquam ad lapidem lydium examinare potestis omnem spiritum, seu spiritus cujusvis doctrinam, an ex DEO sit. Regulæ prima pars hæc est, Quicunque Spiritus CHRISTI personam secundùm Deitatem in qua existebat ab æterno, & secundùm humanitatem, quam verè assumpsit in incarnatione seriò & reipsâ confitetur, & seriò etiam agnoscit Eum esse CHRISTUM illum, secundùm omnia ejus officia, Eique soli plenam gloriam perfecti Salvatoris tribuit, Is spiritus, seu hæc doctrina, à DEO est.

Vers. 3 *Et quicunque spiritus non confitetur Iesum Christum, in carnem venisse, ex Deo non est: sed hic est ille spiritus Antichristi, de quo audistis eum venturum fuisse, & jam nunc in mundo esse.*

Altera regulæ pars negativa hæc est, Quicunque Spiritus, seu quæcunque doctrina non confitetur reipsa & solidè CHRISTUM IESUM, ad eum modum scilicet qui jam dictus est, sed detrahit quicquam ejus personæ

sonæ, vel officiis, vel virtuti & efficaciæ ad salutem inchoandam &, plenissimè consummandam; is non est à DEO, sed Spiritus est Antichristi, qui Spiritus jam nunc est in mundo, licet nondum invaluerit ita, ut Thronum sibi apertè in Ecclesia erexerit: Ergo cum hanc habeatis regulam, non debetis ullam doctrinam admittere, nisi præmisso examine.

Vers. 4, *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos, quoniam potentior est qui est in vobis, quàm qui in mundo est.*

Arg. 3. Parata est vobis victoria de seductoribus non minus certò, quam si res transacta fuisset. Ne igitur metuatis habito examine, cum iis contendere. *Ex Deo*] Hoc argumentum confirmat tribus rationibus ex DEO: Ratio prima, Electi & regeniti estis à DEO: Ergo certò vincetis seductores. *In vobis*] Ratio 2. Habetis SPIRITUM DEI habitantem in vobis, per quem discernatis impostoras, & caveatis: Ergo certò vincetis seductores. *Major*] Ratio 3. SPIRITUS DEI habitans in vobis potentior est Diabolo, seductore illo Spiritu qui in mundo est, seu in improbis impostoribus: Ergo certò vincetis seductores.

Vers. 5. *Ipsi è mundo sunt, ideò mundana loquuntur, & mundus eos audit.*

Arg. 4 per occupationem objectionis, Non debetis perturbari, quod mendacius seductorum mundus mendax auscultet; siquidem illi seductores de mundo sunt, & mendacia quæ mundo placeant, docent: sed contra tantò studiosiùs cavere, & aversari debetis seductores, quantò mundus illis est addictus magis: Ergo probandi vobis sunt Spiritus an à DEO sint, nec ulla doctrina nisi habito examine, admittenda est à vobis.

Vers. 6. *Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: ex hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.*

Arg. 5. per occupationem etiam objectionis, Cum nos Apostoli & sinceri Doctores à DEO habeamus doctrinam nostram, efficacemque vocationem, & ad fidem CHRISTI, & ad fidei prædicationem, satis est quod Electi DEI, & instituti à DEO audiant nostram doctrinam, ut ut forsan exiguus fuerit ipsorum numerus Ergo audite nos, & spiritus erroris, facto examine rejicite. *Is qui non est*] Arg 6. Proprietas est non renovati hominis, & cui cum DEO nondum ulla est communio, Non adhærere doctrinæ nostræ Apostolicæ, sed seductoribus fidem habere.

Et hoc

Et hoc indicium est, unde discernatur aliquis utrùm Spiritu erroris, an veritatis ducatur: Nam si Apostolorum doctrinæ non auscultaverit quis, erroris spiritu ducitur: si verò quis errores aversetur, & Apostolorum doctrinæ constanter adhæserit, Spiritu veritatis ducitur: Ergo probandi & discernendi vobis sunt Spiritus, ut caveatis seductores.

Secunda pars Capitis

Vers. 7, *Dilecti, diligamus alii alios: nam charitas ex Deo est, quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum.*

Altera pars Capitis, In qua hortatur ad fraternam dilectionem. Argumenta hortationis sunt viginti. Argumentum primum, Dilectio erga Fratres est à Deo, nempe, ut speciale donum, quod Electis solum datum est. Ergo ei studendum. *Quisquis*] Arg. 2. confirmans superius, Qui charitate præditus est erga fratres, *qua fratres*, è numero regenitorum est. Ergo charitati studendum. *Novit*] Arg. 3. Qui dilectionem exercet novit Deum, id est, credit in Eum, Eumque diligit. Ergo dilectioni fratrum studendum est.

Vers. 8. *Qui non diligit, non novit DEVM: nam DEVS est charitas.*

Arg. 4. Qui planè destitutus est charitate; erga Fratres, nec credit in Deum, nec Deum diligit. Hujus ratio redditur, quia Deus est Charitas, totus amor quoad essentiam, totus amabilis in Se, & in Imagine quaque sua. Totus amans nostri, & omnis charitatis Autor seu Effector in omnibus Filiis suis: adeò ut qui destitutus est charitate, Deum non poterit novisse. Studendum ergo charitati.

Vers. 9 *Per hoc patefacta est charitas Dei in nobis, quod Filium illum suum unigenitum misit DEVS in mundum, ut vivamus per eum.*

Arg. 5. confirmans etiam præcedentem rationem, Deus ita dilexit nos, qui ejus populus nunc sumus, ut Filium suum unigenitum miserit in Mundum, ut nos per ipsius passiones liberati à morte, vitam æternam consequeremur: Ergo nos debemus ejus Filios adoptivos, seu Fratres nostros diligere.

Vers. 10. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris,*

Vers. 11. *Dilecti, si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere.*

Arg. 6. confirmans & illustrans superius, DEUS gratis dilexit nos indignos, & immerentes, etiam & hostes, qui amorem ejus non tantùm non meriti sumus, sed ne quidem amorem ejus prius desideravimus, sed DEUS nos prior dilexit, & impensissimè dilexit, mittendo Filium suum, qui se in victimam offerret pro expiandis peccatis nostris, & impetrandis omnibus donis, quæ præparandis nobis ad vitam æternam possidendam, necessaria sunt. Unde sequitur nos debere fraternam dilectionem mutuam colere, *vers.* 11.

Vers. 12. *Deum nemo spectavit unquam: si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat, & charitas ejus expleta est in nobis.*

Arg. 7. Etiamsi DEUS sit invisibilis, qui sensibus corporeis à nemine unquam conspici potuerit in essentia sua, si tamen nos alii alios diligamus, communionem habemus cum eo, & ipse habitare in nobis comperitur: Ergo dilectioni studendum est. *Adimpleta*] Arg. 8. Ex dilectione Fratrum, dilectio nostra erga DEUM perfecta, seu sincera esse demonstratur, qualem DEUS acceptat & probat. Ergo.

Vers. 13. *Per hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis.*

Arg. 9. Nos non tantùm habemus communionem cum DEO, sed etiam in cognitionem certam, & persuasionem ducimur de communione nostrâ cum DEO, & mutuâ quasi inhabitatione, ex eo quod SPIRITUM suum, seu SPIRITUM dilectionis nobis dederit: à quo SPIRITU Ipse separari non potest. Ergo.

Vers. 14 *Nos vero spectavimus, & testamur Patrem misisse Filium qui esset servator mundi.*

Arg. 10. Ab experientia Apostolorum, in hunc sensum, Etiamsi DEUM nemo spectavit unquam, nos tamen Apostoli spectavimus effectum summæ dilectionis in Eo, nempe, quod Pater miserit Filium suum, ut esset Salvator MUNDI, seu Universitatis Electorum suorum Filiorum, per totum Mundum dispersorum, nec possumus celare homines tantum bonum, sed ex dilectione Fratrum electorum quæ in nobis est, testamur intrepidè de dilectione illa DEI erga homines: Ergo omnes Fideles idem pro suo quisque modulo debet facere.

Vers. 15

Vers. 15. *Quisquis confessus fuerit Iesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo.*

Arg. 11. Ex superiori illatum, & superius confirmans; Quia non Apostoli tantùm, sed etiam quicunque fuerit qui ex dilectione Dei & Fratrum, Verbo & Opere confessus fuerit excellentiam & virtutem Iesu Christi Filii Dei, sicut nos facimus, ipsi non minùs quam nobis communio cum Deo, ex mutuâ inhabitatione intercedit. Ergo dilectioni fraternæ studendum est.

Vers. 16. *Et nos cognovimus & credidimus charitatem quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet; & Deus in eo.*

Arg. 12. Ab experientia etiam Apostolorum, in hunc sensum, Nos Apostoli experientia & fide persuasi de Dei charitate erga nos, cogimur, & testimonium ei dare, (quod sit ipsa Charitas, & in Se, & erga suos) eumque & ejus liberos amare: Ergo omnes Fideles qui idem credunt, & experti sunt, similiter facere debent.

DEVS Charitas] Arg. 13. Cum Deus sit Charitas ipsa, quicunque in fide charitatis Divinæ erga se, & studio charitatis exercendæ erga Deum, & Fratres, constanter permanet, constantem habet communionem cum Deo, & Deus cum ipso. Ergo ut fixa maneat hæc communio, dilectioni fraternæ studendum est.

Vers. 17. *Per hoc expleta est charitas in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii; quòd qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo.*

Arg. 14. Et illa Dei erga nos Charitas quæ credenda est, & illa Dei Charitas, quæ nobis exercenda proponitur erga Deum & fratres, completa & sincerâ esse cognoscitur, & implenda urgetur à nobis eo fine, ut in die Judicii coram Deo, intrepidè stemus: utque nunc de eo die cogitantes confidamus, quasi jam ad Dei Tribunal sisteremur: Ergo Charitati studendum est. *Qualis*] Arg. 15. Rationem reddens superioris, Ex charitate Dei in nobis compertâ colligimus solidè nos in hac vita à Deo dilectos, & in hoc mundo esse factos conformes Deo, qui Charitas est: ideoque persuasi esse poterimus, tanquam ex certissimo signo, nos fore in numero eorum quibus non est condemnatio in vita futura. Ergo studendum fraternæ dilectioni.

Vers. 18. *Metus non est in charitate: expleta charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit, non est perfectus in charitate.*

Arg. 16. confirmans superius, Charitas Dei per fidem apprehensa, & charitatem accendens erga Deum & fratres, persuasionem de salute nostra ita confirmat, ut non metuamus nobis ab ira & judicio. & quantò persuasio de Dei erga nos charitate ardentiùs in nobis studium excitat diligendi Deum & proximum, tantò fortiùs ejicitur metus condemnationis, saltem ille qui cum cruciatu jungitur. Ergo Charitati Fratrum, ex persuasione Charitatis Dei in nos, studendum est.

Metuit] Arg. 17. Tanquam aliud consectarium ex superiori Argumento deductum, Quisquis metu condemnationis agitatur, non est satis solidè confirmatus in fide Charitatis Dei, & in exercitio Charitatis erga Deum & Fratres, sed eget incremento & hortationibus, ut proficiat in Charitate ad solidam certitudinem: Ergo omnes qui imperfectionem hanc sentiunt in se, dilectioni fratrum ex persuasione Charitatis Dei erga se studere debent.

Vers. 19. *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.*

Arg. 18. Dilectio qua nos diligimus Deum, non est causa dilectionis qua Deus nos diligit, sed effectus posterior. Ergo studeamus ex persuasione dilectionis Dei erga nos, Deum magis magisque diligere, & quantò impensiùs studebimus Deum diligere in Se, & in Filiis suis se nobis diligendum offerentem, tantò confirmatiores erimus de ejus dilectione erga nos. Studendum ergo charitati.

Vers. 20. *Siquis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit quomodo potest diligere?*

Arg 19. Vana est dilectionis jactantia erga Deum, ubi non est dilectio fratrum, quia gratia Dei non operatur dilectionem Dei sine dilectione fratrum. Ergo, *&c.* *Qui enim*] Hoc argumentum confirmat hac ratione, quia cum magis moveamur ad amandum aspectu, quam auditu: is qui fratrem quem videt, & Dei in eo imaginem non diligit, Deum quem non videt non potest diligere. Vana est igitur dilectionis erga Deum jactantia, ubi non est dilectio fratrum.

Vers. 21. *Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Arg. 20

Arg 20. Eadem autoritas DEI simul utrumque mandatum conjunxit, requirens ab omnibus qui DEUM diligunt, ut fratres etiam suos diligant. Ergo fratrum dilectioni studendum est.

Caput Quintum.

copus principalis totius Epistolæ, & hujus potissimum Capitis, vers. 13. *proponitur, scilicet, ut credentes in* CHRISTUM *sciant se habere vitam æternam, & ut scientes se habere vitam, credant in Christum magis magisque. Capitis duæ sunt partes: In prima describit notas verè Fidelium seu Renatorum, quibus jus datur ad vitam æternam, cum inchoata possessione, ad* vers. 6. *In secundâ argumenta proponit, quæ moveant ut credamus in* CHRISTUM.

Vers. 1. *QUisquis credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est: & quisquis diligit genitorem, diligit etiam eum qui ex eo genitus est.*

Notæ verè Fidelium seu Renatorum, & sincerè Agentium, sunt sex. Nota prima hæc est, Verè Fidelis, seu ex DEO genitus seriò credit IESUM esse *Christum promissum*, scilicet Redemptorem mundi; nam quicunque hanc veritatem solidè imbibit, & corde agnoscit sibi illam applicans, sicut Scriptûra requirit, ex DEO natus est: *Et quisquis*] Nota 2. verè Fidelis. Sic diligit DEUM, ut etiam fratres seu genitos ex DEO, diligat.

Vers. 2. *Per hoc cognoscimus nos diligere filios DEI, quum nos Deum diligimus, & mandata ejus servamus.*

Nota 3. Verè fideles sic diligunt fratres, ut simul diligant DEUM, & ex dilectione DEI studeant ejus mandata servare.

Vers. 3. *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus servemus: & mandata ejus gravia non sunt.*

Nota 4. explicans priorem, Verè Fideles demonstrant charitatis sinceritatem, in studio observandi mandata ex dilectione DEI, adeò ut ejus mandata quantumcunque difficilia, & carni ingrata, illis tamen non sunt gravia, sed quæ lubentissimè cupiant præstare.

Vers. 4.

Vers. 4. *Quoniam quicquid natum est ex Deo, vincit mundum & hæc est victoria quæ vicit mundum,* nempe *fides nostra,*

Nota 5. rationem reddens prioris, Vere Fideles seu Renati vincunt mundum, id est, superant quicquid se opponit DEI Spiritui, nempe, fallacias, illecebras, & terrores mundi, & omnia obstacula, quæ possent eos à studio mandatorum DEI impedire, adeò ut etiamsi conflictus sit quotidianus, non cedant tamen sed certi de triumpho, ut victores opponant se & persequantur hostes. *Et hæc*] Nota 6. explicans priorem, Verè Fideles, non nituntur suis viribus in bello adversùs mundum; sed per fidem innituntur CHRISTO, qui mundum superavit ipsorum nomine, quique vires suppeditat ad vincendum mundum, Quod est vincendi genus certissimum, præclarissimum & plenissimum.

Vers. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Iesum esse Filium Dei?*

Ratio redditur victoriæ reportatæ de mundo per fidem, Quia impossibile est ut quisquam vincat mundum, nisi qui sibi diffidens recumbit per fidem in solam veritatem, & virtutem IESU CHRISTI, ut Omnipotentis Filii DEI, qui non solùm vicit mundum pro suis, sed victores reddit etiam omnes suos.

Secunda pars

Vers. 6. *Hic ille est qui venit per aquam & sanguinem,* nempe *Iesus Christus: non per aquam solùm, sed per aquam & sanguinem: & spiritus is est qui testificatur spiritum veritatem esse.*

Altera pars Capitis, In qua probat credendum esse in CHRISTUM, ut Filium DEI. Argumenta sunt quatuordecim.

Argumentum primum, Quia IESUS CHRISTUS est ille, qui veniens, secum attulit solidam legalium ceremoniarum substantiam, quod ad peccati abolitionem attinet præsertim: nam venit cum *aqua*, seu cum ea sanctitate in Se, & virtute ad sanctificandum suos, quæ per *aquam & ablutiones* in veteri lege significabatur futurâ in Messia cum veniret. Et venit *cum sanguine*, seu cum plenâ expiatione peccati suorum, per propitiatorium sacrificium sanguinis sui, ad tollendum peccata populi sui, in Cruce oblatum. *Non per aquam*] Id confirmat, Quia venit CHRISTUS, non cum una proprietate Mediatoris, quæ est *sanctitas personæ suæ*, & sanctificandi suos virtus *per aquam*, seu ablutiones legales, significata; Sed venit etiam

etiam cum altera proprietate, quæ est *expiatio & plena reconciliatio*, per sanguinis aspersionem seu mactatas pecudes significata. Cujus conjunctionis admirandum symbolum erat fluxus aquæ simul & sanguinis ex latere ejus in cruce, sicut Apostolus noster studiosè observavit in Euangelio suo, *Cp.* 19 34 Ut omnes sciamus CHRISTUM quos justificat eosdem etiam sanctificare, & contra, quoscunque sanctificat, eosdem etiam justificare. Ergo in CHRISTUM credendum est.

Spiritus] Arg. 2. Spiritus idem testatur, id est, Spiritus manifestatio in variis suis donis super CHRISTI discipulos, effusis, testatur & obsignat CHRISTUM esse Filium DEI, suoque dictamine hoc in verè fidelium cordibus fixum reddit. Ergo in CHRISTUM est credendum.

Veritatem] Hoc argumentum confirmat ex eo, quod Spiritus in his operationibus suis verax sit & ab omni impostura alienissimus, quippè qui nihil præter verbum DEI, seu ipsissimam veritatem nobis commendat.

Vers. 7. *Nam tres sunt qui testificantur in Cœlo, Pater Sermo & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.*

Arg. 3. Quia tres personæ Deitatis, PATER, SERMO & SPIRITUS Sanctus, sicut unum sunt Essentia, sic etiam consensu testandi conspirant ad hoc unum confirmandum; *Quod Iesus Christus sit Filius Dei.* Nam Pater de eo testatus est: Primo, voce audibili in CHRISTI Baptismo, & in transfiguratione pronuncians eum esse *filium suum dilectum, in quo acquievit.* Secundo operibus, quæ dedit CHRISTO, ut ea perficeret, *Joh.* 5. 19. 36. Deinde, *Sermo*, seu Verbum testatur de CHRISTO, hoc est, CHRISTUS (qua DEUS est) testatur de seipso incarnato, quod sit Filius DEI, partim vivâ voce affirmans id sæpissimè, partim in tota doctrinâ manifestum faciens, quod is ipse sit qui è sinu Patris prodiit, & ejus consilium de hominum salute patefecit. *Qui supernè venit*, qui *è Cœlo venit supra omnes est*, *Joh.* 4. 31. Tertio, *Spiritus sanctus* testatur IESUM CHRISTUM esse Filium DEI, partim descensu super eum in Baptismo ipsius: Partim descensu super ejus Apostolos & Discipulos in die Pentecostes; partim doctrinam CHRISTI, Scripturæ Amanuensibus inspirando, eamque mundo commendando, ut homines doceat, iis persuadeat, & eos confirmet de illa veritate, ut verè divinâ: per eam colligat Ecclesiam, quam in omni veritate ducat ad vitam æternam. Dicuntur hi tres testari in Cœlo Primùm, quia ex *Cœlo* tanquam ex solio pro imperio immediatè testimonium dicunt. Deinde, quia majestas horum testium præcipuè

præcipuè in Cœlo splendet. Tertium, quia non nisi ab animis in Cœlum sublatis auditur, observatur, agnoscitur hoc testimonium. Denique, quia hoc testimonium in Cœlo maximâ ex parte perficitur, etiamsi in terra omnino non reciperetur: Ergo in CHRISTUM propter hoc testimonium est credendum.

Vers. 8. *Et tres sunt qui testificantur in terra, Spiritus & Aqua, & Sanguis: & hi tres in unum consentiunt.*

Arg. 4. Quia tres testes in terra conspirant in hoc unum, ut probent CHRISTUM esse Filium DEI, *Spiritus, Aqua, & Sanguis*: qui testes dicuntur in terra; Primò, quia testimonium hoc mediatum est, & ex operibus in terrâ spectandis profertur. Secundò, quia in hominibus, qui in terra sunt, hujus testimonii dictio scribitur & agnoscitur in Ecclesia visibili scilicet. Denique, quia non tantùm in Ecclesia sonat hoc testimonium, sed etiam vocem edit inter mundanos, & auditur ab iis, ad ipsorum convictionem: Nam primò *Spiritus*, seu Spiritus manifestatio partim in donis miraculosis, quæ in Ecclesiam effusa sunt usque ad mundi stuporem, ad satis multos annos post CHRISTI ascensionem: Partim in donis ordinariis, quæ & in Ecclesia etiamnum vigent, sufficit & ad testandum, quod CHRISTUS qui inter nos est prædicatus, DEUS sit; & ad extorquendam confessionem ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, quod DEUS sit in nobis, qui in CHRISTUM credimus, 1 *Cor.* 14. Deinde Spiritus operatio in cordibus fidelium ita vivificat verba CHRISTI, & per ea instruit, consolatur, & confirmat electos, ut nullum relinquat dubium de CHRISTI Divinate.

Quod ad *aquam* attinet, quæ est CHRISTI virtus sanctificans suos, expresse adeò de CHRISTO loquitur, ut cogantur etiam, qui extra Ecclesiam sunt, videntes in Christianis lucem bonorum operum, glorificare Patrem nostrum, & Patrem CHRISTI, qui in cœlo est, ita ut etiam in fœminis perspecta, maritos infideles, qui verbum DEI initio non agnoverunt, ad DEUM adduxerit, 1 *Pet.* 3. 1.

Denique quod ad *sanguinem* attinet, qui est pretium redemptionis, & CHRISTI virtus expians peccata, & reconcilians homines DEO; loquitur ille sanguis meliora quam sanguis Abelis, ut conscientias Fidelium tranquillas & pacatas reddat, aditum ad DEI Thronum aperiat, & corda ipsorum adversus mundum, omniaque quæ in eo sunt adversa ita confirmet, ut audeant & valeant, etiam sanguine suo testimonii hujus dictionem

ctionem ipsis etiam audientibus hostibus in mediis tormentis cum gaudio, resonare, *Apoc.* 12. 11. Ergo debemus in CHRISTUM ut Filium DEI credere.

Vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei, majus est: nam hoc est testimonium DEI, quod testificatus est de Filio suo,*

Arg. 5. Propter testimonium verorum hominum credimus eorum assertionibus: Ergo propter majus testimonium DEI, de Filio suo testantis credere debemus in CHRISTUM, ut Filium DEI.

Vers. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio quod testificatus est Deus de Filio suo.*

Arg. 6. Qui credit in CHRISTUM ut Filium DEI, tantam comperit certitudinem sibi factam, ut in testimonio Spiritus, veritatem hanc verbi divini intus confirmantis acquiescat, Ergo, *&c.*

Qui non credit] Arg. 7. Qui non credit in CHRISTUM ut Filium DEI, reipsa DEUM accusat mendacii, quia ejus testimonium de Filio suo rejicit, quasi falsum esset. Ergo credendum in CHRISTUM ut DEI FILIUM.

Vers. 11. *Est autem hoc testimonium*, nempe, *quòd vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus est.*

Arg. 8. Credentes in Filium habent jus ad vitam æternam, quæ est in Filio, ut in Fonte, Procuratore, Datore, Conservatore, sibi datum ex gratia, & confirmatum per testimonii DEI constantiam. Ergo, *&c.*

Vers. 12. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.*

Arg. 9 Qui in amplexibus verè fidei habet FILIUM, habet etiam vitam æternam, non tantùm quoàd jus, sed etiam quoàd inchoatam possessionem, & qui non habet FILIUM per fidem, vel quærit in alio quam in Eo vitam, destituitur & secluditur ab omni vitâ spirituali. Ergo credendum in CHRISTUM ut Filium DEI.

Vers. 13. *Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filii DEI: ut sciatis vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filii DEI.*

Arg. 10. In hunc finem scripta sunt ad Fideles omnia hæc à SPIRITU Sancto per Amanuensem Apostolum, ut certi sint se jam habere vitam æternam, & magis magisque credant in nomen FILII DEI. Ergo in CHRISTUM credendum est.

Vers. 14 *Et hæc est fiducia quam apud Deum habemus ipsum, siquid petierimus secundùm voluntatem ejus, nos audire.*

Arg. 11. Qui credit in CHRISTUM, fiduciam habet accedendi ad DEUM in precibus, & quod benevolam DEI aurem sit experturus in omni petitione, quæ secundùm DEI voluntatem proponitur. Ergo.

Vers. 15. *Quòd si scimus eum audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones quas ab eo petiimus.*

Arg. 12. explicans & confirmans superius, Qui credit in CHRISTUM, cognoscendo se propitium habere DEUM in legitimis suis, seu rectè ordinatis petitionibus, statuere etiam & potest petitiones suas, quas secundùm DEI promissiones proposuit, concessas jam esse à DEO, antequam perficiantur; Atque ita securus esse potest de successu precum suarum. Ergo credendum vel hanc ob causam in CHRISTUM.

Vers. 16. *Si quis viderit fratrem suum peccare peccato* quod *non* est *ad mortem, petet & dabit ei vitam, peccantibus* dico, *non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget.*

Arg. 13. Qui credit in CHRISTUM, non tantùm pro seipso, sed etiam pro fratribus suis delinquentibus ex charitate orans, exaudietur, quibus per peccati meritum, ad interitum vergentibus, & pereuntibus DEUS restituet vitam rogatus à Fideli: Ergo, *&c.*

Non ad mortem]. Excipit in casu peccati in SPIRITUM Sanctum, Quando professor fidei, seu frater, quoàd externam communionem Ecclesiæ incidit in apertam apostasiam à fide CHRISTI, & hostile odium suscipit adversùs Euangelium & Fideles, contrà illuminationem conscientiæ semel factam à SPIRITU Sancto; pro eo qui hoc peccatum admisérit, cum poterit discerni, non jubet precari. Dicitur autem peccatum ad mortem, quia mors æterna peccatum illud consequitur, & qui in ipsum cadit, manet in eo sine resipiscentia, donec detrudatur in infernum.

Vers. 17. *Omnis iniquitas peccatum est: sed est peccatum* quod *non* est *ad mortem.*

Explicat

Explicat dictum, ostendens, quod licet omnis transgressio Legis sit peccatum, cujus propterea stipendium meritum est mors, non tamen omne peccatum consequitur mors; quia alicui remittitur quodvis genus peccati, excepto hoc peccato, quod blasphemia dicitur adversus SPIRITUM Sanctum, quæ nulli unquam remissa est, nec ulli unquam remittetur.

Vers. 18. *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, & Malus ille non tangit eum.*

Arg. 14. Regenitus, seu qui verè credit in FILIUM DEI, conservatur, ne peccet hoc peccatum: imo, nec in ullo peccato jacet perpetuò implicitus, sed per DEI gratiam, seminisque DEI in eo permanentis virtutem, servat se ipsum, ne diabolus hoc peccato ad mortem tangat eum. Ergo in CHRISTUM credendum est.

Vers. 19. *Scimus nos ex DEO esse, & mundum totum in malo jacere.*

Hoc argumentum per modum assumptionis ex thesi applicat in consolationem suam, & Fidelium ad quos scribit, & confirmat quinque rationibus, nempe, quod Fideles, ad quos scribit, conservandi sint unà cum seipso, & perseveraturi in fide & obedientia Euanglii.

Scimus] Ratio prima, Persuasi certò sumus de nostra regeneratione: Ergo persuasum habemus nos non peccaturos illud peccatum irremissibile, nec servituros peccato, sed liberatum iri à diabolo, plenè per CHRISTUM. *Mundum*] Ratio 2. Soli mundani positi sunt in diaboli maligni istius potestate, ut eos ex scelere in scelus præcipitet. Ergo nos qui ex mundo translati sumus in regnum DEI, non sumus in maligni istius potestate, sed ut liberti DEI perseveraturi sumus.

Vers. 20. *Sed scimus Filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus illum qui verax est, & sumus in verace illo, in Filio ejus Christo: hic est verus Deus & vita æterna.*

Ratio 3. Nos certi sumus de CHRISTI Liberatoris adventu in mundum, qui mentes nostras illuminavit suâ gratiâ, & fide in DEUM verâ donavit: Ergo non peccabimus ad mortem, sed perseverabimus.

Et sumus] Ratio 4. Nos communionem habemus cum DEO & CHRISTO, in quo sumus & habitamus per fidem: Ergo intacti ab illo peccato perseverabimus.

Hic est] Ratio 5. CHRISTUS est ipsissimus verus DEUS, & Vita æter-

na, qui in Seipso vita est; Vitæque communicandæ fidelibus Fons, Procurator, Dator, & Conservator est. Ergo certò sumus persuasi de perseverantia nostrâ, & salute æternâ.

Vers. 21. *Filioli, cavete vobis ab idolis. Amen.*

Pro conclusione Epistolæ subjicit brevem admonitionem, ut caveant sibi, seu custodiant se ab idolis, in plurali numero, idque ab omni genere idolorum, quæ quovis modo se ingererent loco veritatis, vel veri Dei, ad abducendum eos à fide veræ doctrinæ, vel à vero cultu, seu obedientia Dei, sub quovisçunque prætextu: eoque magis quia à Diabolo, & ejus assectis obtrudenda erant hæc idola fidelibus, & omni quâ fieri posset arte ipsis insinuanda. Propterea jubet studiosiùs invigilare, & se custodire ab iis, ne quovis modo ab iis polluerentur, nominatim verò ut caverent sibi à simulachris, in quibus Antichristus gloriaturus erat, & per ea mundum decepturus.

EXPOSITIO ANALYTICA *SECVNDÆ EPISTOLÆ* IOANNIS. *Summarium.*

Sicut Lucas librum Euangelii, & Actorum Apostolicorum inscripsit Nobili cuidam Theophilo, in usum omnium Fidelium; Sic Ioannes familiarem hanc Epistolam Nobili cuidam, & sanctæ Matronæ, ejusq; liberis scripsit, non solùm ut doctrinam, quam superiori Epistola universæ Ecclesiæ Fidelium commendaverat, privatæ huic familiæ breviter applicaret, sed etiam ut doceret Pastores quomodo ipsis publicè & per singulas domos docendum sit, *Apostolorum exemplo, Act: 20 20. Partes Epistolæ sunt tres, Præfatio continens directionem Epistolæ, & salutationem, ad* vers. 4. *Hortatio ad perseverantiam in obedientia Euangelii, seu in constanti exercitio Fidei, per charitatem efficacis, ad* vers. 12. *Tertia est conclusio.*

Vers. 1.

Vers. 1. *PResbyter electæ Dominæ, & liberis ejus quos ego verè diligo, nec ego solus, sed & omnes qui norunt veritatem:*

Directio Epistolæ ostendit, quis, quibus, & quo animo Epistolam hanc scripserit. Scriptor est Ioannes Apostolus, qui de autoritate sua in hac familia nihil dubitans, ordinarii & communis Ministerii titulo contentus, se *Presbyterum* vocat, quo nomine ætatem etiam suam jam grandævus notat, quo altiùs iusigeretur ipsius non diu per ætatem victuri, admonitio. Persona ad quam præcipuè scribitur, est Domina electa, ad significationem civilis & debiti honoris, *Dominam* vocat; ad agnitionem felicioris conditionis spiritualis in Domino, *Electam* vocat, siquidem quod hæc matrona ex fidei suæ sinceritate se electam declaraverit elogium præstantius est, quam quod *Domina* in civili conditione ab hominibus habita fuerit: Adjunguntur ejus liberi, quia gratiæ DEI in agnitione CHRISTI cum matre participes erant.

Quod ad animum scribentis erga eos ad quos scribit, attinet, profitetur, & suam dilectionem, & dilectionis suæ sinceritatem, simulque testatur de dilectione omnium aliorum fidelium, qui Euangelii veritatem amplexi erant, & de hac familia audiverant.

Vers. 2. *Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum.*

Utque de sinceritate suæ dilectionis constaret, causam ejus asserit communem fidem veritatis Euangelii, in qua fide perseveraturam confidit Dominam hanc, & liberos ipsius unà cum seipso, reliquisque fidelibus, virtute fructuque veritatis Euangelii in æternum potituros. Tota ergo Præfatio ad confirmationem fidei hujus piæ familiæ comparata est: 1. Quod electa Mater: 2. Quod liberi fideles: 3. Quod dilecti ab Apostolo: 4. Quod dilecti ab omnibus fidelibus: 5. Quod propter veritatem potiùs quam nobilitatem generis, dilecti: 6. Quod veritas Euangelii in illis, & quoàd fidem esset permansura, & quoàd fructum in æternum duratura.

Vers. 3. *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Domino Iesu Christo Filio Patris, cum veritate & charitate.*

In salutatione seu benedictione Apostolica (in qua non nudum votum, sed etiam applicatio quædam optati boni continetur) confirmat eos, primò De DEI erga ipsos *gratia*, seu benevolentia gratuita, qua nos gratis sibi efficit gratos, omniaque largitur nobis, quæ DEI imaginem in nobis

nobis reparent: Deinde de DEI *misericordia* quæ si distinguatur à *gratia*, miseriæ & peccatorum ablutionem significat. Tertiò, de *Dei pace*, quæ reconciliationem, conscientiæ tranquillitatem, omnesque gradus felicitatis inchoatæ, & perficiendæ comprehendit: Et quia frustra expectatur benedictio nisi à vero Fonte, ducit eos ad *Deum Patrem* (à quo tota Divina Essentia communicatur FILIO & SPIRITUI Sancto) & ad Mediatorem CHRISTUM (secundam Deitatis Personam incarnatam, & officio nobis salutari, vestitam) quem vocat *Filium Patris in veritate & in charitate*: Primò, quia plenùs est veritate & gratia unà cum Patre ejusdem Naturæ seu Essentiæ, quippe Filius verissimus & dilectissimus, *Joh.* 1. 14. Deinde, quia non alius est animus Patris, non alia erga nos voluntas, quam est illius, idem utriusque de nobis firmum consilium, eadem erga nos dilectio. Tertio, quia ille veritatem consilii, ac propositi Patris nobis revelat, & dilectionem quâ nos diligit Pater, ille in apertum profert, & ad nos derivat, seu communicat nobis, omnique modo se Patris esse Filium ostendit, in doctrinæ veritate & efficaci amore erga nos, expressam ejus exhibens imaginem.

Vers. 4. *Gavisus sum valdè quòd invenerim ex filiis tuis qui integrè incedant, sicut mandatum accepimus à Patre.*

Sequitur corpus Epistolæ, in qua hortatur Matronam hanc cum liberis suis, ut perseverent in obedientia Euangelii, id est, in fide per charitatem in DEUM & fratres, efficaci. Argumenta hortationis sunt novem: Primum præmittitur hoc versu, in quo gaudium suum professus, quod hactenus hæc familia in obedientia Euangelii perstitisset, confirmat eam quod ad præteritum attinet, ita ut simul excitet ad perseverandum in futuro. Vestra constantia in obedientia Euangelii mihi & fidelibus omnibus qui de vobis audiunt, gaudii spiritualis, & per consequens gratias DEO agendi amplam materiam est suppeditatura. Ergo in fide perseverate.

Vers. 5. *Et nunc rogo te, Domina, non ut mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus à principio, ut diligamus alii alios*

Hinc infert hortationem ad matrem familias præcipuè, sub cujus regimine liberi continebantur, unà cum secundo argumento. Mandatum ad efficaciam fidei demonstrandam in dilectione fratrum, nihil novi in se continet, præter id quod ab initio vocationis vestræ ex DEI dono didicistis, cuique assueviſtis; nempè, ut ex fide & dilectione IESU CHRISTI,

STI, Christianam fraternitatem etiam diligatis: Pergite igitur in obedientia fidei per dilectionem efficacis.

Vers. 6. *Hæc autem est charitas, ut incedamus secundum doctrinam ejus. Hæc est doctrina, ut sicut audistis à principio, ita in eo ambuletis.*

Arg. 3. Nulla alia est vera dilectio vel proximi, vel DEI præter eam, quæ in constanti studio observandi omnia mandata DEI consistit & ambulandi seu proficiendi in illa obedientia. Ergo. Vel sic. Mandatum seu summa doctrinæ nobis in Euangelio traditæ est, ut custodiamus fidem & bonam conscientiam, ut credamus in IESUM CHRISTUM & diligamus proximum. Ergo in fidei seu mandati hujus obedientiâ perseverate.

Vers. 7. *Nam multi impostores ingressi sunt in mundum qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne. Qui est ejusmodi impostor, est & antichristus.*

Arg. 4. Periculum non leve est, ne decipiamini propter seductorum multitudinem, qui per mundum grassantur & se impudenter ostentant. Diligentius igitur studendum ut perseveretis. Seductores autem vocat, non solùm eos, qui CHRISTI personam, officia & virtutem apertè oppugnabant; sed etiam eos qui non confitebantur CHRISTUM nec ei gloriam ascribebant totam, quam ipsi SPIRITUS DEI in sacra Scriptura ascribendam docet. Quicunque enim is fuerit, eatenus Antichristus est, quatenus CHRISTUM non agnoscit & confitetur, qualem se nobis exhibuit in doctrina sua sancta.

Vers. 8 *Attendite vobismetipsis ne perdamus quæ operati sumus, sed ut mercedem plenam recipiamus.*

Arg. 5. Nisi perseveretis constanter in fide vera Euangelii ejusque obedientiâ, amissuri estis omnem fructum fidei, quam hactenus professi estis, & afflictionum etiam quas perpessi estis, & operum quæ prius præstitistis; siquidem per defectionem prodetis fidem vestram nunquam fuisse sinceram sed sine veritate, inanem professionem. Ergo studendum ut promissam mercedem omnibus qui fideliter DEO adhærent, plenam & copiosam per perseverantiam consequamini.

Vers. 9 *Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.*

Arg. 6

Arg. 6. Quicunque transgreditur doctrinam CHRISTI & non permanet in ea constanter, id est, qui diversam doctrinam vel docet vel recipit, vel in doctrinæ CHRISTI obedientia non permanet, communionem nullam habet cum DEO, sed DEI expers est in mundo.

Qui manet] Arg. 7. Qui constanter permanet in fide & obedientia doctrinæ CHRISTI, cum DEO & CHRISTO communionem habet & habiturus est, & pro mercede habet Patrem & filium per Spiritum ipsorum in seipso habitantes.

Vers. 10 *Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec ave ei dicite.*

Arg. 8. per modum præcepti propositum, Usque adeò perseverantiæ in fide studendum est, ut quicunque detectus fuerit seductor hominum à doctrina CHRISTI, vel qui aliam doctrinam doceat, quam CHRISTUS docuit, non debeat hospitio accipi, imò ne vel familiariter salutari, ita scilicet, ut ratio ulla habeatur, aut haberi videatur erroris ejus aut ipsius propter errorem, sed potius omni ratione ita tractari, ut intelligi possit (& ab ipso Pseudopropheta, & ab omnibus) odio haberi errorem, quem docet.

Vers. 11. *Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malis.*

Ratio hujus præcepti seu argumenti redditur, quia, qui in gratiam seductoris facit vel minimum, ex quo colligi potest errorem ipsius in aliquo pretio haberi apud salutantem, vel hospitio excipientem, communicat ipsius malis operibus.

Vers. 12. *Quum multa haberem vobis scribenda, nolui charta & atramento: sed spero me venturum ad vos, & præsentem præsentibus loquuturum, ut gaudium nostrum sit completum:*

Restat conclusio, In qua duo sunt articuli: In primo excusat brevitatem, spe factâ adventus sui ad hanc familiam, & coram plenius ipsam instituendi & confirmandi in doctrina fidei, ut ex doctrina uberiori pleniùs gaudium spirituale perciperent omnes in eâ fideles.

Vers. 13. *Salutant te filii sororis tuæ electæ Amen.*

In secundo articulo dicit salutem huic Matronæ à filiis sororis, quæ etiam fidelis erat, & signa dabat suæ electionis: Epistolæ totius doctrinam obsignans, AMEN.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* IOANNIS *TERTIÆ.*

Gaius ad quem scribit Apostolus, Judæus natione, religione Christianus, lautioris fortunæ homo & abundè in Sanctos liberalis, In gratia apud Ecclesiam in qua vivebat, & in honore apud Pastorem suum ambitiosum Diotrephen, sicut ex ipsa Epistola hæc colligitur. Hinc hortatur Apostolus, ut Ministros aliquos Evangelii, qui has quasi lite as commendatitias ad eum perferebant, liberali excipere hospitio, & discedentes viatico honoraret. Partes Epistolæ sunt tres: In prima est præfatio, ad vers. 3. *In secunda est excitatio Gaii, ad perseverandum in exercitio charitatis & liberalitatis in Sanctos,* ad vers. 13. *In Tertia est conclusio.*

Vers. 1. *Senior Gaio dilecto, quem ego verè diligo.*

Vers. 2. *Dilecte, in primis opto ut prospere agas & valeas, sicut prosperè agit anima tua.*

In directione Epistolæ à se ad Gaium, studium suum erga ipsum declarat, repetita compellatione amicâ: 2. Speciali professione sinceri sui erga ipsum amoris: 3. Precando pro eo, ut prosperum rerum statum Deus ipsi continuaret, potissimùm, ut sanitatem animæ, quam hactenus in fidei & charitatis exercitio ostenderat, ipsi conservaret.

Vers. 3. *Gavisus sum enim valdè quum venissent fratres, & testimonio suo commendassent integritatem tuam, prout tu integrè incedis.*

Secunda pars Epistolæ in qua hortatur ut perseveret in demonstratione charitatis suæ erga Sanctos, & nominatim erga aliquot Dei servos, qui Epistolam hanc perferebant ad ipsum. Argumenta sunt undecim: Quæ probant pergendum esse Gaio, in charitatis officiis.

Argumentum primum, Ex anteacta sinceræ suæ fidei per charitatem efficacis demonstratione. Sinceritatis tuæ testimonium à fratribus venientibus à

bus à te, beneficentiam tuam expertis, & laudem amplissimam consecutus es, & mihi gaudendi pro te, gratias agendi Deo, & gratulandi tibi materiam exhibuisti. Ergo tibi quod supereſt pergendum est in officiis charitatis.

Vers. 4 *Majus istù gaudium non habeo, quum* videlicet *audio filios meos integrè incedere.*

Arg. 2. confirmans & explicans superius, Nullum majus gaudium mihi accidere potest, quam si mei discipuli, quos per Euangelium Deo genui, indies proficiant in veræ fidei & charitatis exercitiis, Pergendum ergo tibi in illis est.

Vers. 5. *Dilecte, fideliter agis quicquid facis erga fratres, & erga peregrinos,*

Arg. 3. Quæ exerces opera misericordiæ & charitatis erga Sanctos Dei servos & peregrinos, hominem te verè fidelem demonstrant. Ergo in iis perge.

Vers. 6. *Qui testimonio suo commendarunt charitatem tuam in conspectu Ecclesiæ: quos rectè facies si prosequutus fueris ut Deo dignum est.*

Arg. 4. Hi fratres, qui has literas ad te perferunt, testimonium publicum perhibuerunt charitatis tuæ in conventu Ecclesiæ publico. Ergo perge de iis & aliis bene mereri.

Rectè facies] Arg. 5. Si jam venientes ad te exceperis sicut prius excepisti, & discedentes, viatico instruxeris, & comitatus fueris, eos aliquousque in via proficiscentes aliò, sicut decet & dignum est deducere ministros Dei, rem præclaram facturus es, & opus dignum pietate tua erga Deum: Vide ut facias ergo.

Vers. 7. *Nam pro nomine ejus profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus.*

Arg. 6. Ad prædicandum nomen Dei, seu Euangelium Christi, qui Deus est, sponte profecti sunt, nihil à Gentibus, neque à conversis, neque à non conversis accipientes, ne occasionem darent cuiquam dicendi, quod emolumenti causa prædicarent Euangelium Gentibus. Ergo tu liberalius cum iis agito.

Vers. 8. *Nos ergo debemus recipere hujusmodi, ut adminiſtri simus veritati.*

Arg. 7.

Arg. 7. Tenentur omnes qui favent Euangelii prædicationi pro facultatibus suis istiusmodi hominum conatus promovere, ut partem habeant in opere Euangelii, prædicatores ipsius sustentando, vel quovis modo adjuvando. Ergo tu hic ne desis.

Vers. 9. *Scripsi Ecclesiæ; sed qui primatum inter eos ambit Diotrephes, non recipit nos.*

Arg. 8. In eum finem scripsi ad Ecclesiam in quâ tu versaris, ut ex publicis sumptibus viaticum illis daretur, sed metuo de successu, propterea quod ambitiosus Diotrephes, qui præ reliquis consortibus eminere studet parvi faciat, & me, & meas literas commendatitias.

Vers. 10. *Propterea si venero, suggeram ipsius facinora quæ facit, verbis improbis garriens in nos; quique etiam his non contentus, neque ipse recipit fratres, & qui volunt* recipere *prohibet, & ex Ecclesia ejicit.*

In ambitiosum hunc primatus amatorem præmonet Apostolus se animadversurum coram Ecclesia cum venerit, & rationes proposîti sui reddit quinque. Ratio prima, Quia Diotrephes mala opera faciebat: 2. Quia verbis malignis deblaterabat in Apostolos, & nominatim in Ioannem, quem ambitioni & humano episcopatui (per istiusmodi hominum ambitionem & artes) irrepenti in Ecclesiam, inimicum noverat: 3. Quia neque hospitio excipiebat, neque ullo alio genere beneficentiæ afficiebat veros Christianos, Apostolicæ doctrinæ in omnibus tenaces: 4. Quia eos, qui excipiebant hospitio, & officiis Christianis prosequebantur illos prædicatores, qui ab Apostolis mittebantur: Edictis & constitutionibus suis tyrannicis prohibebat, cum interminatione excommunicationis, seu ejectionis ex Ecclesia, si contra facerent: 5. Quia transgredientes ipsius mandata, & fratres hujusmodi excipientes hospitio excommunicabat pro imperio.

Vers. 11. *Dilecte, ne imitare quod malum est, sed quod bonum est, qui bene facit, ex DEO est, qui autem male facit, non vidit DEVM.*

Arg. 9. Non debes imitari malos mores tui Pastoris Diotrephis, vel obtemperare ejus edictis nefariis, quia hoc malum esset, & veræ in Deum fidei & charitati repugnans; sed debes imitari id solum quod bonum est, & doctrinæ sanæ conveniens. Perge ergo in charitatis officiis exer-

cendis. *Qui bene*] Arg. 10. confirmans superius, Qui studet benefacere ex DEO genitus est; qui vero studet malefacere, expers est veræ & salvificæ cognitionis DEI, seu fidei in eum. Perge ergo tu bene agere, ut te genitum ex DEO probes.

Vers. 12. *Demetrio testimonium redditum est ab omnibus, & ab ipsa veritate: sed & nos testimonium perhibemus, & nostis testimonium nostrum verum esse.*

Arg. 11. Debes potius Demetrii beneficentiam in sanctos & peregrinos pauperes imitari, de quo omnes, & ipsa rei veritas factis se ostendens testatur, & ipse ego, qui non nisi vera & comperta affirmare soleo, testimonium dico in ejus laudem. Imitare eum ergo, & perge in charitatis officiis.

Vers 13. *Multa possem scribere, sed nolo atramento & calamo tibi scribere:*

Vers. 14. *Spero autem fore ut statim te videam, & ut coram loquamur.*

Restat conclusio, in qua duo sunt articuli. In primo brevitatem excusat Epistolæ, spe facta de adventu suo, & colloquio.

Vers. 15. *Pax tibi: Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.*

In articulo secundo, 1. Salutat Gaium, optando ei pacem, id est; in omnibus, DEI benedictionem: 2. Salutem Gaio nunciat ab amicis sanctis scilicet, qui veri erant amici. 3. Salutare suo nomine jubet, sigillatim & nominatim omnes amicos, id est, sanctos, qui ipsum diligebant.

EXPOSITIO

EXPOSITIO ANALYTICA *EPISTOLÆ* JUDÆ *Apostoli.*

Nonnulli orti erant Hæresiarchæ, qui gratia Dei abutebantur ad licentiam carnis, & sub prætextu Evangelii, vitiis omnibus laxabant frænos, & sanctam verè Fidelium conversationem, quasi fatuorum Idiotarum, qui veram libertatem Christianam ignorarent, apertè irridebant. Adversùs has pestes excitavit Deus Petrum Apostolum, & hunc Judam, qui Iacobi minoris cognomento Alphæi, frater dicitur hic, & Act: 1. Cognatus Domini nostri, Math: 13. 55. qui etiam cognomento Lebbæus, & Thaddæus dicebatur, Math: 10. 3. Judas hic noster: Fideles ad quos scribit, hortatur, ut constanter tuerentur veram Evangelii doctrinam adversùs falsos doctores, de quibus Petrus eos commonuerat, 2 Epist: Cap: 2. idem prorsus tractans argumentum. Epistolæ partes sunt tres: Præfatio, vers. 1 *&* 2. *Hortatio ad certandum de vera fide retinenda adversùs impostores, ad* vers. 24. *& conclusio, versibus duobus ultimis.*

Vers. 1. *Judas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi, vocatis, à Deo Patre sanctificatus, & Iesu Christo servatis:*

Præfatio inscriptionem continet & salutationem. Inscriptio Epistolæ directionem ostendit, à quo, & ad quos. Describitur Scriptor Epistolæ, primò à nomine: Secundò, ab officio Apostolatus, sub nomine servi, (quo magis gloriatur, quam cognatione naturali, quæ inter ipsum & CHRISTUM Dominum intercedebat) 3. A distinctione ipsius à Juda proditore, à quo non moribus tantùm, sed etiam nominis descriptione discerni cupiebat.

Illi ad

Illi, ad quos scribit, describuntur à quatuor proprietatibus Electorum, 1. Sunt *in Deo Patre*, id est, per CHRISTUM reconciliati, habent cum DEO communionem, seu sanctam societatem: 2. *Sanctificati* sunt per SPIRITUS Sancti specialem operationem & inhabitationem: 3. *Conservati* per donum perseverantiæ à CHRISTO Redemptore, qui nullum ex suis patitur sibi eripi: 4 *Vocati* scilicet non externâ tantùm, sed internâ & efficaci vocatione.

Vers. 2. *Misericordia vobis & Pax, & Charitas multiplicetur.*

In salutatione ex autoritate Apostolica, non optat solùm, sed etiam applicat in ipsorum fidei confirmationem, 1. *Dei misericordiam*, quæ malis omnibus, id est, peccato & miseriæ medetur: 2. *Pacem*, quæ reconciliationem, & felicitatis partes continet: 3. Et *dilectionem*, quæ ut fons bonorum omnium comprehendit gratiam & effecta omnia, quæ ad sanctificationem & salutem perficiendam attinent. Hæc omnia multiplicanda illis pronunciat respectu graduum, incrementi, & manifestationis, in aliis atque aliis effectis, prout salus ipsorum, & DEI gloria postulatura erant.

Vers. 3. *Dilecti, quum omne studium adhibeam, ut scribam ad vos de communi salute, necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, ut decertetis pro fide quæ semel tradita est sanctis.*

Sequitur corpus Epistolæ, In quo causas scribendi & scopum Epistolæ proponit, quem deinceps prosequitur. Scribendi causas affert duas, Prima est *Studium* & propensio pro officio suo, non solùm *prædicandi* Euangelium, ubicunque daretur occasio, sed etiam *scribendi* de communi salute Electorum per CHRISTUM impetrata, & gradatim perficienda, quæ summa est Euangelii: Causa secunda, Accedebat necessitas Ecclesiarum à seductoribus periclitantium, quæ jam scripturientem impellebat, ut scriberet. His præmissis scopum Epistolæ proponit, qui est, hortari, ut doctrinam Apostolicam sartam tectam conservarent sibi & posteris à seductorum corruptelis. Sanam doctrinam vocat *fidem* credendam scilicet, quia omnia continet quæ ad salutem creditu sunt necessaria. *Semel traditam* Sanctis dicit, quia uno ore omnes Apostoli eandem veritatem secundùm Scripturas veteres, de salute per fidem veram in CHRISTUM obtinendâ, plenè & perfectè tradiderunt Ecclesiæ Sanctorum tenendam, ut immutabilem vitæ æternæ consequendæ regulam, & sine addi-

sine additione aut diminutione in adventum DOMINI observandam: Pro hac fide contendendum dicit, quia Caro, DIABOLUS, Mundus, & qui in eo sunt DIABOLI ministri nunquam cessaturi sunt ab oppugnatione hujus veritatis, ita ut necesse sit omnibus verè Fidelibus cum his bellum gerere ἀσπόρδον.

Vers. 4. *Nam subrepserunt quidam homines, prius jam olim descripti ad hanc damnationem impii, qui DEI nostri gratiam transferunt ad lasciviam, & solum illum verum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum negant.*

Argumenta hortationis sunt novem, quorum pleraque sumuntur à seductorum peccatis & pœnis.

Argumentum primum, Probans diligenter conservandam esse fidem Apostolicam, semel Ecclesiæ datam, à seductorum corruptelis: Quia jam periculum erat à seductoribus, qui clam irrepserant, ut adversarii hujus doctrinæ; quos ita describit, ut singulæ descriptionis partes scopo inserviant. Nam, 1. Modus insinuandi errores suos fratribus, latens erat: clam enim, obliquis viis & modis, antequam observari potuerunt, errores suos aliquorum, mentibus instillaverunt: 2. Non sine consilio Divino permissi suum ipsorum ingenium sequi ad cribrandam & ventilandam Ecclesiam; nam in sancto DEI consilio ab æterno reprobi erant & destinati, ut ad damnationem hanc per sua peccata pervenirent, non minus certò quam si in libro fuissent nomina ipsorum designata. 3. *Impii* erant, qui nullo Numinis Divini sensu, vel reverentiâ tangebantur, ut eum colerent, vel in eum crederent: 4. Gratiam DEI nostri IESU CHRISTI, seu doctrinam gratiæ, quæ in Euangelio proponitur, in hunc ipsum finem, ut homines, abnegata omni impietate sanctè viverent: illi in contrarium planè finem transferebant, vertebantque in occasionem omnis lasciviæ & carnalium voluptatum: 5. Reipsâ, doctrinâ & factis abnegabant solum Dominum nostrum, & Herum nostrum, & DEUM nostrum IESUM CHRISTUM, quem solum nominat, DEUM nostrum non, ut excludat Patrem & SPIRITUM Sanctum, sed ut excludat creaturas & fictitia numina. Ergo adversùs hujusmodi seductores custodienda est fidei puritas.

Vers. 5. *Volo autem vos* istorum *commonefacere, ut qui semel hoc sciatis,*

hoc sciatis, Dominum, quum populum ex Ægypto liberasset, rursus eos qui non credebant perdidisse.

Arg. 2. Deus Israelitas eductos ex Egypto postea in deserto apostatas incredulos perdidit: Ergo horum exemplo moniti cavere debetis, ne seducti cum aliis pereatis.

Vers. 6. *Et Angelos qui non servata sua origine reliquerunt suum domicilium, judicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservasse.*

Arg. 3. Deus Angelos apostatas de cœlo deturbatos, æterno exitio, decreto irrevocabili adjudicavit: Ergo fidelibus cavendum ab apostasia, ne similiter pereant.

Vers. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & his finitimæ civitates, simili modo atque illæ scortatæ, & carnem alienam sectatæ, propositæ sunt exemplo, ignis æterni pœnam sustinentes.*

Arg. 4. Deus Sodoma & Gomorrha, vicinaque civitates perdidit, postquam in scortationem & fœdas libidines, quibus isti impostores se polluunt effusæ sunt, & in exemplum posteris in ignem æternum conjecit. Cavendum ergo ab impostoribus illis, qui in ejusmodi peccata & pœnas vos pertrahere possent.

Vers. 8. *Similiter tamen & isti somniis, carnem quidem polluunt, dominatum verò rejiciunt, & dignitates convitiis incessunt.*

Arg. 5. Quia seductores illi sunt similiter vasa iræ coagmentata ad interitum, quos Deus aliquando similiter perditurus est: cujus rationem, reddit à novem vel pluribus vitiis, quæ in illis regnabant, Ex quibus suis fructibus tanquam notis se dignoscendos, & dijudicandos exhibebant. Vitium 1. horum libertinorum erat. Quod *somniis delusi carnem contaminabant*, hoc est, libidini, aliisque flagitiis securè indulgebant, Diabolicis errorum incantamentis non aliter fascinati animis, & conscientiis suis quam si somno corriperentur: Vitium 2. Omnis politiæ adversarii sunt, nullum genus Magistratus vel Dominationis ferentes, sed in honorandas illas Dei ordinationes maledicta & convitia congerentes, quales Anabaptistas fanaticos etiamnum ætas nostra videt.

Vers. 9. *At Michael archangelus, quum adversus Diabolum certans*

certans, disceptaret de corpore Mosis, non ausus est illi impingere notam maledicti, sed dixit, Increpet te Dominus.

Hoc vitium ex eo amplificat, quod Archangelus Michael disputans, & decertans contra Satanam, ne corpus Mosis à Deo sepultum Israelitis revelaretur, qui superstitiosè reliquias coluissent illius, cujus verba dum viveret despiciebant. Non est ausus, seu non potuit à sua sanctitate impetrare, ut talia convicia in Satanam conjiceret, qualia hæretici illi in Magistratum deblaterant: nam satis habuit Archangelus dicere, Increpet te Dominus, seu coerceat tuos conatus. Unde hanc historiam didicerit Apostolus frustra quæritur ab iis, qui omnem Scripturam divinitus inspiratam agnoscunt.

Vers. 10. *At isti, quæ non noverunt, ea convitiis incessunt: quæ verò naturaliter, ut animantia rationis expertia sciunt, in iis corrumpuntur.*

Vitium 3. est, Quod cum ignari sint divinarum ordinationum, Christianorum officiorum, & rerum omnium spiritualium, non rudes tantùm, sed & incapaces, impudenter tamen audent de istis rebus pronunciare, & blasphemias suas in eas evomere: Vitium 4. Quod quæ naturaliter ut animalia sensitiva norunt, in iis, se infra bestias abjiciunt, & se ad omnem libidinem & intemperantiam instigant & impellunt.

Vers. 11. *Væ ipsis: nam viam Cain ingressi sunt, & deceptione mercedis, qui deceptus fuit Balaam, effusi sunt, & contradictione Core perierunt.*

Vitium 5. Cum denunciatione maledictionis Dei in eos, Est *odium* adversùs sanctos fratres, quale erat odium Caini fratricidæ: Vitium 6. est *Avaritia*, qualis erat Balaami, qui sicut linguam venalem habebat, sic illi turpis lucri gratiâ doctrinam Dei adulterabant: Vitium 7. est *Seditio*, qualis erat Corhe, qua se veris Dei Ministris opponunt, & tumultibus suis bene constitutæ Ecclesiæ Pacem perturbant, perituri in sua seditione, sicut periit Corhe.

Vers. 12. *Hi sunt maculæ in agapis vestris, dum vobiscum convivantur, absque ullius metu seipsos pascentes: nubes aqua carentes, ventis circumactæ, arbores, emarcidæ, infructiferæ, bis emortuæ, eradicatæ:*

Vitium 8. *Ingluvies*, quâ corrumpebant, & pravo suo exemplo contaminabant, & se & alios in conviviis Christianis, quæ ad fovendam quidem charitatem erant destinata, sed per Epicuros hujusmodi in præsepia porcorum conversa erant: dum abjecto DEI timore securè indulgebant voluptati ventris & gulæ; Pascentes carnem suam, non vero animas auditorum: Vitium 9. Vel vitiorum congeries potiùs, variis similitudinibus adumbratur, quod ad opus Ministerii, & ad omne opus bonum fuerint ineptissimi & planè reprobi; nam sicut nubes steriles & leves à ventis circumactæ, quam specie externâ pollicebantur doctrinæ salutaris pluviam nullam reddunt ullibi locorum, sed avidos discendi auditores quocunque veniunt frustrantur: & licet speciem præ se ferant arborum bonarum, talesque se jactitent, sunt tamen arbores autumnales ac frugiperdæ, quia fructum, si quem ferre videantur, maturum & utilem reddere non possunt: imo verius prorsùs infructuosi sunt, quia nullum salutarem fructum ferunt, neque in se, neque in sectatoribus suis: & sicut arbores exciſæ, emarcidæ & eradicatæ, nullam relinquunt spem de fructu ferendo, sic illi permanent in peccatis, mortui per naturam, & suâ nequitia attrahentes in se judicialem cordis indurationem, quasi secundo mortui sunt, & jam in reprobum sensum traditi, spem omnem præciderunt conversionis & resipiscentiæ suæ.

Vers. 13. *Undæ maris efferatæ, despumantes sua ipsorum dedecora: stellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.*

Denique ejusmodi sunt, qui à nequitia desistere non possunt, sed instar undarum æstuantis maris, suam semper produnt turpitudinem, nec magis quam stellæ erraticæ in motu, sibi constant illi in doctrina sua. Quibus propterea, pro condigno supplicio, denunciat denuò tenebras infernales densissimas & profundissimas in æternum.

Vers. 14. *Prophetavit autem etiam de istis septimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce, venit Dominus cum sanctis millibus suis,*

Vers. 15. *Ut ferat judicium adversus omnes, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus quæ impiè patrarint, dèque omnibus duris quæ loquuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.*

Arg. 9.

Arg. 6. probans cavendum esse à seductoribus, &c. Quia Enoch septimus ab Adam inclusivè, spiritu Prophetico prædixit de istorum nebulonum peccatis, & condemnatione in die judicii; quando CHRISTUS Angelorum & Sanctorum myriadas secum adducens exequetur judicium adversùs omnes impios, & supplicium sumet precipuè de iis, qui linguis suis petulanter usi fuerant adversùs DEUM, & ipsius doctrinam sanctissimam. De Prophetiâ Enoch, an scripta fuerit prius, an non, vel quomodo constiterit Apostolo de rei veritate, idem dicimus quod prius, SPIRITUM DEI, qui in Enocho loquebatur, etiam Apostolo per inspirationem dictasse, id quod ipse per Enochum olim prædixerat, & quid quantumque scripto committeret, Apostolo præscripsisse.

Vers. 16 *Hi sunt murmuratores, queruli, in cupiditatibus suis incedentes. & quorum os loquitur pręţumida, admirantes personas utilitatis gratia.*

Ut sequatur Conclusio de perditione seductorum hujusmodi secundùm Enochi prophetiam, & per consequens vitandos esse, quasi assumendo, ostendit tales fuisse seductores hos, quales descripserat Enoch, perdendos, ex indiciis quatuor. Indicium primum, Erant murmuratores, & queruli, qui sorte suâ nunquam contenti erant, neque de justis DEI ordinationibus in Ecclesia, vel Republica satis unquam habentes, carpebant, vellicabant & vituperabant omnia, omnis fræni impatientes. Secundò, Sibipsis pro regula statuebant, nec Leges Divinas in Divinis, seu Ecclesiasticis, nec Leges Humanas in Humanis, seu Politicis, sed desideria sua tantùm, & voluptates suas. Tertiò, Etiamsi vilissima essent libidinum suarum mancipia, ut haberentur tamen in aliquo pretio, inflato stylo, & ad populi admirationem comparato, verba tumentia, & magnifica loquebantur, ubi nemo erat qui eorum insolentiam reprimeret. Quartò, Contrà verò si qui essent, quos timerent, vel à quibus aliquid commodi sperarent, illis sordidè adblandiebantur, illos in pretio habebant, admirabantur, prædicabant, digni ne, an indigni essent non respicientes.

Vers. 17. *Vos autem dilecti memores estote verborum quæ prædicta fuerint ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi;*

Vers. 18. *Quòd* videlicet *dixerunt vobis, In extremo tempore futuros irrisores, qui in impiis suis cupiditatibus incedant.*

Arg. 7. Probans cavendum à seductoribus, quia Apostoli reliqui prædixerant tales futuros filios Belial in Ecclesia, quales prædixerat etiam Enoch.

Vers. 19 *Hi sunt qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes.*

Ut sequatur Conclusio de vitandis suprà descriptis seductoribus, rursum assumit, & ostendit tales fuisse seductores quibuscum ipsis erat negotium, idque ex duabus notis. Nota prima, Quod à veta DEI Ecclesia, & sanâ Apostolorum doctrinâ, nullâ necessitate vel autoritate DEI, sed suâ tantùm voluntate separabant seipsos, ne sub jugo DOMINI, seu Disciplinæ ejus manerent. Nota 2. *Animales* erant Spiritum non habentes, quia regenerationis expertes ea tantùm sapiebant & sectabantur, ad quæ ducit natura, seu ratio humana divinitus non illuminata, destituti, quippe DEI SPIRITU, seu gratia DEI sanctificante; Reliquum erat ut sensus & caro plenâ libertate dominaretur, eosque impelleret ad omes & corporis & animæ pollutiones.

Vers. 20. *Vos autem, dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vosipsos, per Spiritum sanctum orantes,*

Arg. 8. Probans perseverandum in fide, contra seductorum machinationes, per modum præcepti propositum, Quia SPIRITUS Sanctus præscripsit media, quibus & ipsi perseverent, & qui defecerunt revocari possint: & rationem proposuit, qua singuli Satanæ machinas despicere queant, nempe, primo si fidem seu doctrinam sanctissimam Apostolicam, quæ nihil humani admixtum habet, pro fundamento immobili sibi statuerent, à qua ne latum quidem unguem unquam discederent: 2. Si assiduo superædificationi suæ studerent, & ad profectum in cognitione & fide veritatis in verbo DEI revelatæ, contenderent: 3. Si assidui essent in precibus ex sensu necessitatum suarum, sequentes ductum SPIRITUS Sancti, qui Sanctorum infirmitates sublevat, & quid & quomodò orandum sit secundum DEI voluntatem ostendit.

Vers. 21. *Alii alios in charitate Dei conservate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.*

4. Si

4. Si studerent ex fide dilectionis Dei erga se, charitatem in fratres & proximos conservare; 5. Si Domini adventum præ oculis haberent: 6. Si apprehenderent vitam æternam: 7. Si contra omnem suam indignitatem, adhærerent misericordiæ Christi, qui ita judex nostri futurus est, ut gratuitum redemptionis à se partæ beneficium & suum Euangelium pro judicandi regula sit habiturus: Ex his sequitur perseverandum in fide, &c.

Vers. 22. *Et alios quidem habito delectu commiseramini:*

Vers. 23. *Alios verò terrore servate, ex flamma rapientes: odio habentes, vel eam tunicam quæ a carnis contactu sit maculata.*

Arg. 9. Per modum præcepti propositum, quia ratio à Deo proposita est Ecclesiæ, quâ non tantùm ipsi perseverare possent, sed etiam errantes, & lapsos in viam revocare, & erigere valerent, nempè si unumquemque pro suo ingenio tractarent, id est, si positâ differentiâ inter errantes, uterentur misericordiâ & mansuetudine erga alios, nempè, mites & tractabiles: si verò quis contumax fuerit, aut securius sibi in peccato indulserit, per timorem vel severiorem castigationem studerent eum servare, nempe, per excommunicationem si aliter corrigi non posset. Hujus rationes redduntur duæ.

Ratio prima, Sub idonea similitudine. Nam ubi est incendii periculum violenter rapere non dubitamus eum, quem cupimus incolumem: Sic etiam curanda est salus eorum, qui non nisi duriter tractati resipiscunt, qui censuris vel severissimis à perditione Gehennæ servandi sunt.

Ratio 2. Per allusionem ad typum legalem, *Levitic.* 15. 4 17. Quia ubi periculum est infectionis & contagionis, ut in obstinatis & scelerum exemplis, etiam consortium vitandum est, & abscedendum ab istiusmodi libertinis pollutioni carnali deditis: Sicut olim in lege à lepros, vel peste infectis, & pollutis vestimentis secedendum erat, quod est consequens excommunicationis.

Vers. 24. *Cæterum ei qui potest vos servare à peccato immunes & statuere in conspectu gloriæ suæ irreprehensos cum exultatione,*

Restat tertia pars Epistolæ nempe conclusio, in qua perseverantiæ laudem totam Deo ascribendam docet, ne quis nimium tribuat hominum viribus

ribus, quorum diligentia in mediis utendis tantopere in præcedentibus urgetur. Laudem autem perseverantiæ ascribendam CHRISTO, probant rationes sequentes quinque.

Potest] Ratio prima, Quia officium in illo solo residet potenter conservandi fideles, ne in hac vita concidant in curru pietatis, vel deficiant, *Statuere*] Ratio 2. Quia in eo residet potentia, secundum officium suum sistendi omnes suos in die judicii, in conspectu DEI gloriosi inculpatos, cum omni exultatione.

Vers. 25. Id est *soli sapienti* DEO, *Servatori nostro gloria, & magnificentia, & robur, & potestas, & nunc & in omnia secula. Amen.*

Ratio tertia, Quia ille est DEUS solus sapiens, ut modis viisque suis hoc negotium totum solus perficiat. *Servatori*] Ratio quarta, Quia Servator est noster, merito, officio, & efficacia, ut necesse sit eum quod suscepit in se perficiendum, perficere. *Gloria*] Ratio 5. Quia ut in omni opere suo gloriam suam manifestari vult: Sic præcipuè in hoc negotio gloriosam suam Majestatem patefieri immensam suam potentiam exeri, & supremam suam in omnes, & omnia autoritatem conspici, & agnosci, & nunc, & in æternum. Ergo & perseverabitis vos verè Fideles, & gloria tota Salutis nostræ DEO cedet: Cui ut in solidum debetur, sic in æternum pendatur: AMEN.

FINIS.

* * * *
* * *
* *
*

ERrata Typographica, In notis Arithmeticis ve l non apponendis, vel non satis Latine nonnunqnam explicandis, vel male numerandis. In literarum permutatione, quæ voces & sensum notat, Ut ex Gr. pag. 8. lin. 20. correptus, pro corruptus: & pag. 12. lin. 3. sequi pro seque. & pag. 155. lin. 2. iuscitanda, pro suscitanda, & similibus nonnullis. Omissione, ut pag. 31. lin. 18. parem, pro patrem & pag. 50. 11. mortis, pro mortuis. Additione, ut pag. 35. lin. 23. contristentur, pro contristent. Transpositione, ut pag. 4 . lin. 18. inrtoiit, pro introiit. pag. 493. lin. 19. irrelperat, pro irreplerat. In vocum transpositione, ut E. G. pag. 3 . lin. 3. imputabatur: &, pro & impurabatur. Conjunctione, ut E. G. pag. 52. lin. 4. Insolutione, pro in solutione, pag. 32. lin 19. obligatita, pro obligat, ita. In accentuum in Græcis & Latinis vocibus omissione. In commatum & distinctionum multiplicatione, transpositione, & defectu Reliquaque quæ observabis graviora aliquot, & leviora multa, ut tua peritia emendet, & humanitas condonet, oramus

663